pluries, vbi pro animalis parte ſemper viuentē, & ſubſtantiā animatam accipit. Omnis autem pars animata vel eſt ſimplex, vt caro, os, neruus, membrana, & cutis; vel compoſita, quæ vel eſt organica, vt manus, & pes, vel organi pars, vt digitus, vt inſinuauit Gal. 1. met. cap. 6. quo in loco accipit quidem partem viuentem arctius, ſed tamen adhuc communi, & lata ſignificatione, vt eſt ſubſtantia viuens, quæ ad totius corporis integrationē cōcurrit, quicquid enim totum corpus viuens complet, atque integrat, id totius corporis, quod complet, particula, & pars nominatur.

*Pars magis propriè accepta.* Sed ſi partem magis arctè, & magis propriè intelligere velimus, quemadmodum intellexit Gal. 1. de vſu part. cap. 1. dicamus illam verè eſſe corporis animati partem, quæ neque vndequaque propriam circumſcription.m, neque omnino cum cæteris partibus connexionem habet, & pars organica, ſeu inſtrumentum vocatur, quod etiam confirmat 1. met. cap. 6. quemadmodum manus, quæ cum ſit iuncta corpori, ad quod refertur, ideo propriam circumſcriptionem vndequaque non habet; & cum debitè, & perfectè efformata ſit, non omnino cum cæteris connexionem obtinere dicitur, ideo manus optimè, atque perfectè conſtituta munera omnia ad apprehēſionem pertinentia probè, ac ſine alterius partis adminiculo exercere valet, & quod de manu definitū eſt, illud idem ſtatuatur de oculis, lingua, cruribus, ac reliquis omnibus iſtius generis partibus, in qua ſignificatione cor dicitur pars corporis animati, & ideo inſtrumentum animę pro obeundis fun

*Quō cor dicatur pars animalis.* ctionibus perfectis, in quorum gratiam quælibet ſic accepta pars inſtituta eſt, nullam enim corporis partem temerè vnquam natura effinxit, atque formauit, ſed omnes ob eum finem, vt vel aliquā

*Cordis cauſa formalis, & finalis.* operationem in corpore exerceāt, vt Gal. ait 1. met. cap. 9. & 17. de vſu part. cap. 1. & ante illum docuit Ariſt. 1. de part. an. cap. 5. & 2. de gener. an cap 3. vel vt priori, & principaliori, cui primo operatio debetur, & operationis cauſa exiſtit, inſeruiant, vt meliùs, ſeu tutiùs operatio abſoluatur, vt Gal. ait lib. de diff. morb. cap. 6. & omnis facultas, quæ alicuius gratia agit, inſtrumenta quærit ad opus appoſita, vt ait Galen. 1. de loc. aff. cap. 2. & 1. de cauſ. pulſ. cap. 4.

*Anima eſt facultas ad functiones finem dirigens.* Cum igitur anima ſit facultas omnem eius finem ad functiones dirigens, vt Gal. ait 14. met. cap. 14. ergo propter eundem

finem

finem ad functiones directum hæc facultas quæcumque ſit acqui ſiuit cor in habentibus ipſum, in non habentibus autem illud, proportionale excogitauit, cor igitur erit animæ inſtrumentum propter aliquas operationes conſtructum, nam id cuius eſt opus, vt ait Ariſt. 2. de cęlo. t. 17. eſt gratia operis.

Sed ad inueniendas cordis operationes, in quarum gratiã conſtructum eſt cor, primum ſupponamus tãquam notiſſimum apud omnes Philoſophos, & medicos, animam eſſe principium viuendi, nam ſiue viuens ſit de vegetabili, ſiue de ſenſibili, ſiue de intelligibili genere, illud, quòd primo, & principaliter ab anima accipit, eſt vita, ergo anima ſit primo, & principaliter in viuente principium viuendi, quod ſi hoc ita ſe habet, ergo communiſſima animæ eſſentia conſiſtit in eſſe principium viuendi. *Anima eſt principiũ viuendi.*

Nec obſtat, quod anima ſit principium etiam multarum aliarũ operationum, vt vegetationis, ſenſationis, intellectionis, & ſecundum locum motionis, quia in tãtum in viuente ſubſequitur vegetatio, ſenſatio intellectio, & motio, ac cæteræ, ſi quæ ſint operationes, in quantum vita præcedit, ergo vita inter cæteras operationes animæ eſt principalis, a qua cæteræ omnes depẽdent, ideo actus vitalis vocatur cõmuniſſima eius ratio, & quidditas, vt in 2. de anima t. 1. teſtatus eſt Ariſt. dicens, iterum autem nunc tanquàm a principio redeamus conãtes determinare quid ſit anima, & quę ſit communiſſima ratio ipſius, quam poſtea determinat per actum corporis viuentis, ſimiliter ſtatuit, viuere viuentium eſſentiam eſſe, atque per illud inanimatum ab animato differre, vita igitur ſimiliter erit communiſſima eius operatio, ſed hoc latius infra patebit.

Modo ad hanc operationem abſoluendam ſolus calor conducit, quod Ariſt. plurib. in locis, ſed præcipuè 2. de part. ani. cap. 3. teſtatus eſt dicens, ſed cum omne, quod augetur, capiat alimentũ neceſſe ſit, alimentum autem omnibus ex humido, & ſicco ſuppeditetur, quorũ concoctio & mutatio non niſi per caloris vim agitur, ſit vt tam animalia omnia, quàm ſtirpes, & ſi non alia de cauſa, tamen ob eam rem principium caloris naturale habeant neceſſe ſit; & ibid. cap. 7. ait, quod enim nonnulli ſtatuunt importune animam eſſe ignem, aut aliquam eiuſmodi vim, melius fortaſſe dixeris, animam in quodam huiuſmodi corpore conſtare, cuius *Calor ad quid conducat.*

rei

rei cauſa eſt, quod ad exequenda animæ officia calor omniũ maxime adminiſtrandi vim obtinet, cum enim officium animæ ſit, alere & mouere, hæc ea ipſa facultate potiſſimum efficiuntur, & ibid. paulò poſt ſubdit, ſed quam genus omne animalium caloris particeps eſſe neceſſe ſit, hinc apertum eſt, idem confirmauit 2. de gener. anim. cap. 3. dicens. Ineſt in ſemine omnium quod facit vt fecunda ſint ſemina, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoque corpore continetur, & ibid. cap. 4. ait, ineſt hic calor in excremento ſeminali, tantam, talemque habens motionem, & actionem, quãtam modice ad quamuis corporis partem accomodetur.

*Calor facit fecũda ſemina.*

Similiter lib. de iuuent. ſeneƈt. mor. vit. & reſp. cap. 2. 3. 8. ſed præcipuè. 14. definiens generationem animalium, dixit, eam eſſe participationem nutritiuæ animæ cum calore, & vitam eſſe manſionem animæ in eodem calore, & ibidem capit. 10. ait ipſam viuere, & animæ habitum cum caliditate eſſe, & igne omnia operari.

Verum ante Ariſtot. D. Hipp. illud idem pronunciauit, prima Aphor. 14. dicens, qui creſcunt plurimum habent caloris innati, plurimo igitur egent alimento, & ibid. 15. ventus hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, quare per ea tempora alimenta copioſiora exhibenda ſunt, etenim tunc calor innatus copioſior eſt. Idem retulit Diocles, Praxagoras, & Philiſtion, ſed & Plato in Timæo, & Theophraſtus, vt teſtatur Galen. 2. de nat. fac. cap. 8.

*Anima mediante calore vitam produ cis.*

Cum igitur anima mediante calore tanquam vniuerſali & cõmuniſſimo inſtrumento vitã primum, deinde per eam cæteras omnes operationes in corpore exerceat, & cor ſit præcipuus, & principalis fons, & origo caloris, ergo anima mediante corde tãquã præcipuo, & principali fonte, & ſubieƈto communiſſimæ illius virtutis, & eius inſtrumẽti caloris nempe vitam deinde per eam cæteras omnes eius operationes in corpore exercet.

At non caſu diƈtum eſt cor eſſe precipuum, & principalem fontem caloris, quia ſimpliciter loquẽdo fons, & origo caloris eſt totum corpus viuens, quia quælibet pars, & particula corporis viuentis implantatum, ac ſibi connatum calorem manifeſtè continet, qui cum ſit imbecillis, ac alterius egeat fauore, ideo natura

produxit

produxit vberiorem caloris copiam, fontemque eius in corde locauit, vt implantatus foueatur, & augeatur.

Quod autem cor ſit fons, & origo caloris, teſtatur vbique Gal. & ante eum Hippoc. in lib. de carnib. & Plato in Timæo; ſed clarius Ariſt. in lib. de mort. & vit. cap. 10. vbi non ſolum fontem & originem caloris illud vocauit, ſed primũ, & præcipuum fontem atque principium, dum dixit, quoniam aut dictum eſt prius, quod ipſum viuere, & animæ habitus cum caliditate quadam eſt, nam cõcoctio, per quam alimẽtum fit animalibus, neque ſine anima, neque ſine caliditate eſt, igne enim operãtur omnia propter quod quidem in quo primo loco corporis, & in qua prima loci huius parte principium neceſſarium eſt eſſe tale; hic & primam nutritiuam animam neceſſarium eſt exiſtere, iſte autem eſt medius locus ſuſcipientis alimentum, & per quem emittunt excrementũ, exanguibus igitur innominata, ſanguineis autẽ cor hæc particula eſt, vbi conſideranda ſunt verba Ariſt. dicentis, in quo primo loco, & in qua prima loci huius parte, &c. *Cor ẽ fons et origo caloris.*

Similiter dum dixit; hic & primam nutritiuam animam, quia totum quidem corpus eſt viuens per virtutem vitalem, quę in calore reſidet, nam quicquid viuit, vitalem calorem continet, ſed totum corpus animalis viuit, ridiculum enim eſſet putare in animali ſolum cor viuere, cæteras autem eius partes vitæ expertes eſſe, ergo cæteræ eius partes vitalem calorem continent, ſed non primo, & principaliter, competit igitur calor vitalis omnibus viuentis partibus, ſed non æquali menſura, & gradu, quia hic primo, & principaliter, & per excellentiam cordi competit, cum per illum, qui in corde reſidet, totum corpus viuificetur, illud igitur quod eſt fons primus, & origo prima caloris, eſt prima ſedes, & primum inſtrumentum facultatis vitalis, quia facultas vitalis in calore reſidet, & hic ſolus nectit animam cum corpore, ſed pręcipue & principaliter cor eſt fons & origo caloris, ergo cor eſt pręcipuũ, & principale inſtrumentum facultatis vitalis, & eius operatio eſt viuificatio, quæ fit per diſpenſationẽ vitalis caloris, vt Galen. ait lib. de vſu pulſ. cap. 2. & 3. & ex hoc infra deducetur, principatum membrorum eſſe in corde. *Fons primus caloris eſt prima ſedes animæ.*

Eſt igitur in corde facultas vitalis, quæ vitam vniuerſo corpori communicat, ſed quia ſine calore illam communicare nõ poteſt,

ideo

ideo in eodem requiritur facultas calorifica, quæ calorem producat, non enim ab alia facultate, quàm a calorifica calor generari poteſt. Ideo vitalis eſt prima facultas cordis, calorifica autem ſecunda; Non poteſt autem calor, cum ſit qualitas, ad varia loca diffundi, niſi alicui ſubſtantiæ innitatur, atque hereat, & vt ait Auicen. de medi.cor.t.1.cap.1. ſequatur eius delatorem per ſingulas corporis partes, quia, vt notũ eſt in phyſicis, accidentia nõ migrant de ſubiecto in ſubiectum, neque per ſui nouã productionẽ per partẽ poſt partẽ in viuente propagatam, ſatisfieret vnquàm neceſſitati vitæ, & motuum, qui animali neceſſarij ſunt, vt qui ſegniter nimis calor impertiretur partibus diſtantibus, ideo ſagax natura, aliam quandam facultatem indidit cordi, qua mediante produceret ſpiritum tenuem, & facile mobilem, vt facillimè quocunque feratur, atque huiuſce efficaciſſimæ qualitatis eſſet vehiculum, non poteſt autem hic ſpiritus, quamuis ex ſe ſit facile mobilis, neque fieri, neque poſtquam factus eſt, moueri, neque per totum corpus diſtribui, niſi ab aliquo impellatur, quod mediante pulſatione cordis, & arteriarum fit, vt neceſſe ſit ſubſtantiam aeream, atque ſanguineam, quæ ambæ ſunt illius ſpiritus materia, plurimum, atque exquiſitè vnà permiſceri, atque per corpus diſpenſari, ideo præter reliquas facultates relatas, natura facultatẽ pulſificam in corde locauit, vt ea mediante vtramque materiam exquiſite permiſcens, atque in cordis ventriculis exacte ſubigẽs, in ſpiritum tranſmutaret, ac genitus per totum corpus diſpenſaretur, non enim aer attractus poſſet vnquam cum ſanguine exquiſite permiſceri, niſi valida, atque frequenti cordis motione vnà vterque plurimum agitaretur, nec huic muneri tantum pulſus inſeruit, verum & attractioni ſubſtantiæ aereæ, refrigerationi, & moderationi caloris innati, expiationi vaporum fuliginoſorum, & tandem diſpenſationi caloris, præterea etiam varijs animi motibus excitandis.

*Facultas vitalis eſt prima facultas cordis, calorifica ſecunda.*

*Facultas ſpirituiſica tertia.*

*Facultas pulſifica quarta.*

Præter cæteras autem facultates prædictas, eſt etiam cor ſubiectum facultatis iraſcibilis, cuius actio iracundia vocatur, quæ eſt vehemens illa commotio, & feruor ſanguinis in corde facta, dum animal vindictã de eo ſumere cupit, quod videtur offendiſſe, & ideo illa commotio, & feruor ſequuntur appetitum vindictæ.

*Facultas iraſcibilis quinta.*

Similiter cor eſt ſubiectum facultatis animoſæ, cuius actio eſt

*Facultas animoſa ſexta.*

natu-

naturalis quædam animi magnitudo, qua quis non facilè mortis metu concutitur, quæ ſi augeatur oritur audacia, qua quis cuncta pericula ſubit, cuius oppoſitum eſt timor, & puſillanimitas, ſeu animi deiectio, qua quis neutram fortunam, nempè nec honorē, nec ignominiam ferre poteſt.

Similiter alia quædam facultas in corde locatur, quæ gaudiū, & triſtitiam producit, vt Ariſt. Gal. & Auicen. & omnes Philoſophi, & medici teſtati ſunt, ideo gaudifica vocatur, ad quam gaudere, & triſtari attinere dicitur, quia oppoſita attinent ad eandem facultatem, & hæ in præſenti vt affectiones conſiderantur, non vt habitus, ſeu virtutes, quas moralis Philoſophus venari docet. *Facultas gaudifica ſeptima.*

## *NVMERVS FACVLTATVM PRAEDICTArum, quæ in corde reperiuntur, oſtenditur.*

## *Caput Tertium.*

QVOD autem in corde ponendæ ſint tot facultates, quot ſupra ſtatutū eſt, clare patet ex eo, quod tot reperiūtur actus, & operationes diſtinctæ, qua methodo etiam Ariſt. 2. de ani. animæ potentias diſtinxit, atque venatus eſt, nam t. 22. ait, ſenſitiuo enim & opinatiuo alterum, quoniam ſentire alterum eſt ab ipſo opinari, nihil enim magis diſtinguit vnum ab altero, quam abſtractionis gradus, quotieſcunque enim poſſumus intelligere vnum, non intellecto altero, clariſſimum eſt illa inter ſe diſtingui, at non eſt idem, nec intellectu poſſumus concipere eſſe idem illud cum eo, in quo eſt, ergo vita, quæ eſt permanentia animæ in calore, & calor ipſe, in quo vita permanet, nō ſunt idem, ſimiliter & ſpiritus, qui eſt ſubſtantia, & ſubiectum vitæ, & caloris, productus gratia eorum, differt ab vtroque: item pulſus cordis & arteriarum, qui ſpiritus, & caloris generationi inſeruit, ac vtrumque diſtribuit, à prædictis diſtinguitur. *Vis abſtractionis in diſtinctione facultatum cordis.*

Præterea non eſt idem iraſci, fortem eſſe, & gaudere, & triſtari, neque inter ſe collatæ, neque cum prædictis, vt ſatis patet, nam ira eſt appetitus vindictæ, fortitudo eſt virtus animoſæ, per quam quis non facile mortis impetu percellitur, & de iſtis diſtincte egit Ariſt. in moralibus, quāuis ſub alia conſideratione, quia ipſe eas conſi- *Quid ſit ira, & quid fortitudo.*

conſiderat vt ſunt animi habitus in more poſiti, & vt virtutes ſunt, nos autem in præſenti eas conſideramus vt naturales affe-ctiones tantum.

*Quid ſit gaudium.* Similiter gaudium eſt delectatio quædã, vt triſtitia eſt dolor, cæteræ vero affectiones, quæ reperiuntur, ad has reducuntur, vt exceſſus, & defectus harum, vel ſublimiores, vel depreſſiores earũ actus, ſi igitur actus & operationes diſtinctæ ſunt, & earum poten-tiæ ſimiliter diſtinctæ erunt.

At quidam inſtant aduerſus illud, quod ab Ariſt. in lib. de ani-ma, comprobatum, & à Gal. in lib. quòd animi mores, cap. 2. & pri mo de natural. fac. cap. 4. confirmatum eſt, nempe quod ex nu-mero operationum liceat colligere numerum facultatum, quia (aiunt) idem eſt ſol, qui eliquat ceram, & indurat lutum, & ex vna, & eadem vi, & facultate vtrũque emanat; non igitur ex eo, quòd diuerſa ab eo fiunt, ſtatuere debemus diuerſas natura in eo debere eſſe partes, ita vt vna indurandi, & alia liquandi vim habeat.

Confirmatur, quia oppoſita (vt ſupra dictum eſt) attinent ad eandem facultatem, ideo ad facultatem gaudificam attinet gau-dere, & triſtari; & ad animoſam audacem & timidum eſſe, non ergo ponendæ ſunt tot facultates, quod operationes. Huic diffi-cultati reſpondetur, quod aliud eſt aſſerere aliquas operationes attinere ad eandem facultatem, & aliud eſt eas attinere ad idem ſubiectum, multæ enim operationes attinent ad vnum ſubiectum nempe ſolem, quas omnes ſol per varias, & differentes facultates exercet.

*Operatio-nes quotu plices ſint.* Similiter operationes inter ſe collatę ſunt in duplici differẽtia, vel enim ſunt operationes oppoſitæ, & ita attinent ad eandem facultatem, vt videre & non videre attinent ad potentiam viſi-uam, ſimiliter gaudere & triſtari attinent ad potentiã gaudificã, & audere, & timidum eſſe ad potentiam animoſam, & dicitur op-poſitio ſecundum habitum, & priuationem, quatenus eſt acceſ-ſus ab altero extremo, licet rationem poſitionis habeat.

Vel operationes ſunt inter ſe diuerſæ, & tunc non attinẽt ad eandem facultatem, ſed ad diuerſas, ideo tunc ex numero opera-tionum licet colligere numerum facultatum, quemadmodum fe-cit Ariſt. 2. de ani. ideo ſi ſol modo calefacit, modo eliquat, modo

indurat,

indurat, modo rarefacit, hæc omnia per facultatem, & calefaciendi, & eliquandi, & indurandi, & rarefaciendi præſtat.

Et ſi quis diceret indurare & eliquare eſſe operationes contrarias. Dicamus, vt durum non opponitur liquido, ſed molli, ita nec operatio, nec facultas indurandi opponitur facultati eliquandi: præterea contraria habent fieri circa idem, at eliquatio a calore facta competit ceræ, non luto; & induratio a calore competit luto, non ceræ, cum igitur iſtę operationes non ſint circa idem ſubiectum, patet non eſſe contrarias, iure igitur quot ſunt operationes diuerſæ, tot ſtatuendæ etiam ſunt facultates. *Durum nō opponitur liquido.*

Quod etiam placuit Gal. ideo in lib. quòd an. mores, cap. 2. ait, Quocirca & tot poteſtatibus ſubſtantiam quot actionibus eſſe præditam dicimus, vt exempli gratia, aloen vires habere purgãdi, os ventriculi roborandi, cruenta vulnera glutinandi, plana vlcera ſolidandi, & humidas palpebras reſiccandi, neque profecto dictorum operũ quodque ab vllo alio præter aloen effectore prouenit, ipſa namque eſt omnia illa faciens, quoniamque illa efficere poteſt, ideo tot facultates, quot opera, habere dicta eſt, aloẽ itaque & purgare, & os ventriculi roborare, & vulnera agglutinare, & vlcera ſolidare, & madentes oculos reſiccare poſſe aſſerimus, tanquam nihil interſit purgare poſſe aloen, ſi dixeris, aut poteſtatem purgatoriam habere, ita vero & madentes oculos ſiccare poſſe idem ſonat, quod vim oculorũ exiccatoriam habere. Eadem ſanè ratione cũ dicimus in cerebro collocata rationalis anima per ſenſoria quidem ſentire poteſt, per ſenſilia vero & meminiſſe ipſa per ſe, conſecutionem præterea in rebus, & pugnam, reſolutionem, & compoſitionem dignoſcere poteſt, nihil aliud ſignificamus quàm ſi ita breuiter comprehendentes dixerimus, rationalis anima facultatibus pluribus referta eſt, ſenſu videlicet, memoria, & intelligentia, & alijs ſingulis. Cæterum quia non ſentire modo ipſam, ſed etiam dearticulate magis cernere, audire, odorari, guſtare, tangere aſſerimus, rurſum ipſam viſoriam, olfactoriam, auditoriam, guſtatoriam, tactoriam poteſtatem habere dicimus, qua verborum longa ſerie Galen. huic opinioni apertiſſime fauet.

Colligamus igitur ſeptem facultates in corde locari. Vitalis, nempe, Calorifica, Spiritus genitrix, Pulſifica, Iraſcibilis, Animoſa, *Septem facultates in corde locãtur.*

moſá,ac tandem Gaudifica,quod de proprijs tantum, non de cō-munibus cum reliquis corporis partibus intelligendum eſt. Sed iam ſingulas expendamus.

## *DE VITALI, CALORIFICA, ET SPIRItus genitrice facultate, & quid vnaquæque earum ſit. Caput Quartum.*

*Virtus vitalis quō accipiēda.*

DE virtute vitali igitur tractaturus, quæ eſt prima, & principalis animæ facultas, & principium vitalis operationis. Sciendū eſt eam non pro ſubſtantia abſoluta,& vt forma eſt,accipiendam eſſe, ſed vt anima & cum relatione ad operationes, quia nunc eam conſideramus,vt eſt principium vitalis operationis, in qua ſignificatione adhuc dupliciter intelligi poteſt,vel enim primo accipitur,vt primum,& remotum principium operationis, & ita eſt ſubſtantia eandem cum anima eſſentiam habens, ratione tantum ab ea diſtincta; Secundo conſiderari poteſt, vt proximū, & immediatum principium operationis, & ita dum reſpicit alterationem, in ſui eſſentia includit idoneum temperamentum, vt etiam virtus pulſatilis dum reſpicit motum localem, includit totius, & partium idoneam compoſitionem,& vtrumque principiū eſt ſubſtantia actu ſubſiſtens, & ſuppoſitum præditum aptitudine,& potentia ad operandum, quæ potentia non eſt principium, vt quibuſdam viſum eſt, ſed eſt modus, & conditio agentis, quia quælibet operatio fit ab eo,quòd actu exiſtit,non quòd potentia, quæ eſt propenſio quædam cauſæ ad operandum,& accidens debilis, ac valde tenuis entitatis,& medians inter priuatiuum, & poſitiuum per participationem vtriuſque extremi, nam ex vna parte dicit priuationem actus, ex altera vero poſitionem rei accidentalis,& propterea ad reale prædicamentum qualitatis reducitur, & attinet ad ſecūdam eius ſpeciem,diciturque naturalis potentia agendi cordis,quòd eſt natura prius,quàm ſua potentia,ac illi ratione adæquationis principij primo debetur actio, ac ratione principalitatis debetur virtuti vitali, quæ eſt principalis cauſa vitæ,attamen anima non ſit facultas agendi, aut principium ope-

rationum

rationum ſine corpore particulari temperamento prædito, quòd temperamentum tantum valuit apud Gal. vt animam iudicauerit; At re vera eſt tantum diſpoſitio pro introductione, & conſeruatione animæ in corpore, pro functionibus verò obeundis facultatis eſſentiam ingreditur, quia corpus animatum ita diſpoſitum eſt principium, & habens facultatem adæquatam operãdi. *Gal. temperamentum animã iudicauit.*

Quare accipiendo facultatem, vt primum, & remotum principium operationis, & vt ſubſtantia ſimplex, ſciendum eſt, nos per eam non debere intelligere facultatẽ eſſentiam animæ adæquatè complectentem, quia ſic vt forma totum viuens reſpiceret, & ita eſſet actus totius corporis potentia vitam habentis, & vniuersè vt anima eſſet principium viuendi, vt ab Ariſtot. conſideratur in lib. de anima, in quo ſenſu bene quidem Zenocrates ſtatuit pro ſede animæ vniuerſum corpus, ſed per eam debet intelligi particularis, & prima & remota quædam animę potentia, & facultas eandem cum anima eſſentiam habens, quæ in animali alicuius particularis operationis eſt principium primum, & remotum, ideo partem in animali etiam reſpicit, quæ eſt illius facultatis inſtrumentum, quod, vt determinatum eſt, cor eſt, quod primum, & præcipuum fontem, atque principium caloris ſeſe obtulit.

Ideo hæc prima, & principalis facultas vitalis eſt facultas animæ in corde reſidens, viuenti potentiam viuendi tribuens, gratia vitæ eius, quæ licet ſit actus, & forma cordis conſtituens illud in ſpeciem membri viuifici, attamen nunc virtus vitalis non conſideratur, vt forma, & actus, ſed vt facultas, & operationum principium, ideo dicitur facultas, quæ relationẽ habet ad operationes, & dicitur in corde reſidens, ad differentiam earum, quæ in cerebro, hepate, & alijs partibus reſidẽt, & dicitur viuenti potentiam viuendi tribuens, ad differentiam omnium aliarum facultatum, ſiue reſideant in corde, vt calorifica, pulſifica, & ſic de reliquis; ſiue reſideant extra cor, quæ viuenti non tribuunt potentiam viuendi; tandem dictum eſt gratia vitæ eius, quia facultas vitalis in corde reſidens non per ſe expetitur, ſed ordinatur ad communem vitam viuentis, & vt manifeſtetur illud, ad quod ordinatur, quæ eſt illa communis vita viuentis, quia cum communis facultas viuentis per ſe ſufficere ad opera vitæ non poſſit, ideo illa virtute huius, quę in corde reſidet, optimè munia ad vitam neceſſaria per- *Vitalis facultatis definitio.*

ficit, & abſoluit, & vt ponatur differentia ab alijs facultatibus, quarum nulla immediate ordinatur ad vitam.

*Vitalis facultas vtitur calorifica ad operandum.* *Calorifica facultatis definitio.* *Spiritui ſifica facultatis definitio.*

Ad hanc autem operationem edendam vtitur facultate calorifica, quoniam vitalis ſine calore vitam producere non poteſt. Hæc autem cum in corde calorem producat, igitur definiatur, quod ſit facultas animæ in corde reſidens calorem producens gratia facultatis vitalis, & quia calor non poteſt per corpus viuens diffundi ſine vehiculo, ideo eius gratia natura excogitauit ſpiritus genitricem facultatem, quæ quia ſpiritum generat, non minus facultatem animæ in corde reſidentem, ſpiritum producentē vitalem calorem cordis inſitum ſuſtinendi gratia definiemus.

Et licet hi duo, calor, & ſpiritus, ſummam inter ſe habeant affinitatem, & nexum, vt quemadmodum infra apparebit, neutrum ſine altero conſiſtere poſſit, non enim calor hic in alia materia ſeruari poteſt, quam in ſpiritu, & humido primogenio, quæ eſt ſubſtantia pinguis, & oleaginea, facile mobilis (ſi cum ſpiritu influēte accipiatur) flammamque ociſſime corripiens, flammaque idcirco ſpiritus influens vocatur.

Similiter nec iſta materia poteſt ſine hac qualitate, caliditate ſeruari, quin corrumpatur; tamen iſta qualitas poteſt, vt 5. in 6. de morb. vulg. t. 9. & 12. meth. cap. 5. ait Galen. recipere magis, & minus, vt non ſola annorum, ætatiſque decurſione imminuatur, ſed violentia illata, modo remittatur, vt contingit dum animalia, vel timore, vel mœſtitia, vel otio, vel cibis, vel alia de cauſa refrigerantur: modo intendatur, vt contingit dum ira, vel exercitatione, vel alia corporis, vel animi motione accenduntur, ſubiectum verò eius, humidum ſcilicet illud primogenium in omnibus quidem corporis partibus, ita vt etiam in corde, imminui poteſt in marceſcentibus natura ob ætatem, at ob morbum imminuitur tantum in cæteris partibus corporis, in corde autem nequaquam, quin prius natura corrumpatur ob morbi violentiam, vt contingit in hecticis tabidis, in quibus exſiccatio in corde facta roridam humiditatem non excedit, augeri autem, & reparari in nulla vnquam corporis parte poteſt.

## DE CALORE INNATO, ET *ſpiritibus inſitis.* *Caput Quintum.*

*Omne miſtum calore egere.*

SED vt eorum natura, & conditio magis eluceſcat, altius exordientes dicamus, omne miſtũ ſiue animatum, ſiue inanimatum ſit, a calore generari, vt ſolus ſit idoneum generantis inſtrumentum, & genitum per eundem in natura ſeruari, & licet Ariſt. eius generationem mutationem a calido, & frigido, cũ habuerint rationẽ ex ſubiecta materia vnicuique naturæ definierit 4. meteor. quo in loco, quia accipit generationem pro præuia diſpoſitione ad formam mixti introducendam, ideo per mutationẽ intellexit vnionem, atque conſtantiam partium, qui ſunt effectus qualitatum actiuarum, calidi nempe, & frigidi, vt terminandi vim habent.

Attamen ſi generatio accipiatur pro momentanea acquiſitione formæ, ſeu introductione eius tantum in materia, tunc ad hãc operationẽ ſolus calor cõcurrit, vt ſupra ſatis oſtẽſum eſt, quemadmodũ etiã ſolus ad cõſeruationẽ talis facultatis in proprio ſubiecto cõcurrit. Non tñ eadem rõne vtrunque munus obit, quia dũ calor concurrit pro introductione formæ, habet rationem agentis, & ſe tenet ex parte eius, ideo actiuè concurrit, dum autem facultatem in ſubiecto conſeruat, vel ita ſubiectum afficit, vt aptum reddatur ad formam recipiendam, & conſeruandam, habet rationem diſpoſitionis, & ita paſſiuè concurrit.

*Calor bifariam conſideratur.*

Vbi animaduertendum eſt, calorem bifariam conſiderari poſſe, primo vt eſt in agente, ſecũdum quã rationem cooperatur vnà cum eo, & ab eo dirigitur, & in viuente eſt inſtrumentum animæ: ſecundo modo accipi poteſt, non ampliùs, vt eſt ex parte agentis, ſed vt in paſſum productus, & receptus eſt virtute agentis, & ita eſt diſpoſitio, & obtinet rationem patientis, & hoc pacto non eſt inſtrumentum animæ ante animationem corporis, ſed paſſio ſubiecti tantum, quæ confert ad introductionem formæ, ſtatim autem cum forma introducta eſt, calor relatus ad ſubiectum adhuc eſt diſpoſitio materiæ conferens pro conſeruanda forma in ea, at

relatus ad operationes, eſt inſtrumentum animæ pro eius functionibus obeundis.

Ideo recte dictum eſt ab Ariſt. calorem eſſe nexum, & copulam animæ cum corpore, quod de calore, vt vtroque modo concurrit, veritatem habet, dicitur enim copula animæ cum corpore, quatenus diſponit corpus ad recipiendam, & conſeruandam animam in eo; ſimiliter dicitur copula animæ cum corpore, quatenus per calorem anima iungit ſe operationibus, eaſque in viuente exercet.

*Miſta differunt in participatione caloris.*

Verum miſta differunt inter ſe in participatione caloris, quoniam nō æqualem caloris gradum ſingula expoſcunt; corporibus enim inanimis parum, animatis autem plus, vt Gal. ait 3. de ſimpl. med. fac. cap. 6. & inter hæc plus animalibus, & præcipuè homini, quàm plantis, propter dignitatem eius a natura tributum eſt; quod confirmauit Ariſt. lib. de iuuent. ſen. mort. vit. & reſp. capit. 13. atque hinc eſt, quod animalia actu calida deprehenduntur.

*Calor miſtorum elementaris eſt.*

Et ſunt omnes, & inanimium, & animatorum calores elementares, & eiuſdem generis, non diuerſorum, vt multi perperam arbitrati ſunt, quod aperte declarat Ariſt. dum 2. de anim. t. 41. ignē elementarem ab antiquis animam temere vocatum, vult eſſe animæ inſtrumentum. ſimiliter 4. meteor. in principio Ariſt. referens operationes actiuarum qualitatum, ait illarum eſſe generationē, & permutationem, quæ competit plantis, & animalibus, & horum partibus.

*Calor elementaris nō differt ab innato.*

Ex quo elicitur, gradum caloris elementaris conſtituentem in mixtione temperamentum nullo modo differre a calore innato viuentium, ſi pro ſimplici qualitate accipiatur, ideo in viuente nullus alius calor reperitur, quàm hic, qui elementaris vocatur, moderatus tamen, & hic eſt ille, qui animæ inſeruit, tanquam eius legitimum inſtrumentum, quod etiam apertè confirmat Gal. qui vbique fatetur temperamētum, vel eſſe animam, vel primum eius inſtrumentum, & in tantum ventriculum cōcoquere, in quantum tali temperamento, & non alio præditum eſt, & præſertim primo de preſag. cap. 4. dicens, facultatis eſſentia ſingulorum partium in ſingularum illarum commodo tē peramento poſita eſt. & 2. eiuſd. cap. 2. ait, eſſentiam facultatum perſuaſi ſumus nihil aliud eſſe,

præter qualitatem temperamenti. & ſecundo de nat.fac.capit.9. dum ait,tum quod ſi quis venas,ſiue iecur, ſiue arterias, ſiue cor, ſiue ventriculum, ſiue aliam particulam vllam fungi quacumque actione dicat, ineuitabili neceſſitate cogetur propter certam ex quatuor corporibus temperiem edi actionem ab illa, fateri,& 4. de vſu part.capit.4. ait: Ab innata caliditate coctionem exactam fieri.

*Temperamentū, & innata caliditas nō differunt.*

Téperamētū igitur,& innata caliditas ex ſnīa Gal.ſunt idē, vel diuerſa a ſe pronuntiat.idē confirmat 3. de tēp. c.4.dum ait illam eandem qualitatem temperamentum conſtituentem vnà cū ſubſtantia calidum innatum vocari,ideo lactuca quatenus qualitatē ſolam inducit,temperamentum format, vt verò vnà cum qualitate ſubſtantiam addit,tunc ſubſtantiam calidi innati addendo, & augendo conſtituit, & quamdiu lactuca concoquitur, corpus impenſe calidum refrigeratur,& mediocritatem temperamenti aſſequitur, vbi vero ex ea iam corpus nutritum eſt, inſiti caloris ſubſtantia eſt aucta.& ibid. paulo poſt ait,fit enim calidius,ſiue calorem eius intendas, ſiue ſubſtantiam, in qua prima conſiſtit,inaugeas,ità vt calor pro qualitate ſumptus nullo modo differat a temperamento.

*Calor pro qualitate vnus, pro ſubſtantia multiplex eſt.*

Elicitur ſimiliter errare illos , qui quatuor, quinque,& ſex calorum eſſentiales differentias ponunt in animalibus, quia illæ, ſi calor pro qualitate accipiatur, non ſunt differentiæ , ſed gradus caloris tantum; ſi vero calor pro ſubſtantia accipiatur, tunc non gradu tantum,verum calores illi inter ſe pro diuerſitate ſubiectorum ſpecie,& natura, vt officio differentes ſunt.

Cæterum differunt inanima ab animatis etiam in modo participationis caloris, quoniam inanima propter conſimilitudinem corporis continent calorem per totam eorum ſubſtantiam æquabiliter diffuſum,animata autem propter eorundem diſſimilitudinē illum continent potius, & principalius in tenuiori,& pinguiori eorum parte, in quo magis veges, & efficacior hæret, nam corpora, vt ſubtiliora ſunt, ita etiam ſunt aptiora ad concipiendum calorem,vt vero ſunt pinguiora, ita ad eundem conſeruandū magis valere videntur,vt teſtatur Ariſt.de long.& bre.vitæ cap 3.vt igitur iſta ſubſtantia efficeretur magis idoneum ſubiectum caloris, ideo merito in animatis vtraſque has, & ſubtilitatis, & pin-

*Dotes caloris.* guitudinis dotes conſequuta eſt, nam poſtquam calida eſt effecta per ſubtilitatem, tunc per pinguitudinem nec facile exſiccatur, nec facile refrigeratur.

*Dignitas caloris.* Hæc autem tanto ſolidiori, & craſſiori parte eſt dignior, atque præſtantior, quanto ea eſt tenuior, & magis pinguis, quæ vnà cũ efficaciſſima illa qualitate, qua prædita eſt, calidum innatum vocatur, & eſt humidum illud primogenium, quod & radicale & primum animæ inſtrumentum vocatur, quo plurimum ſemen abundat, & in animalibus euidentius, & copioſius eſt quàm in plantis, eſtque ſingulis partibus viuẽtis proprium, atque particulare quo ad ſubſtantiam, vt & quo ad qualitatem, & operationem, & per illum, qui in corde reperitur, quòd eſt proprium cordis temperamentum, ſi pro ſimplici qualitate accipiatur, facultas vitalis ſeruatur in corde, & ab eo vti ab vberrimo fonte emanat ſpiritus influxus, virtuſque eius vniuerſa tanquam flamma totum fœcundans corpus, eſt enim caloris vitalis vehiculum.

Sic itaque ſi conſideretur calor, vt ſimplex qualitas eſt, in omnibus mixtis tam animatis, quàm inanimatis eſt eiuſdem rationis, & calor elementaris vocatur, quomodo conſiderauit Ariſtot. locis ſupra allegatis, & eſt vnum, & idem cum temperamento partis, in qua reperitur; ſi vero conſideretur vnà cum ſubiecto eius, modo eſt tota corporis ſubſtantia, vt in miſtis inanimis, modo eſt potius ſubſtantia quædam tenuis, & ſpiritnoſa per totum corpus diffuſa, vt in animatis, & humiditas radicalis vocatur, cũ ſolidis partibus ad totius integrationem concurrens, & ideo animata in animalibus. *Humiditas radicalis quæ.*

Quod aperte affirmat Gal. 7. met. cap. 5. & 10. eiuſd. cap. 11. dum iſtius ſubſtantiæ conſumptionem, quã ſiccitatem conſummatam, & inſanabilem appellat, (eſtque conſumptio humidi radicalis, vt multis in locis teſtatur, ſed præcipue prima aphor. 14.) vocat conſumptionem ſolidæ ſubſtantiæ ſimilarium partium, & lib. de marc. cap. 6. eam vocat conſumptionem humiditatis ſolidis partibus innatæ, & ibid. cap. 1. ait ipſius conſumptionem eſſe conſumptionem viuentis corporis.

Si vero non pro ſimplici qualitate accipiatur, tunc differt a temperamento, quia hoc eſt accidens, & ſecunda qualitas ex primarum complexione emergens, illa vero eſt ſubſtantia vnà cum

qualitate iuncta, quam celebriores Philoſophi, & Medici calidum naturale, vel calorem naturalem, nomine accidentis modo concreti, modo abſtracti appellarũt propter efficaciſſimam illam qualitatem, qua inſignitur, & propter admirabilem illam connexionem, quam inſimul & qualitas, & ſubiectum obtinent, nullam enim aliam materiam, ſeu potius ſubiectum calor ille ſibi ſtatuit præter humidam, & pinguem hanc ſubſtantiam. Quæ ſi augeatur, proportionaliter etiam calor augetur, & e contra ſi imminuitur eius ſubiectum, qualitas etiam decreſcit, & ideo qui creſcunt, quoniam in illis plurimum illius humidi primogenij, & pinguis, tãquam proximi principio ſuæ generationis, ineſt, plurimum etiam caloris habent, & propterea plurimo indigent alimento, alioquin corpus eorum abſumitur.

At longe maior in eorum principio ſemine continetur, cuius ſubſtantia aerea, atque aquea eſt, paucam omnino ſubſtantiam terrenam continens; igitur plurimam aeris calidi, humidique in ſe ipſo ſemẽ participat, & vt prima aphor. 14. & lib. de ſemin. paſſim retulit Gal. talis eſt calidi innati ſubſtantia in ſemine.

Hunc autem calorem naturalem definientes, dicimus eſſe animæ corporeum inſtrumentum primum, & immediatum, ex ſpiritu vitali, & ſanguinea ſubſtantia genitum a generante in ſubſtãtia teſtium vna cum ſemine pro formatione animalis, vbi dictum eſt corporeum inſtrumentum, quia vniuersè concurrit, vt eſt corpus proprijs affectionibus præditum, & licet miſtum ſit, tamen non concurrit, niſi vt corpus eſt, vna cum efficaciſſima illa qualitate, a qua numquam ſeiungitur, & ambo ad operandum concurrunt, diuerſimode tamen, quia duplex motus primus, & ſimplex, & immediatus reperitur in rebus, vt ait Galen. ſecundo met. capitulo tertio, & primo de nat. fac. capitulo ſecundo, & primo de loc. aff. cap. 3. motus localis nempe, & alterationis, in animali motus localis fieri non poteſt ſine ſpiritu, & ſubſtãtia innati calidi, ideo illa eſt eius cauſa inſtrumentalis, vt corpus eſt, quo primo, & immediate anima vtitur ad mouendum, & propterea dicitur primum, & immediatum animæ inſtrumentum, qualitas vero ipſi inhærens eſt tantum cauſa ſine qua non, quia licet nihil operetur in motu locali, ſine ea tamen functio non fit.

*Caloris naturalis definitio in ſemine.*

*Motus ſimplex eſt duplex.*

At in motibus alterationis hoc corpus concurrit, vt calidum,

&

& vt quale eſt, ideo caliditas eſt principale inſtrumentum, quia (vt ſupra viſum eſt) ea ad exequenda animæ officia, quæ præcipuè ad motum alterationis attinent, maximè omnium adminiſtrandi vim habet, ſubiectum verò eius erit cauſa ſine qua non tantum.

Dicitur genitum a generante, quia cum in ſemine plurimum contineatur, & ſemen a generante decidat, igitur prima, & ſola huius ſpiritus origo vnà cum ſemine eſt à generante, à quo ſemen producitur, qui verò in animante reperitur eſt animæ corporeum inſtrumentum primum, & immediatum ex ſubſtantia feminea genitum, a virtute formatrice in ipſa animalis conceptione pro edendis operationibus.

*Definitio caloris naturalis qui in animali reperitur.*

Ideo optime Galen. 5. in 6. de morb. vulg. tex. 5. & 7. de plac. cap. 3. & 3. de loc. aff. cap. 7. & 4. eiuſd. cap. 2. & alibi hunc ſpiritum, quem primarium, & immediatum animæ inſtrumentum ad ſenſus omnes, & item ad motus, qui ex appetitione fiunt, de quo an ſit ipſamet animæ ſubſtantia ambigit, audire voluit, ſi de ſpiritu inſito in ipſo cerebri corpore loquatur, cum hic a ſpiritu viuenti inſito non differat, niſi vt differt pars a ſuo toto, vt infra apparebit, & de primo aperte loquens lib. de form. fœt. c. vlt. ſic ait: Maxime vero admirari aliquis poſſet, quomodo natorum ſimilitudo ad parentes efficiatur, rurſus ſi quidem quæ corpus format anima, vtpote in ſemine contenta a parentibus videtur in fœtum prouenire, cuius quidem ſubſtantia quænam ſit affirmare nõ poſſum, cum a quibuſdam audierim, qui (vt aiunt) perſuaſum habent eam incorpoream eſſe, ſimulque cum ſemine introductam. hæc ille.

Nos autem eam vim, quæ corpus format, cum ſit in ſemine, nõ animam, ſed ſpiritum ſemini inſitum, eumque corporeum ab anima directum rectius dicemus.

Si vero loquatur de eo, qui per neruos influit, non ſolum nõ eſt hic ſpiritus, de quo loquimur, ſed nec eſt primum, nec immediatũ animæ inſtrumentum, multo minus an ſit anima ambigendũ eſt, cum vere ſit tantum cerebri inſtrumentum, & ab eo pendens ac ab eodem directum ad ſenſus omnes, & item ad motus, qui ex appetitione fiunt, celebrandos.

*Vis formatrix in ſemine non eſt anima.*

Audacter igitur nos eam vim, quæ corpus format, cum ſit in ſemine, non animam, ſed ſpiritum, eumque corporeum ab anima directum

directum dicemus, cuius origo eſt a generante vnà cum ſemine in ſubſtantia teſtium, at hic nequaquam idem eſt cum eo, qui in fętu animato reperitur, cum iam & forma, & director eius ſit mutatus, nam in ſemine non eſt animatus, ſed eſt tantum inſtrumentũ virtutis formatricis, at in fętu animato hic ſpiritus ab anima conſtituente, & operante animatur, & dirigitur, hoc autem efficitur dum ſemen a virtute formatrice ipſi inſita, quæ eſt virtus generãtis ex maris, & fœminæ ſeminis miſcella conſurgens, ſeu calor, vt a generante motum accepit, in animatum fętum conuertitur.

Et dum hic ſpiritus eſt in ſemine, eſt tenuior, & ſubtilior pars ſeminis, cuius efficaciſſima qualitas, calor nempè, vt inſtrumentũ generantis, facit vt ſemen fęcundum ſit, non tamen eſt ſubſtantia animata, alias ſemina animalium eſſent animalia, ſed eſt tantum in potentia ad concipiendam animam, vt ait Ariſt. 2. de ani. t. 10. & eodem modo ſemina viuere dicuntur, vt idem Ariſtot. ait 2. de gen. anim. cap. 3. quod etiam voluiſſe Galenum credendum eſt, dum lib. de marc. capit. 1. inter genera viuentium connumerat ſemina.

Concipit autem animam vnà cum cæteris ſeminis partibus, dũ a generante mediante calore ſeminis, qui eſt inſtrumentum generantis, adiuuante etiam illo vteri, ita ſemen diſpoſitum eſt donec animæ ſubiectum euaſerit, in quo inſtanti cum per ſubſtantialem tranſmutationem ſemen in ſubſtantiam viuentem, & actu animatam tranſeat; ideo etiam deſinit eſſe ſemen, & ſimul & ſemel etiã cum eo deſinit eſſe virtus formatrix, quæ eſt virtus generantis, & vt eſt in ſemine propriè eſt calor, vt a generante motum formationis accepit, actuque in eo reperitur, vt vero anima eſt, virtute tantum in ſemine exiſtit.

*Spiritus, q. eſt in ſemine quõ animam concipiat.*

Ideo virtus formatrix, quæ a generante manat, in fętu formato nõ reperitur, cum ipſa ſit virtus ſeminis, quod iam corruptum eſt, & deſijt eſſe, & propterea fętus tũc regitur a propria anima, a qua actum vitæ recepit, quæ eſt eſſentia valde diſtincta a virtute generantis, illa enim eſt forma dans eſſe fętui, hæc vero cauſa efficiens fętus.

Neque mirum videri debet, (vt pleriſque viſum eſt) quod virtus formatrix poſt formationem fętus recedat, quia cauſa agens, vt agens & producens eſt, non concomitatur rem effectam, ſed

*Virtus formatrix poſt formationem recedit.*

eſſe-

effectionem ipſam tantum, ideo poſt opus productum, cum nihil amplius operari debeat, iure deſinit eſſe, ne detur otioſum in natura: præterea in fętu cogitur deſinere, quia eſt virtus ſeminis, & calor vt a generante motus, at ſemen adueniente forma fętus corrũpitur, ergo cogitur corrumpi quicquid in eo continebatur.

Et ſi quis quærat, quomodo ſpiritus in ſemine contentus, qui eſt inſtrumentum animæ, & ideo ad cauſam efficiẽtem reducitur, nunc poſſit ſimul, & ſemel eſſe materia ſubſtrata, in quam agens agat, non enim malleus in ſecuris cõſtructione tranſit in ſecurim, aut in ſubiectum operationis, cum inſtrumentum non coincidat cum materia, ideo non videtur, quod ſpiritus poſſit eſſe inſtrumentum animæ, & quòd ſimul & ſemel reſpectu eiuſdem actio terminetur in illo, vt in materia ſubſtrata; non igitur ſpiritus animatur vnà cum reliquis partibus adhuc manens inſtrumentum.

Huic reſpondetur, quod in generatione fętus, qui eſt motus ad alterationem attinens, cauſa inſtrumẽtalis generatrici inſeruiẽs, nõ eſt ſpiritus vt corpus eſt, ſed vt calor tñ qui virtute generãtis materiam tranſmutat ideo ſpiritus, vt corpus eſt, cum in hac operatione nihil agat, nequaquam concurrit vt inſtrumentum, ideo optimè poteſt ſubſterni virtuti alteratrici, & ab ea animari.

*Quo ſpiritus ab anima animetur, & actum vitæ recipiat.*

Præterea accedit, quòd quantum attinet ad ſpiritus animationem, ipſe ante eam fuit inſtrumentum animæ, ideo tantam affinitatem cum ea contraxit, vt in eo parua vlterior elaboratio fuerit neceſſaria, ad hoc, vt diſponeretur ad animam concipiendam, quaſi ſola relatio ad corpus organicum, ideo ſtatim cum corpus animalis fuerit debitè organizatum, tunc anima aduenit corpori, & ita totum corpus vnà cum ſpiritu innato animatur, vt ſpiritus prius eſſet indiſpoſitus ad animationem quaſi per ſolam indiſpoſitionem partium, quæ nondum erant organa, perfectè autem ſpiritus diſponitur ad concipiendam animam, dum iungitur, atque vnitur partibus organicis.

*Quid ſpiritus in animali operetur.*

Ideo hic ſpiritus ſimul, & ſemel actu animatus, & pars viuentis effectus, primo vt qualitas eſt conſeruat animam in corpore geniti, ſimiliter vt qualitas eſt inſeruit eidem, vt eius inſtrumentum pro obeundis functionibus ad alterationem attinentibus, deinde vt corpus eſt inſeruit eidem animæ pro functionibus obeundis, quæ ad motum localem attinent.

Nec

Nec eſt, quod quiſpiā hæſitet, an hic ſpiritus in genito ſit animatus, quia quemadmodum extremæ dementiæ eſt arbitrari ipſum eſſe animam, vt perperā Galenus, & Stoici arbitrati ſunt, ita grauiter hallucinātur, qui credunt hunc ſpiritum eſſe primum animæ inſtrumentum, & non eſſe animatum, nam illud animatum eſt, quod alitur, & nutritur, at ſpiritus hic alitur, & nutritur, vt Galen. ait. 3. de ſimp. med. facult. cap. 6. & 3. de temp. cap. 4. ergo ſpiritus eſt animatus. *Spiritus eſt animali animatus eſt.*

Præterea ſi anima eſt in calore, vt fatetur Ariſt. ergo erit in ſpiritu, qui eſt ſubiectum caloris, ergo ſpiritus erit animatus. Tertio ſi ſpiritus eſt primum, & immediatum animæ inſtrumentum, vt vbique decantatur, ergo anima primo mouet ſpiritum, qui niſi eſſet animatus, anima eſſet primo motrix corporis inanimati, & ita primò, & immediatè moueret corpora, quorum ipſa non eſt motrix, quod eſt abſurdum, ſi verò aliquis ſpiritus moueatur, qui nō ſit animatus, vt eſt ſpiritus influens, hic non mouetur primo, & immediatè ab anima, ſed a corpore animato, & hinc eſt, quòd ſpiritus hic influens, qui & vitalis dicitur, ſequitur motum cordis, & arteriarum, & eo motu deficiente, deficit & motus ſpiritus.

Ideo rectius eſt vt dicamus, quod illud eſt primò animatum, quod immediatius, & intimius animæ inſeruit, ſed inter inſtrumenta animæ intimior, & immediatior eſt ſpiritus, cum ſit primarium, & immediatum eius inſtrumentum, ergo ſpiritus eſt animatus, imò implicat contradictionem dicere inſtrumenta animæ nō eſſe animata, quia anima eſt actus corporis, id eſt, eſt actus, & perfectio, & forma inſtrumentorum eius, ergo eius inſtrumenta ſunt animata, cū ipſa ſit actus, & perfectio, & forma eorum, igitur multò magis erit actus, & forma illius corporis, quod eſt primum, & immediatum eius inſtrumentum, qualis eſt ſpiritus inſitus. *Quid ſit primo animatum in animali.*

Qui licet ſit ſubſtantia a prædominio aerea, & aquea vt ait Gal. prima aphor. 14. non tamen eſt vbique ſibi ſimilis, ſecundū ſubſtantiam, ſed differens pro diuerſitate partium, vt ait Ariſt. 5. de gener. ani. cap. 6. & Gal. 5. de ſimpl. med. facult. capit. 9. & 10. meth. c. 11. alia enim eſt ſubſtantia ſpiritus inſiti ſeminis, & alia viuentis, & partium viuentis, alia eſt ſubſtantia ſpiritus, qui in neruo reperitur, alia eius qui in membrana, & alia eius, qui in oſſe, quia aliam elementorum proportionem vnaquæque corpo- *Spiritus eſt ſubſtantia aerea.*

ris

ris pars nacta eſt, & membrum vnumquodque ſuum habet calorem ſecundum ſubſtantiam, licet quò ad qualitatem, quilibet ſit elementaris; Et dicitur inſitus, ad differentiam ſpiritus influxi, qui dicitur influxus ſeu flamma, quia aliunde, nempe a corde influit, inſitus autem eſt in propria parte, cuius eſt, quam nunquam deſerit, ſed totam imbuit, atque omnino illi infixus, & implantatus, ac per vniuerſam eius materiam extenſus eam implet, atque perfundit, non naſſæ, ſeu reticulæ inſtar, vt Plato voluit, contextus, ſed totus cum toto commiſtus, corpulentiæ, & craſſitudinis corpore, tanquam corporea, corruptibiliſque ſubſtantia quædam ex ſe immobilis exiſtens, vt corpus eſt, quàm maximè tamen animæ motibus obtemperare valens, ideo eius motus non eſt per ſe indeſinens, atque perennis. Nec obſtat quod ſcribit Gal. lib. de tre. pal. con. & rig. c. 6. dicens, quare ſi ſubſtantiam per ſe, & ſemper mobilem ipſum intelligas, haud errabis, quia ipſe per calorem, quem ex vna parte primum, primogenitum, & inſitum, at ex altera parte ſubſtantiam ſemper mobilem appellat, intelligit vtrumque, inſitum nempe, & influentem, quos confuſe, & in communi accepit.

Nos autem, qui eum ſubſtantiam partibus viuentis infixam, & immobilem vocauimus, de inſito tantum, vt ab influente ſeu flamma diſtinguitur, locuti ſumus.

*Spiritus non eſt ſubſtantia ſemper mobilis.* Ceterum licet calor pro aggregato ex vtroque ſit ſubſtantia mobilis, non tamen eſt ſemper, & per ſe mobilis, verum Gale. perpetuo animæ eſſentiam ignorans, arbitratus eſt animam nihil aliud eſſe, quàm hunc calorem, vt ibid. expreſſe manifeſtat dicẽs, calorem autem non acquiſitum, neque animalis generatione poſteriorem, verum ipſum primum, primogenitum, ac inſitum, ac natura ſanè, & anima nihil aliud, quam hic exiſtit. idem repetit lib. de vtil. reſp. cap. 5. quod etiam Hippocratem exiſtimaſſe ſimiliter teſtatur 5. in 6. de morb. vulg. t. 5.

*Anima eſt numerus ſeipsũ mouens.* Si igitur anima (vt ipſe putat) nihil aliud eſt, quàm hic calor, ſimiliter anima, ſententiam Platonis inſequutus, eſt numerus ſe ipſum mouens, vt 12. meth. cap. 5. aſſerit, & ideo ſemper mobilis, ergo ſequitur ex eius ſententia, calorem eſſe ſubſtantiam ſe ipſam mouentem, & perpetuo mobilem.

Nos autem, qui præter hunc calorẽ, aliam eſſe animæ ſubſtantiam,

tiam,

tiam,& illam diuino numine edocti homini immortalem firmiter tenemus, licet eius quidditas explicatu perquam difficilis ſit, de qua nihil vltra cognouit Ariſt.niſi quod ſit corporis actus vitalis, & operationum principium, ideo ſaltem eam dicemus eſſe ſubſtantiam incorporeã & eſſentiam animalis conſtituentem,& operationum viuentis primum, & præcipuum principium, calorem vero & ſpiritum illum inſitum, & ſingulis partibus implantatum eſſe ſubſtantiam corpoream, & immediatum animæ inſtrumentum, & ab ea primo motum, quia cum anima mediante illo ſpiritu,& calore viuenti corpori hęreat,illudque moueat,igitur neceſſe eſt quod calor,& ſpiritus ſit primo motus,ſaltem prioritate originis,nullum enim corpus mouens eſt immobile. *Anima quid Ariſtoteli.*

Quod ſi quis quærat,quomodo calor,& ſpiritus moueantur ab anima,per contactum virtutis moueri reſpondendum eſt;& ſi quo motu moueatur quis interroget,tunc diſtinguendum eſt,vel enim primo calor,& ſpiritus conſideratur,vt inſtrumentum gratia operationis animæ,& ita ſe tenet ex parte agentis:vel ſecundo conſideratur,vt ſubiectum operationis animæ,vel potius corporis animati, & vt corpus, in quod operatio recipitur, & ita ſe tenet ex parte materiæ; ſi primo modo conſideratur calor, tunc vel operatio producta in corpore viuente eſt alteratio, & ita calor concurrit ſolum,vt qualitas eſt,& moueri dicitur ab anima,quatenus ſolum ab ea virtutem,& poteſtatem recipit agendi, ita vt quicquid calor operatur,id omne in animæ vim,& facultatem referendum ſit, vel operatio producta in corpore viuente eſt motio ſecundum locum,& ita calor concurrit vt eſt ſubſtantia,& corpus, quod rectius calidum vocatur, & ſpiritus, & ita localiter primo mouetur ab anima, quia nullum corpus mouens eſt inmobile, deinde eo mediante cętera membra localiter mouentur. *Quomodo calor & ſpiritus moueatur.*

Hic autem motus,localis membrorum eſt duplex vel naturalis, vel voluntarius,vt lib.de tre.pal.con.& rig.cap.2.ait Gal.ſi naturalis hic eſt vel magis, vel minus euidens, quælibet enim pars viuens attractrice,retentrice,concoctrice,& expultrice facultate regitur,;& gubernatur, quarum vnaquæque (concoctrice excepta) localis motus dicitur,(neque huic repugnat Auicen.lib.1.fen.1.doct.6.cap.3.quia ibi ille noluit concoctionem,vt quidam ei falſo imponunt,eſſe motricem,quia vt pars concoquit,localiter non *Motus localis membrorum eſt duplex vel naturalis, vel voluntarius.*

mouet,

mouet,cum concoctio quiete potius perficiatur, concurrit autem motus,& ante,& in ipſa coctione,& poſt concoctionem,attractrice,retentrice,& expultrice ipſi concoctioni opem ferente)ergo ad eorum munera obeunda locali motu continuo egent, quemadmodum continuè earum operationes exiſtunt in viuente corpore, licet earum motus aliquando ita obſcurus ſit, vt ſenſum effugiat,vt Gal.eod.lib.de tre. palp. con. & rig. cap. 3. ait, interdum adeo euidens, & manifeſtus, vt ſit nihil magis; quemadmodum eſt in principe omnium parte, quæ omnium motuum naturalium origo, & principium eſſe debebat, quale eſt cor, quod ſenſibili & perpetuo agitationis motu cietur.

*Cor eſt origo omniũ motuũ naturalium.* Nam facultas vitalis, quæ cordi ineſt, intendens tum ſpirituũ influentium generationem, tum eorum per corpus diſpenſationem,per proprium temperamentum,adiuuante tamen innato calore,& coadiuuante pulſifica facultate eos producit,& productos per eandem facultatem pulſificam,qua vtitur,per vniuerſum corpus diſpenſat, nam virtus pulſifica vtrique neceſſitati, a quibus excitatur, ſatisfacit, mouens, vt ſola facultas eſt, primo ſpiritum inſitum cordis, hic autem motus vnà cum ea mouet totum organum,nempe cor, deinde virtus pulſifica, vt aggregatum ex facultate, & organo,pulſum moliendo ſpiritum influentem primo agitando eius generationem adiuuat, deinde illum per totum corpus diſtribuit, atque diſpenſat, & hæc de motu locali vt naturalis eſt. Vel motus hic localis eſt voluntarius, & hic pariter primo per ſpiritus motos à facultate motrice perficitur, & abſoluitur.

*Motus localis voluntarius.*

Vel ſecundo conſideratur calor, non vt inſtrumentum gratia operationis animæ, ſed vt ſubiectum operationis in eo productæ à virtute animæ,& ita calor vt corpus,quod rectius calidum dicitur,mouetur omnibus motibus,mouetur enim motu locali,(vt ſupra dictum eſt)mouetur etiam motu alterationis, cum vt Gal.ait de cur. rat. per ſang.miſſ. cap. 5. ſpiritus modo calidiores, modo frigidiores,modo humidiores,modo ſicciores,& de ſecũdis qualitatibus loquẽdo,modo tenuiores,modo craſſiores reddantur,mouentur motu augmentationis,quia cum ſint animati,& pars corporis viuentis,igitur nutriri,& augeri poſtulant,vt reliquę partes animatæ,mouentur motu generationis & corruptionis,quia con-

*Calidum omnibus motibus mouetur.*

ſtant

ſtant ex materia,& contrario, ideo abire, & ob vitæ neceſſitatem redire debent per continuam ſubſtantialem tranſmutationem eorum.

*SPIRITVS INSITVS RECTIVS DICITVR moueri a ſe ipſo, cum ſit corpus animatum, quam ab anima, & licet non ſit corpus organicum, poteſt tamen anima eius actus eſſe. Caput Sextum.*

SED quoniam dictum eſt animam primo mouere ſpiritum inſitum, & hoc ſpiritu mediãte animam poſtea mouere corpus; Ideo maxima dubitatio inſurgit, quomodo anima ex ſe poſſit eſſe ſufficiẽs ad mouendum, non enim ea ſola poteſt mouere corpus, aut aliquam aliam motionem in animante perficere ſine corpore, cum ſit forma, & ſit actus corporis organici, & det ei eſſe, & operari, & propterea actiones ſunt ſuppoſitorum, & habentis animam, non autem ſolius animæ, vt teſtatur Ariſt. 1. de anima, c. 12. & 64. Dicere enim iraſci animam ſimile eſt, ac ſi quis dicat eã texere, vel ædificare, melius igitur fortaſſe eſt non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut cogitare, vel hominem per animam. Augetur dubitatio, quia videtur etiam præter hæc, quod ſuppoſitum, ſeu coniunctum non poſſit producere operationem, niſi ſit corpus organicum, atque corpus diſſimilium partium, & propterea definitur anima, actus corporis organici, & diſſimilium partium.

*Actiones ſunt ſuppoſitorum.*

*Anima eſt actus corporis organici.*

Confirmatur, quia animal non poteſt ambulare ſine pedibus, & apprehendere ſine manibus, quæ ſunt inſtrumenta diſſimilium partium; Ideo Ariſt. 2. cœli, c. 50. dixit, ſi ſtellæ deberent moueri aliquo motu præter motum orbium, natura illis elargita eſſet inſtrumenta motus, per hæc intelligens heterogeneitatem partium, non igitur ſufficit ſuppoſitum, nempe compoſitum ex anima, & corpore, ſed neceſſaria eſt heterogeneitas compoſiti.

Idem confirmat tertio de anima, cap. 45. vbi ait, ſi plantæ deberent moueri motu progreſſiuo, natura tribuiſſet illis inſtrumenta motus.

*Potentia agens acq rit corpus organicũ.* Similiter Ariſt. 1.de Hiſt.anim.cap.4.& 2.de part.anim.cap.1. ait potentias agentes requirere inſtrumẽta diſſimilium partium, talis eſt potentia mouens ipſos ſpiritus inſitos, ergo anima ſine corpore, & præter hæc ſine inſtrumento diſſimilari, cum ſit actus corporis organici, nullam operationem abſoluere poteſt, ergo non poterit mouere ſpiritus inſitos, qui ſunt corpora conſimilium partium.

Quidam viri docti reſpondent huic dubitationi, quod ſpiritus incipiunt primo moueri, quia continenter mouentur, & facile mobiles ſunt, ideo facile eſt, vt accipiant aliquam formam motus, eãque ſeruent, quæ reſponſio accipienda non eſt, quia ipſi, & nos vnà cum eis, quærimus cauſam efficientem motus, nempe a quo mouente ſpiritus moueantur, & ſi mouentur ab anima, quærimus quomodo hoc fieri poſſit, cum actiones conueniant ſuppoſitis, quæ præter hæc debent etiam eſſe corpora diſſimilium partium; at iſti pro cauſa efficiente aſſignant patientem, nempe aptitudinem, & facilitatem mobilis, modo aptitudo, & facilitas mobilis ad materiam reducitur, non ad cauſam efficientem, ſine qua, quantumcumque mobile facile moueatur, numquam tamen mouebitur.

*Spiritus a ſe ipſo mouetur.* Ideo dicamus nos, cum ſpiritus inſitus ſit animatus, vt ſupra patuit, ideo a ſe ipſo moueri, quemadmodum proprium animatorum eſt, & propterea actio eius dicitur actio ſuppoſiti, non enim in corpore animato datur diſtinctus motor, & diſtinctum mobile, ſed totum eſt motor, & mobile, ideo totum a ſeipſo mouetur, & motus eſt actio ſuppoſiti, in quo motu anima habet primam rationem mouentis, & corpus habet primam rationem mobilis, totum vero vtramque, non tamen primam.

Et dum addebatur, quod non ſolum anima per ſe mouere non poteſt ſine corpore, imo nec ſine inſtrumento corporeo diſſimilari, cum anima ſit actus corporis organici, & diſſimilium partium, & quod ſtellæ, & plantæ, quæ ſunt corpora animata, ſi debent aliquo motu moueri, requirunt inſtrumenta motus.

*Quomodo intelligatur animæ definitio ab Ariſt. tradita.* Reſpondetur, quod dum Ariſt. ait animam eſſe actum corporis organici, per corpus organicum intelligit totum corpus viuens, ac mortale, vt eſt aggregatum quoddam plurium partium, quæ neceſſario requirebantur, vt inſtrumenta diuerſarum operationum viuenti

viuenti neceſſariarum, quæ nullo pacto ſeruari poſſunt in ſimplicitate, & conſimilitudine corporis.

Cum igitur mortalia pluribus ad vitam egeant operationibus, quæ per partes ſimplices abſolui non poſſunt, ideo hac ſola ratione corpus viuens neceſſario debuit eſſe organicum, ita vt neceſſitas diſſimilitudinis in partibus viuentium non pendeat a conditione animæ, ſed a conditione operationum, quæ diuerſæ ſunt, at ſi ſimplices eſſent, in parte ſimilari etiam ſeruarentur, ideo motus ſtellarum ſeruatur in corpore ſimplici, qui ſi progreſſiuus eſſe debuiſſet, cum ita non ſimplex, ſed compoſitus fuiſſet, natura etiam inſtrumenta motus diſſimilaria eis paraſſet.

Quare Ariſtoteli non videtur abſurdum, animam in corpore diſſimilium partium partem quamdam ſimplicem ſibi ſtatuere poſſe, in qua primo inſit, & ideo aſſeruit eam in calore conſiſtere, pro quo ſpiritum calore præditum intelligit, & hic a ſe mouetur, vt alias partes mouere poſſit.

## *EX MVLTIPLICE GENERE ACTIONVM ad motum localem attinentium demonſtratur animam poſſe mouere ſpiritus. Caput Septimum.*

CAeterum duplex actio ad motum localem attinens reperitur, alia ſimplex, alia compoſita, ſimplex eſt illa, quæ in ſui eſſentia excludit omnem motus compoſitionem, ſiue ſit generis, vt ex motu recto, & circulari, ſiue ſit ſpeciei, vt ex recto & recto, vel ex circulari, & circulari, & pendet ex ſimplicitate, & vnitate mouentis, & mobilis, & ex vniformitate ſpacij, in quo mobile mouetur, compoſita vero facile patet ex intelligentia ſimplicis. *Duplex actio reperitur.*

Vtraque actio tam ſimplex, quam compoſita eſt duplex, nam alia eſt perfecta, & vltima; alia ſubordinata ad perfectam & vltimam. actio ſimplex perfecta, & vltima eſt illa, quæ alicui corpori ſimplici competit, vt circularis motus cœlo, & rectus elementis, qui, vt late patet in phyſicis, ſunt ſimplices, & dicuntur perfecti, & abſoluti, quia non ordinantur ad vlteriorem motum, actio vero ſimplex, ſed ſubordinata, eſt illa, quæ alicui corpori ſimplici com- *Vtraque actio adhuc eſt duplex.*

petit ob vlteriorem motum, talis eſt motus ſpirituum inſitorum; dum à ſe ipſis mouentur, vt per illum tamquam per præcedentem, ac inchoatam quandam motionem, intendat motum membrorum in gratiam vitæ animalium, & hæc de actione ſimplici tam vltima, quam ſubordinata ad vltimam.

Idem dicendum eſt de compoſita, quæ ſimiliter eſt duplex, alia perfecta, & vltima; alia ſubordinata ad perfectam, & vltimam, nam motio digiti eſt actio compoſita, quia eſt dilatatio, & conſtrictio attinens ad totum digitum, vt pars diſſimilaris, in qua mouent muſculi, connectant ligamenta, firmant oſſa, deferunt facultatem nerui, mouetur tandem totus digitus motu dilatationis, & conſtrictionis, non tamen hoc eſt, quod à natura pro actione perfecta, & vltima intenditur, ſed eſt apprehenſio, quæ fit à tota manu, quam adiuuat motus digiti, idem dicendum eſt de inceſſu, & cæteris motibus.

*Actio ſimplex & ſubordinata in ſimplici mobili ſeruatur.*

Cum igitur illa actio, quæ ſpiritui animato competit, dum à ſe ipſo mouetur, ſit ſimplex, & ordinata ad vlteriorem motum, vti ſimplex, non ſecus, ac illa, quæ corporibus ſtellarum conuenit, poteſt ſeruari in ſimplicitate partium mobilis, quod actioni compoſitæ ſiue perfecta ſit & vltima, ſiue non, conuenire nullo modo poteſt.

At ſi ſtellæ debuiſſent compoſitam actionem edere, qualis eſt motus progreſſiuus, tunc natura illis inſtrumenta paraſſet, vt ait Ariſt. in locis præallegatis, idem de plantis dicendum eſt, quæ ſunt quidem corpora diſſimilium partium ob neceſſitatem ſuarũ operationum, at non greſſilia, ideo inſtrumenta progreſſionis non habent, quæ ſi progredi debuiſſent, natura, quæ in neceſſarijs non deficit, nec abundat in ſuperfluis, ſed omnia ſapienter agit, ac ſuauiter diſponit, illis etiam inſtrumenta motus progreſſiui paraſſet, ait quia talis actio non conueniebat eis, ideo natura talia organa deſpexit, non enim illa facit operationes in rebus propter organa, ſed è conuerſo, vt aſſerit Ariſt. primo de part. an. c. 5. & Gal. 1. de plac. c. 8. & 1. meth. cap. 9. & 14. eiuſd. c. 14. fecit organa propter operationes.

*Spiritus ſũt primo moti à ſe ipſis.*

Quare concludendum eſt quod ſpiritus ſunt primo moti, & mouentur à ſe ipſis, cum ſint animati, nec requirunt corpus organicum ob ſimplicitatem ſuæ actionis, non ſecus ac requirat cæ-

lum,

lum, & dum dicitur quod potentiæ agentes, quæ ſunt motiuæ ſecundum locum, requirant, vt ait Ariſt. primo de Hiſt. an. c. 4 corpus diſſimilare.

Dicamus Ariſt. intelligere de potentijs abſolutis animalium non de ſubordinatis. Idem confirmauit Gal. lib. de conſt. art. med. cap. 4. & 5. dicens, igitur inceſſus actio eſt totius cruris, cui tamen ex partibus omnibus, e quibus crus conſtat, muſculorum præeſt genus.

*Ad actiones inſtrumentales quid concurrat.*

Et ideo non poſſumus aſſerere ad apprehenſionem primo concurrere partem ſimilarem, vt male quidam recentiores alioquin præclariſſimi viri arbitrati ſunt, quemadmodum nec poſſumus aſſerere ad inceſſum primo concurrere partem ſimilarem, cum inceſſus ex Ariſt. ſententia ſit actio potentiæ agentis, quæ requirit inſtrumenta diſſimilium partium, & ex Galeni authoritate ſit actio totius cruris, quod eſt corpus diſſimilare.

*Actioni inſtrumentali quid præſit.*

Bene verum eſt, quod licet ſit actio totius cruris, tamen huic actioni ex omnibus partibus cruris motiua (vt ait) muſculorum actio præeſt, non enim inceſſus fieri poteſt, niſi vna quædam pars, muſculus nempe, per propriam actionem primo, & principaliter ad mouendum concurrat, poſtea oſſa, cartilagines, adeps, glandulæ, arteriæ, cutis, venæ, membranę, & ligamenta habeant à muſculis motus initium.

Ideo ibidem ſubdit Gal. quare motio pedis actio eſt ad muſculum attinens, & notanter dixit motio, non inceſſus, quia motio vt motio, eſt pendet a muſculo, inceſſus autem, vt inceſſus eſt, eſt a toto crure, cæteræ verò partes, vt recipiunt motum a muſculo, ita motioni fauent per propriam earum actionem, nempe oſſa fauent motioni firmitudinem præſtando, ligamenta connectendo, nerui facultatem deferendo, & ſic de ſingulis partibus, vt optimè ibid. & ſecundo meth. c. 6. refert Gal.

*Ad actionē inſtrumentalem concurrit pars organica.*

Patet igitur ad apprehenſionem, & ad quemlibet alium motum localem abſolutum celebrandum concurrere partem inſtrumentalem, non autem ſimilarem, niſi quatenus pars ſimilaris concurrit ad conſtructionem inſtrumenti, quod eſt per accidens, quia quod conuenit alicui per partes conuenit illi per accidens.

*Actiones oēs a ſimilaribus fieri q̃uo intelligatur.*

Nec obſtat quod ſcribit Gal. eodem ſecundo meth. c. 6. quod actiones omnes à ſimilaribus corporibus proficiſcuntur, quia ibi

Gal. loquitur de actionibus vt inchoant, non vt perficiuntur, quia & apprehenſio, & inceſſus inchoat ab aliquo motu, qualis fit a muſculorum fibris, quæ ſunt partes ſimilares, ideo licet motus factus, nec ſit apprehenſio, nec inceſſus, vterque tamen inchoat ab illo, non enim manibus apprehenderemus, nec cruribus incederemus, niſi muſculi manus, & crura mouerent.

Cum igitur hic Gal. loquatur de actionibus vt inchoant, non eſt mirum ſi aſſeruerit omnes actiones a partibus ſimilaribus fieri, quemadmodum vbi Gal. locutus eſt de actionibus vt perficiuntur, clarè ſtatuit eas fieri à partibus inſtrumentalibus, ideo lib. de conſt. ar. med. cap. 5. ait, igitur inceſſus actio eſt totius cruris. & primo de tuen. ual. cap. 5. ait, id potius attinet, vt illud pro hypotheſi ſumētes, quod in naturali corporis noſtri conſtitutione illa ſeruanda maxime ſunt, quorum beneficio functiones obeamus, ac illud memoria repetentes, quod ſimilarium quidem partium eucraſia, inſtrumentalium forma, poſitura, numerus, & magnitudo functionum ſunt cauſæ, idem confirmat primo de vſu part. c. 5. 6. 7. 9. & alibi pluries.

Quod etiam ante Gal. confirmauit Ariſt. 2. de part. an. c. 1. dicens, vis enim ſentiendi ſita eſt in ſimilaribus, actiones autem per diſſimilaria adminiſtrantur: vbi per vim ſentiendi intelligit potentiam alterantem, per actiones vero intelligit motus locales a potentijs agentibus, & ſecundum locum mouentibus productas, & paulo poſt ait, ſed cum vis ſentiendi, vis mouendi, vis nutriendi eodem in membro contineantur, quod alio loco explicatum à nobis eſt, ſit neceſſario, vt membrum, quod primum principia eiuſmodi teneat, id & ſimplex eo debeat eſſe, quia omnium capax ſenſibilium eſt, & diſſimilare, quia mouens, & agens eſt, & primo de Hiſt. ani. cap. 4. ait, tactus itaque in parte ſimilari conſiſtit. & paulo poſt ſubdit, omnibus tamen parte ſimilari ſenſum hunc contineri certum eſt.

Sed his addamus nos, quod actiones motiuæ ſubordinatæ tamen ad vlteriorem motum in animali, vt ſunt ſimplices, a parte ſimilari etiam proficiſcuntur, vt oſtenſum eſt.

*Duplex actionū genus reperitur.* Quibus ſic expoſitis duplex actionum genus in mouentibus ſecundum locum colligere licet, alterum enim eſt ſubordinatum ad vlteriorem motum, alterum vero abſolutum, ſubordinatum eſt duplex,

duplex, alterum pendet à motore incorporeo, & ideo ánima mouet ſpiritus, alterum pendet á motore corporeo, quod adhuc eſt duplex, aliud ſeruatur in motore ſimilari, ideo ſpiritus mouent membra, aliud ſeruatur in motore diſſimilari, & eſt motio digiti, dum manui inſeruit ad apprehendendum; Abſolutum vero genus in parte diſſimilari tantum reperitur, vt inceſſus in cruribus.

Similiter vtrumque actionum genus, quod patribus ſecundum locum motiuis, vel partibus facultati motiuæ inſeruientibus competit, adhuc eſt duplex, vt optime docet Gal. eod. lib. de conſt. art. med. cap. 5. alterum primarium, alterum vero ſecundarium, vtrũque competit quidem partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus, ſed diuerſimode, quia ſpiritui competit mouere per ſe, & primario, ideo ſpiritus per ſe mouent membra, verum parti ſimilari, vt parti muſculi competit mouere per accidens, & ſecundario, cum ſit pars muſculi membri diſſimilaris, mouentis per ſe, & primario, & parti ſimilari, nempe oſſi primário competit firmare, & ligamento connectere, & ſic de cæteris partibus ſimilaribus ſimiliter ſuo eorumdem modo, quæ licet motiuæ non ſint, ei tamen per proprias earum actiones inſeruiunt. at illiſmet ſecundario, & per accidens competit apprehendere, quatenus ſunt partes manus, & incedere quatenus ſunt partes cruris, quibus vt membris diſſimilaribus per ſe, & primario competit apprehenſio, & inceſſus, vt Ariſt. ait 4. Phyſic. t. 32.

*Vtrunque genus aliud eſt primariũ, aliud ſecundarium.*

Abſolutæ igitur potentiæ actiuæ attinentes ad motum localẽ nullo pacto in parte ſimilari ſeruari poſſunt, at abſolutæ potentiæ paſſiuæ ad motum localem ſimiliter attinentes perfectè in parte ſimilari ſeruantur, ideo caro, & os a muſculis motum recipiunt, idem aſſerendum eſt de abſolutis potentijs actiuis, non amplius motiuis, ſed alterius generis, vt alteratiuis, quia iſtæ etiam ſeruãtur primo, & perfectè in parte ſimilari, nam caro, & os, & quælibet alia pars ſimilaris per proprias, ac ſibi innatas vires ſimilem ſibi ſubſtantiam generat, & in ſenſorijs viſiuá, auditiuá, & ſic de reliquis, quæ ſunt actiuæ, vt iudicant ſenſationemque perficiunt, & vt quælibet eſt actiua in parte ſimilari, vt Galen. primo, & ſecundo meth. cap. vtrobique 6. affirmat, conſiſtit, vt viſiua in cryſtallino, auditiua in fine meatus audiendi, vbi neruo dilatato coniungitur, vt primo de ſympt. cauſ. cap. 3. habetur, quod cum ita

*Abſolutæ potẽtiæ actiuæ ĩ parte ſimilari an ſeruantur.*

ſit de potentijs abſolutis tam actiuis, vt alteratiuis, quàm paſſiuis, vt mobilibus.

Ideo multo audacius aſſerendum videtur potentias ſubordinatas ad totum corpus mouendum, tamquam minus perfectas poſſe ſeruari in partibus ſimilaribus, tam ex parte mouentis animæ, quam etiam ex parte ſpirituum motorum ab eâ, quo enim actio eſt ſimplicior, eo minus compoſitum, ac ſimplicius inſtrumentum ei ſufficere poteſt, vt ſunt ſpiritus, a quibus inter corpora motus incipere debet, neceſſe enim eſt ſi anima debet mouere corpus per medios ſpiritus, quod ſpiritus ipſi ſint primò moti, & ab illis primo ab anima motis ſequatur motus aliarum partium.

Non igitur mirum videri debet, ſubſtantiam corpoream ſimplicem, ſpiritum nempe, qui pars ſimilaris eſt, poſſe a ſe ipſa, moueri abſque alio corporeo inſtrumento mediante.

A quo nodo cum quidam ſeſe expedire non valuerint, vt ſeruarent animæ definitionem ab Ariſt traditam, nempe quod ſit actus corporis organici, dixerunt per ſpiritum inſitum, ſeu per calorem, quem fatentur debere primo ab anima moueri, intelligendum eſſe totum corpus organicum naturali calore præditum, confirmantes ſuam ſententiam per verba Ariſt. dicentis, animam participari a calido naturali, quod concretum eſt, & ſubiectum.

At iſti grauiter hallucinati ſunt, quia licet calidum naturale ſit concretum, non tamen concretum dicit ſubſtantiam organicam, & diſſimilium partium, vt anima requirit, igitur nihil eſt, quod nos pro organico, accipiamus calidum naturale, cum non ſit organicum, ſed concretum tantum.

*Calidũ naturale eſt vinculum animæ cũ corpore.*

Præterea ſi per calidum naturale Ariſt. intelligeret totum corpus organicum, quomodo quæſo diceret in lib. de reſp. cap. 4. calidum naturale eſſe vinculum animæ cum corpore? nam manifeſte ibi ponit duo extrema, quæ ſunt anima, & corpus, hæc autem ſimul iunguntur virtute tertij, ergo diſtinguũtur a calore naturali, ſecus corpus organicum reſpectu eiuſdem eſſet copula, & copulatum; nexus, & connexum, quod eſt abſurdum.

Præterea Ariſtot. ibidem vocat calidum naturale primum animæ inſtrumentum, at primum dicit relationem ad alterum, ergo præter calorem hunc naturalem, qui eſt primum animæ inſtrumentum, datur aliud corpus, quo vtitur anima poſt primum in-

ſtrumentum; non igitur per ſpiritum, ſeu per calidum naturale totum corpus organicum vnà cum ſpiritu ſubaudiendum eſt. hęc de calore, & ſpiritu illo, qui ſingulis corporis partibus inſitus, innatus, atque implantatus vocatur.

## DE SPIRITV INFLVENTE. *Caput Octauum.*

INEST autem præter hunc in viuente corpore quidam alius ſpiritus, qui influens vocatur, hunc autem a ſpiritu cordis inſito emanare, ac per arterias, & per totum animalis corpus iugiter diſſeminari iam diximus, ideo animaduertendum eſt hũc ſpiritum non a quocumque calore inſito proficiſci, ſed ab eo qui in corde continetur, a quo primo & principaliter emanat, a corpore autem cordis non primo, & principaliter verum adæquatè, accipiendo cor pro aggregato ex vtraque ſubſtantia, craſſa nempe, & tenui ad integrationem cordis vtraque concurrente. *Calor influẽs a quo emanet.*

Cum igitur quælibet pars ſimilaris operetur ſuppoſita facultate per propriam temperiem, quæ eſt cuiuſque partis bona conſtitutio, ideo cor pro propria temperie, quæ conſiſtit in caliditate valida, cui nulla alia in corpore comparari poteſt, generat hunc ſpiritum influentem temperamento ſibi quam ſimillimum, ex puriori parte ſanguinis, & ex aere attracto per inſpirationem, ac per pulmones elaborato. *Caloris influentis generatio.*

Et hæc eſt ſpiritus materia ſubſtantialis, vt Galen. ait primo de diff. febr. cap. 1. quæ recepta in ſiniſtrum cordis ventriculum, mediante eius agitatione præparatur, atque diſponitur, & mediante proprio eius temperamento a facultate ſpiritus genitrice per ſubſtantialem tranſmutationem in ſpiritum influentem vertitur, & hunc facultas expultrix cordis, & arteriarum per compreſſionem, ad vnamquamque corporis animati partem diſtribuit, atque diſpenſat.

Ideo ſequitur motum cordis, & arteriarum, non ſecus ac aer à folle modo receptus, modo repulſus, ſequitur motum follium, & hic facile diſſipatur, & reparatur, ac fluit, & refluit, ideo animatus *Motus ſpiritus influentis eſt a corde.*

dici

dici non poteſt, nec pars corporis, multo minus immediatum animæ inſtrumentum, ſed tantum cordis inſtrumentum pro diſtribuendo proprio calore comparatum.

Qui iunctus cum inſito tertium quemdam caloris modum conficit, qui adæquatum operationibus naturale inſtrumentum efficitur, & hunc multis in locis repręſentat Gal. ſed ad viuum lib. de trem. palp. con. & rigo. & per proportionem reſpondet igni flammam ferenti, vt inſitus, qui eſt humidum radicale qualitate calida præditum, conflagranti pabulo reſpondeat, flammæ vero influẽs per vniuerſum corpus.

*Spiritus influens imitatur flammam.*

Vt igitur pabulum conflagrans flammam de ſe emittit, quæ vndique modo ſe explicat, modo ad pabulum viciſſim ſe attrahit, ita calor inſitus, qui innatus cordis ignis humido primogenio hærens vocatur, igniti pabuli inſtar ſpiritum influentem tanquam fumidam quandam, ac facile accenſibilem exhalationem generans, eam inſtar flammæ incendit, atque hoc modo influentem cã lorem generat.

Qui modo extra, quod calor ſit, propriam naturam experiens, ac propagari cupidus, diſpergitur, modo intro ad proprium principium viam iniens, & reſipiſcere, & recreari auidus recurrit, qui duo motus mutuo ſeſe excipientes, nec vnquam deſinentes vitæ perennitatem conſtituunt, nam ſubſtantiæ ſemper mobilis quies eſt mors.

*Spiritus influẽs ab alio mouetur.*

Nec mirum videri debet, quod hic ſpiritus influens ab alio moueatur, quia quemadmodum alimentum attrahitur à partibus, quæ nutriri debent, ac ab illis multipliciter mouetur, quamuis ſatis obſcuro motu, ità multo audacius confitendum eſt, hos ſpiritus, poſtquam vis genitrix cordi innata eos produxit, ita motrix huc atque illuc illuſtri, ac celerrimo motu modo impellat, modo attrahat.

Ideo caute admodum accipienda mihi videtur ſententia Gal. 5. de ſimpl. med. facult. cap 9. vbi ait, nihil prohibere ſanguineam ſubſtantiam, ſimulque aeream vna cum ſpiritu, cuius plurimum etiam in ſpacijs inanibus contineri ait, calidum inaudire innatũ, cum multa illud prohibeant, vt viſum eſt, quod præterea ipſemet poſtea ibidem reuocare videtur, dum ſubdit, imo potius eſſe, veluti materiam quandam leuiculam etiamnum mutationem expo

*Calidum innatum quid ſit.*

ſcen-

ſcentem ad innāti ſpiritus qualitatibus ſuis abſoluti generatio-nem, nihilo ſecius tamen iam tum etiam admodum ad naturalia opera conducentem, niſi illum Gal. innatum vocet, quatenus di-ſtinguitur ab aduentitio, ſecus vere innatus dicitur ille, qui ſingu lis in partibus implantatus eſt, vel innatus dicitur ille, qui ex vtro que, innato nempe, & influente aggregatur, ac vnus fit, vt ipſe ac-cipit eod. lib. de trem. pal. con. & rig.

*Calor influens ab innato diſtinguitur*

Non igitur calor influens per ſe ſumptus confundi poteſt cum inſito, quo plurimum creſcentia corpora abundare tradidit Hip-poc. ibi de inſito tantum loquitur, qui ſingulis partibus implanta tus eſt, licet per conſequutionem verificetur etiam de influente, quia cum influens pendeat ab inſito, vt flamma a conflagrante igne, igitur a copioſiori inſito calore copioſior etiam influens redditur.

*Calor influens quibus motibus moueatur.*

Et ideo ſequitur motum eius, qui eſt duplex, vel localis, & ita a corde tanquam a termino a quo, ad totum corpus, tanquam ad terminum ad quem peruadit, aut gratia neceſſitatis vitæ toti cor-pori communis, vt dum calor inſitus aliarum partium poſtulat au geri, aut gratia neceſſitatis vitæ partis, nempe caloris in corde re-ſidentis, dum eget refrigerio, & ventilatione, & expurgatione, aut gratia melioris vitæ, dum in illis animi affectibus, quorum cor eſt author, ipſum varie afficitur, ideo pro ratione affectionis modo ſpi ritus a centro ad circumferentiam feruntur, vt in gaudio, ira, ve-recundia, & ſimilibus, modo a circumferentia ad centrum mouen tur, vt in timore, mæſtitia & reliquis huiuſmodi.

*Calor influens mouetur motu alterationis, & lationis.*

Vel idem ſpiritus mouentur motu alterationis, & ideo in ira, quæ eſt feruor ſanguinis circa cor, non ſolum ſpiritus mouentur motu locali prædicto, ſed ita incaleſcunt, vt vniuerſum corpus vri videatur, in timore autem ita calor remittitur, vt totum corpus non modicè palleat, ac torpeat.

Si vero mediocritatem ſeruet, calor partium corporis implan-tatus ab influente auctus, ac vegetior effectus, vt qualitas eſt, duo præſtat, primo vt diſpoſitiuè concurrit, in ipſa parte facultates ani-mæ conſeruat. ſecundo vt inſtrumentum facultates proprias fun-ctiones operatur.

*Calor influens non contrahitur.*

Ideo calor influens dum calori implantato vnitur, non contra hitur ab eo, vt male ſenſit Auicen. de virib. cor. t. 1. c. 1. & qui eū

ſecuti

ſecuti ſunt,quia ſi contraheretur à calore partis,tunc non haberet rationem agentis reſpectu eius,ſed è contra pateretur ab eo,& ita ſolus calor implantatus rationem agentis obtineret, ex quo mihi maxime mirari ſubit, quomodo Auicen.& quidam alij viri docti aiunt,quod ſp ritus hic in corde genitus ad vnamquamque particulam fertur,ac illi proprius fit,& congruens cum natura partis illius,& poſtea aiunt ipſum habere reſpectu illius rationem formæ, non animaduertentes,quod ſi contrahitur,& fit proprius, & congruens cum natura illius particulæ, patitur ab ea, non igitur reſpectu eius obtinet rationem formæ.

*Calor influens auget implātatum.* Melius eſt igitur vt dicamus, quod calor influens non ſit proprius calor cuiuſcunque partis, ſed proprium cuiuſque fouet, & auget,& in hoc ſolo eius actiuitas conſiſtit, nam calor a corde influens vti virtus cōmunis,nec chylificat,nec ſanguificat, ſed tantum auget calorem partis chylificantis, & ſanguificātis,& in hoc eius actiuitas,vt dictum eſt,conſiſtit.

Non enim calor partis chylificantis eſt de ſe in actu ſecūdo, at fotus, & auctus, & de potentia deductus ad actum proprias operationes abſoluit,quia cum in corpore viuente calor ſingulis partibus implantatus,ſit diminutus,ideo eget abundantiore,vt Gal. ait de vſu pulſ.c.2.illius gratia,qui a corde confluit,eſt enim calor cæterarum partium perſimilis caliditati, quæ in domibus æſtatis tempore ſentitur, at quemadmodum domus accenſo igne adhuc calidior redditur, ita animalium corpus vt Gal. lib. de fœt.form. cap.3.ait,ex corde maiorem caliditatem acquirit.

*Calor implantatus ex ſe eſt diminutus.* Cum igitur calor partibus implantatus ſit ſua natura diminutus,ac per ſe impotens ad opera vitæ,hinc fit,vt mihi ſemper ſuſpecta fuerit ſententia Gal.primo de loc.aff.cap.7 dum ait,quod ſi nihil a corpore deflueret, corpus non egeret venis, & arterijs,quemadmodum ſemper eget neruis,quia ſpiritus animalis innatos non habeat.

Nam dicam ego, cum calor partibus implantatus ſit ſua natura diminutus, ac per ſe impotens ad opera vitæ,quod etiam Gal. admittit,& cum aliter calorem vitalem ſingulis partibus innatum ea menſura, qua vitæ ſufficere poſſit,non contineat, ergo egentia caloris viuifici non pendet a defluxu,ſed a natura,quę tantum caloris partibus contribuere non potuit,vt ex ſe viuificæ eſſent.

Ideo

Ideo ex hoc coacta fuit conſtruere fontem caloris, nempe cor, & propterea dato quod etiam nihil deflueret a corpore adhuc tamen calor partium eſſet diminutus, & impotens ad operationes vitales, qui poſtea copulatus cum calore cordis, & augetur, & auctus ope arteriarum conſeruatur idoneus. *Natura fontē caloris cor cōſtruxit.*

Nam animalia in adoleſcentia indigent venis, & arterijs, quia cum debeant viuere, & augeri, ideo, etſi nihil ab illis deflueret, egerent tamen eis iugiter quidem propter vitam, at ad tempus ſaltem propter augmentum, at debito iam incremento facto, licet ob augmentum non egent venis, & arterijs, neque (ob datam hypotheſim) etiam ob reparationē deperditi, quia ſupponitur nihil ab illis defluere, tamen egerent arterijs ob vitam, & ob ſenſationem, & motionem edendam, niſi enim adeſſent arteriæ, non generaretur ſpiritus animalis, & ita ſenſus, & motus, qui animalia conſtituunt, deficerent, ideo Gal. primo de ſem. c. 9. dicebat, illud enim conſiderandum eſt, plantam hanc (de animali loquens) non amiſſa, quam habebat prius, facultate, ſed alia inſuper acquiſita in animal eſſe euaſuram, & vbi perfecta, abſolutaque a vulua fuerit è loco in locum tranſituram, quod facere minime poſſet, ſi vel ita frigida, vt arbores, effecta eſſet, vel ingreſſorijs inſtrumentis caruiſſet, vt igitur ſimul, & æquabili caliditate prædita ſit, quatenus ad animal conſtituendum faciat, & loca poſſit permutare, duo principia adepta eſt, alterum inſtrumentorum, quæ calorem naturalem conſeruent, alterum eorum, quæ omnibus ex appetitione functionibus obtemperent. *Venarum arteriarū & neruorum neceſſitas.* *Principiorum neceſſitas.*

Similiter ablatis arterijs vita, quæ in corde, & toto corpore reſidet, deficeret, niſi enim per arterias continuè materia ſpirituum animalium, qua tantopere cor recreatur, ſuppeditaretur, & calor inſitus animalium euentaretur, & refrigeraretur, ac vapores fuliginoſi in corde, & in toto corpore contracti expurgarentur, quod neceſſario fit per vniuerſum arterioſum genus; vita protinus deficeret.

Rectius itaque mihi dicendum videtur, quod quemadmodum animalium partes, niſi adeſſet defluxus, debito iam incremento nacto, nullo modo egerent alimēto, quia perfectam ſui eſſentiam continent, ita illæ ſemper continuo ſpirituum animalium affluxu debent foueri, quia omnino illius connato principio in ſe ipſis carent,

rent nempe cerebro, a quo iugiter ſpiritus confluunt, medio autē modo ſe habent ſpiritus vitales, qui propterea quod in quacumque parte innati reperiuntur, ideo differunt a ſpiritibus animalibus, & quia non in ea menſura in quaque parte reperiuntur, vt vitæ ſufficere poſſint, ſed egent ſubſidio, & fauore cordis, vt ſupra dictum eſt, ideo differunt ab alimentis.

Quare etſi nihil a corpore deflueret, egeret tamen arterijs, vt calor implantatus ſua natura diminutus augeretur, & conſeruaretur quantum vitæ neceſſitas expoſcit.

## SPIRITVM, ET CALOREM IN SEMINE *contentum non propria virtute animal producere, ſed virtute generantis, a quo decidit.*

### *Caput Nonum.*

QVOD ſpiritus in animali contentus, & ſemini abunde infuſus ſit corporeum, primum & immediatum animæ inſtrumentum, genitum ex ſpiritu vitali, & ſanguinea ſubſtantia a generante in ſubſtantia teſtium pro edendis animalium operationibus, & ideo quæ ſit eius cauſa efficiens, formalis, materialis, & finalis, & qualis ſit etiam eius operandi modus dum in animali continetur, ſatis (ni fallor) dictum eſt.

*Modus operandi ſpiritus in ſemine.* Reliquum eſt igitur, vt aliquid dicatur de modo, quo ſpiritus operatur, dum eſt in ſemine, nam in viuente ab anima dirigi, & omnes viuentis operationes in animam referri, clariſſimum eſt.

At dum eſt in ſemine, quod eſt corpus inanimum, maxime dubium videtur, a quo moueatur, & dirigatur, quia virtus, a quo ſpiritus mouetur, dum eſt in ſemine, vel eſt anima, & ita ſemen eſſet animatum, quod reiectum eſt ab Ariſt. 2. de gener. ani cap. 3. vel eſt virtus infra animam, & tunc non videtur poſſe producere animal, nihil enim agit vltra proprium gradum.

*Quid per ſemen ſit intelligendum.* Per ſemen autem intelligimus illud corpus, quod eſt iſtius virtutis actiuæ ſubiectum, quæ & motionis principium exiſtit, ac a ſolo mare decidere, fœminam vero præbere materiam tantum la-

tiſſime ſtatuit Ariſt. 1.de gener.anim.cap. 20.& 2.eiuſd.cap.4. & alibi pluries.

Quia quemadmodum in lacte concreto concretio eſt à coagulo, lac autem concretioni ſubijcitur, vt materia ſubſternitur agenti, ita in conceptu materia tota eſt à fœmina, & reſpondet lacti concreto, vis autem formatrix tota à mare proficiſcitur, & reſpondet coagulo, igitur ſemen, quod à mare decidit, erit principium actiuum tantum, quod in menſtruum ſanguinem mulieris agens, tanquam in debitam materiam, animal generat; poſt hæc paulatim in ſpiritus diſſoluitur muliebrem vterum deſerit.

*Diſſidētia Galeni ab Ariſt. de ſemine. & primo.*

Quam ſententiam Gal. 1.de ſemi. euertit, & primo diſſidet ab Ariſt. quod ſemen maris ſit principium actiuum tantum, cum præter hoc præbeat etiam materiam idoneam, ex qua animal pro maiori parte efformatur, ac inde partes ſpermaticę denominationem ſortiuntur.

*Secundo diſſidet.*

Secundo diſſidet, quod fœmina ſolum ſanguinem menſtruum præbeat, cum ipſa ſemen, vltra ſanguinem menſtruum etiam remittat, ideo vterque, mas nempe, & fœmina vim, facultatemque formatricem in ſemine continent, & vtrũque ſimul exquiſite permiſtum ſit adæquatum principium fœtus, modo virilem, modo muliebrem ſexum referens, quo vt ex vniuſcuiuſque miſcella oritur ſeminis perfectio quædam, vel imperfectio, iuxta maius vel minus caloris prædominium.

Non enim (vt recte Gal. 14.de vſu part.cap.7.adnotauit) tunc fœmina generatur, cum ſemen à fœmina decidens maſculino prȩualet, & è conuerſo tunc maſculus generatur, cum ſemen, quod à mare profluit, ſupra fœmininum dominium obtinet, quaſi alterũ aduerſus alterum certatim in vtero muliebri pugnam iniens, deſiderio ſibi ſimilem formam producendi teneatur, quia ſic vnumquodque propriam, & perfectam facultatem generandi haberet, atque ita mulier interdum ex proprio, ſoloque ſemine, intra ſe, quæ fœtus conceptaculum ferat, ſemen effundens, fœminam concipere poſſet, quod nullo vnquam tēpore accidiſſe memoriæ proditum eſt.

*Vtrunque ſemen maris & fœmina motus principium eſſe.*

Igitur requiritur neceſſario vtrumque ſemen ſimul vna permixtum, quod vt ibidem habet Gal. motus principium omnino exiſtat, quod ab eodem demonſtratur gallinarum exemplo, quę pro-

pter

pter ſiccitatem temperamenti earum poſſint ouum, quod ſubuentaneum vocant, intra ſe concipere ſine coitu maris, non tamen ex ſe vitale animal fieri poteſt. Neceſſario igitur vtrumque ſemen requiritur, quod rationem agentis obtineat, licet ſemen viri longe, multumque fœmineo præſtet; ſimiliter vtrumque materiam præbet, quia ex ſemine vtriuſque efformatur fœtus.

*Tertio diſſidet.* Tertio diſſidet Gal. ab Ariſt. quod ſanguis menſtruus ſolus ſit materia ex qua totum alias efformatur, cum partium carnoſarum tantum materia extet, omnium vero & carnoſarum, & ſeminalium in alimentum, modo maiorem, vt 5. de ſimpl. med. fac. 5. ait Gal. modo minorem elaborationem paſſus cedat.

*Quarto diſſidet.* Quarto ab Ariſt. diſſidet Gal. quoniam Ariſtot. ſanguini menſtruo potentiam paſſiuam tantum tribuit, Galenus autem etiam actiuam ei adiudicauit, vt ſecundo de ſemi. cap. 2. docuit, ex eo ſuaſus, quod natus ſit magis ſimilis ſecundum ſpeciem matri, quàm patri, quia licet quantum ad vim ſeminis attinet, natus magis patris, quam matris ſpeciem repræſentare debeat, vt quia maior effectiui principij ratio ſit a patre, quam a matre, attamen quod ſecundum ſpeciem ſit proximior matri, vt conſpicuum eſt; nulla alia ratione fit, niſi quia principio imbecilliori, quale eſt fœmineum ſemen, adiungitur vis ſanguinis menſtrui, qui nouem menſium ſpacio fętui aſſidens tantum ſupra vires ſeminis virilis inualeſcit, vt vna cum fęmineo ſemine alias imbecilliori efficiat, vt ſpecies animalis fęminam potius, quam marem repręſentet.

Sed in hac controuerſia, quam pronunc dirimere non intendo, ſententia Galeni veritati magis conſona videtur.

*Quō ſpiritus in ſemine ſit viuificus.* Verum illud tantum, quod ad propoſitum noſtrum attinere videtur, ſedulo perquirendum eſt, quomodo nempe ſpiritus, qui in ſemine plurimum continetur, ſit viuificus, quia cum ſit animæ expers, non videtur poſſe ex ſe animal producere, quod ſi ita eſt, quodnam igitur erit principium efformans ſi generans iam corruptum eſt, & abijt? quomodo igitur ex ſemine generatur animal, aut planta? nam dubium non eſt, quod omne mobile ab aliquo actu exiſtente mouetur, vt multis in locis ab Ariſt. demonſtratum eſt, & præcipue ſecundo de ani. t. 54. & 2. de gen. ani. cap. 1. igitur potentia efformans alicubi actu reperiri debet, ſed vbi, & quæ ſit, valde obſcurum videtur.

Gal.primo de ſemine cap. 10. de iſta facultate loquens eam vegetabile principium vocat, dicens: Vegetabile autem principium omnium habet primum, quod non ex ſanguine, ſed è ſemine ipſo arteriam, venam, neruum, os, item & membranam efformat, & fabricatur.

Sed hoc libentius vegetatiuum principium vocabimus, quia vt effingit, ac efformat, principij actiui rationem habet, nam efformare, & fabricari ad potentiam actiuam, quod dicitur principiũ vegetatiuum, non autem ad paſſiuum, quale eſt principium vegetabile, pertinere videtur, quod idcirco Phidiæ ad portionem reſpondere, artificemque eſſe, ſecundo de nat.facult.c.3. ait: Ariſt. autem de eadem facultate rectius loquens ſecundo de gener.ani. cap.3. ait ſemini ineſſe calorem fęcundantem ipſum, ſed quia calor, vt calor eſt, non valet producere animam, ideo ibidem cap.1. aſſerit hunc calorem agere virtute generantis, & per illud motionis principium eſſe. *Vegetabile principium eſt potius vegetatiuum.*

Maximum tamen dubium faceſſere ait, quomodo ſpiritus, qui eſt in ſemine, quique virtute propria vitam producere non poteſt, agat virtute generantis, quod ab eo late diſtat, & interdum etiam corruptum eſt, & deſijt eſſe, admirabileque eſſe quod aliquid agat virtute alterius, quod nec quicquam eſt, nullibique rerum reperitur.

Quia ſi iam in phyſicis decretum eſt, vnãquamq; actionem à quolibet agente ſub Deo exiſtẽte, ſiue ſpirituale, ſiue corporeum, ſiue mediatum, ſiue immediatum fieri per contactum, vel virtutis, vel magnitudinis, quomodo poteſt illud, quod iam corruptum eſt, aliquo modo contingere, & actionem abſoluere, & propterea motionis principium naturale eſſe. *Qualibet actio fit per cõtactum.*

Similiter quod efformandum eſt, quomodo formam, ac perfectionem acquirere poterit, ſi eius perficiens iam deſijt eſſe? nihil enim mouetur ſine mouente, nihil permutatur ſine permutante, nec vnquam ſperandum eſt (ait Gal.lib.de cauſ. procatar. cap.1.) poſſe aliquem reperiri effectum, niſi efficiens, et materia coeant. ſi igitur mouens iam corruptum eſt, & deſijt eſſe, non poteſt eſſe motionis principium. *Nihil mouetur ſine mouente.*

Sed dices: licet generans ſit corruptum, tamẽ remanet ſemen, quod agit virtute generantis, verum iſta euaſio inanis eſt, quia

valde arduum eſt mente concipere, quod aliquid agere poſſit virtute alterius, quod iam corruptum eſt, quia ſi quid agit virtute alterius, illud, virtute cuius aliud operatur, eſt principale agens, aliud verò operans eſt inſtrumentum principalis agentis, modo inſtrumentum debet ſeruare modum, & leges principalis agentis, ac ei inſeruire, ac ab eo dirigi, cum inſtrumentum ſit, quo mouens mouet, aliter operatio non erit vniuoca agenti, vt calor ſi propria virtute agat, nũquam producet niſi calorem, at ſi agit virtute animæ, ac ab ea dirigatur, producet animatum, quod cum ita ſit, neceſſario ſequitur inſtrumentum debere ſupponere principalis agentis actualem exiſtentiam, quod actu dirigat inſtrumentum, at ſi iam corruptum eſt, & deſijt eſſe, nunquam illud diriget, aut eo vtetur, quare valde arduum eſt inquirere quomodo calor, aut animatum generet, aut dirigatur ab eo, quod iam nuſpiam reperitur, & iam corruptum eſt.

*Actualis agẽtis exiſtentia qđ inſtrumẽtum dirigat, requiritur.*

Nec eſt quod quis referat hanc facultatem in fęminæ conceptaculum, quod vim formandi habeat, quia hoc ſatis ſuperque redarguunt oua, quæ a quocumque inanimi, temperato tamen calore cubita pullos excludunt, & ideo licet ad hoc, vt fœtus formetur, debeat neceſſario ſemen in vterum muliebrem recipi, non ſecus ac cibus in chylum conuertendus debet recipi in ventriculum, nõ tamen vt virtus chylificatrix eſt in ventriculo, & ſanguificatrix in hepate, ita virtus procreatrix reſidet ĩ vtero matris, quia tota ratio formantis in ſemine reperitur, quemadmodum affirmat Gal. 6. de plac. c. 6. & ſepe in lib. de ſem.

Idem Ariſt. in lib. de gen. anim. frequenter teſtatus eſt, matrix verò ſubit rationem recipientis, quia maſculini, & fęminini ſeminis proprium conceptaculum dicitur, quod ſuo calore tantum ſeruat, & adiuuat vim fętus formatricem.

*Qualitas fœcũditatis cauſa nõ eſt, nec ſubſtantia infra animã nec anima ipſa cũ ſemen non ſit animatum nec cęlum.*

Quã in re aſſerere qualitatem aliquam huiuſce fęcunditatis cauſam eſſe, vt putabant antiqui, qui calorem in animalibus operationum cauſam aſſerebant, abſurdum eſt, quos reijcit Ariſt. 2. de gen. ani. t. 41.

Nec minus abſurdum mihi videtur ſubſtantiam quandam calore præditam, quam ſpiritum vocamus, quo plurimum ſemen abundat, eſſe huiuſce fęcunditatis principium, quia cum ſit ſubſtantia infra animam, quomodocũque accipiatur, vt notat Ariſt.

cod.

eod. 2. de gener. anim. cap. 1. non videtur poſſe producere animal.

Adhuc magis abſurdum iudico, ponere in ſemine animam, vt eadem cauſa fęcunditatis ſeruetur, quod latius ab Ariſt. ibid. c. 3. reiectum eſt.

Similiter opinionem Scoti 2. ſent. diſtin. 18. probare non poſſum, qui conſiderans quomodo ſemen ſit viuificum, tandem conuerſus ad æthera, dicit ſemen proxime virtute cæli producere animal, nã cauſa vniuerſalis ſine particulari nihil producere poteſt, ideo ſine homine ſol non generat hominem, ſemen autem vt inanime pro cauſa particulari ad generandum hominẽ ſufficere non poteſt.

Multo minus mentem, vt Auicen. elementari mundo præſidentem, & formarum diſtributricẽ, vel vt Academici arbitrati ſunt, animam mundi, ſeu elementorum admittendam cenſeo.

*Virtus generãtis eſt principiũ fecunditatis.*

Quare vt hoc principium inueniatur, dicamus cum Ariſt. 2. de gener. anim. cap. 1. ſemen producere animal mediante anima, nõ tamen ſemen eſſe animatũ actu, ſed generans à quo decidit, ideo generans elargitur ſemini facultatem animæ, quam habet, licet non elargiatur animam, atque ita ſemen mediante facultate acquiſita fungitur munere generantis, eamq; ſeruat, licet generans ſit ſeparatum, vel etiam corruptum.

*Quomodo ſecundinæ alãtur, & augeatur.*

Quod vero calor, & ſpiritus ab anima ſeiunctus poſſit conſeruare motum ab anima, & vices agendi vitales, ſimiliter conſpicitur in ſecundis, quibus partus obuolutus ex vtero prodit, quæ nutriuntur, & augentur anima cum fętu a principio interno, nempè a calore directo ab anima, non propria, cum animatæ non ſint, alias vel eſſent partes matris, vel fętus, vel eſſet tertium quoddam animans, extra omnem animalium ſpeciem depulſum, aut nouam aliam ex ſe conſtituens; ſed calor earum dirigitur a virtute formatrice ſeminis tum ante fętus formationem, tum autem & poſtquam ab anima fętus formatus eſt, & hoc eſt admirabile quoddam, cum detur mouens, quod mouet aliquid, mox quieſcit, & abit, remanet tamen mobile, quod mouetur, & mouet, eodem motu, quem acquiſiuit a primo.

Idem contingit in natura, nam cum generans præſtiterit ſemini facultatem naturalem operandi, mediante qua ſemen mouet materiam ad perfectionem, & vitam, licet iſta in generante deficiat,

*Semen mouet virtute agentis.* ciat, tamen relinquitur ſemen mouens eadem virtute, vnde non eſt neceſſe, vt amplius generans tangat ſpiritum vſque ad finem generationis, cum tactus in principio factus ſufficiat pro motus abſolutione.

Ex quo cogimur dicere, externum eſſe agens principale, imò interdum extra rerũ naturam, quod vero eſt in ſemine eſt inſtrumentum principalis, quod virtute eius, & ab eo directum agit, & operatur.

Quare nõ iniuriã principalitas operationis in fętus formatione attribuitur animæ, ſicut enim non poſſumus dicere enſem fieri ab igne tantum, ſed ab arte principaliter intercedente, ita pariter aſſerendum non eſt, animatum vt tale generari a calido frigidove tantum, ſed dura mollia, ait Ariſt. ibidem, lenta rigida, & quicumque alij affectus partibus inſunt animatis a caliditate, & frigiditate inſunt, at ratio, qua iam caro, aut os non poteſt ab eiſdem fieri, ſed á motu proficiſcente ab eo, qui genuit.

*Fides à proiectis deducta.* Cuius rei fortaſſis non paruam fidem faciunt proiecta, quæ licet a proijciente amplius non tangantur, mouentur tamen eo motu, quem a proijciente acceperunt.

Sed quæſo conſpiciamus hoc idem in rebus ipſis animatis, de quibus ſermo habetur, nam ſi Ariſt. fides adhibenda eſt 2. de gener. anim. cap. 4. & 3. de eorumdem Hiſt. cap. 11. pili & vngues in *Pili et vngues in defunctis quo augentur.* defunctis augentur, quod nulla alia ratione fieri poteſt, niſi quia vt ſpiritus & calor in viuente ab anima prius mouebatur, ita tunc ea recedente idem ſpiritus, quamuis pauco tempore, eũ dem motum, quem ab anima acquiſiuit, proſequitur, qui licet, & breuis, & obſcurus ſit, eſt tamen ſatis conſpicuus, & ſenſibilis.

*Veſtigia animę que ſint ex Plotino.* Et hæc ſunt illa veſtigia animæ, quę magnus Plotinus lib. 2. de dubijs animæ, cap. 29. in defunctis remanere dixit, quemadmodũ recedente Sole adhuc relinquuntur veſtigia Solis, ideo vera animæ actio illa ſtatuenda eſt, non autem apparens, & deceptoria, ob compreſſionem, & concidentiam partium cutis, vt Alexander arbitratus eſt.

Idem de eo ſpiritu, qui in ſemine vt pars eius inſita reperitur, dicendum eſt, qui a genitore, ſeu virtute procreatrice in teſtibus ſuam ſedem obtinẽte principium motus accepit, mox eodem motu, licet generans non adſit, proſequitur fętus abſolutionem.

In

In quo actu dum ſemen animam concipit, & foetus efficitur, ſpiritus ille deſinit eſſe inſtrumentum virtutis procreatricis, & fit protinus inſtrumentum animæ rei genitæ, ac fit ſubſtantia animata, & pars viuentis corporis, ac ab ipſa viuentis anima totum corpus formante ſubſtãtialem tranſmutationem immediate paſſum formatur.

Neque mirum videri debet, quod ſpiritus ille eodem tempore duplici munere fungatur, nempe quod in reſpectu ad operationes ſit inſtrumentum animæ, & actiuè concurrat, in reſpectu vero ad animam fiat materia ſubſtrata ad animationem, vt ſupra dictum eſt, quia ſpiritus non per idem vtrumque munus obit, ſed dum in motu alterationis eſt inſtrumentum animæ, & actiuè concurrit, illud facit per debitam quantitatem, & probum eius temperamentum, quod obtinet quemadmodum in motus ſecundum locum celebratione, vt corpus eſt, concurrere iam dictum eſt. *Spiritus duplici munere fungitur.*

Cum igitur ad perficiendam hanc operationem, quæ ad motũ alterationis attinet, ſpiritus concurrat per ſolam caliditatem, non autem per ſuam ſubſtantiam, & vt corpus eſt, ideo ille propriæ operationis non oblitus, ſed optime fungens munere inſtrumenti generantis, & facultatis formatricis, a qua dirigitur, tamquam illius, cui omnium ſuarum actionum vim, & facultatem refert acceptam, facilè poteſt ſubſtratam materiam, cui tanquam in proprio ſubiecto inſidet diſponere, & ad animam concipiendam præparare, atque eo præſertim hoc facilè fieri poteſt, quia cum calor hic prius vt animę inſtrumentum valuit vniuerſam maſſam ſeminalem efformando caua vaſa & fiſtuloſa efficere, oſſa & cartilagines firmare, vincula & neruos tendere, ac tandem ceteras partes pro ratione numerum diſponere, ita hic idẽ facillimè potuit proprium ſubiectum iam omnibus modis diſpoſitum, ac leuiſſimam mutationem ſolam ſc. licet partium organizationẽ propter ſummam, quam cum anima obtinet ſymboleitatem, familiaritatem, atque connexum, cum iam ſit animæ inſtrumentum, informare, ac illi actum vitæ tribuere, imò ſi anima in calore reſidet, ergo prius prioritate originis, & naturæ anima recipitur in ſpiritibus, & per eos in toto corpore, quam in corpore iam organizato recipiatur, & conceptus in vtero matris prius habet animam vegetantem, poſtea recipit ſenſibilem, qua eſt animal, ac demum rationalem, *Spiritus inſitus, quo anima concipiat.* *Ordo potẽtiarũ in fętu ingredientium.*

nalem, qua eſt homo, ſi fides adhibenda eſt Ariſtot. 2. de gener. anim. cap. 3.

Scio aliquos velle, quòd ibi Ariſt. conſideret ordinem naturæ, non temporis, at manifeſtè proponit ordinem temporis, cum dicat, ſenſualem etiam, qua eſt animal tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, certum eſt, quod alij videntes, admittunt, attenta vt triplicem animæ temporibus diuerſis ingreſſum in animali euitent, pro facultate operationes interpretantur.

Ego autem vt, quod ſentio, libere fatear, arbitror Ariſtot. velle conceptum in vtero prius tempore habere animam vegetantem, poſtea ſentientem, tanquam diſpoſitiones ad rationalem, & hanc puto fuiſſe mentem Ariſtotel. quia apertè ait ſenſualem animam tempore procedente recipi, nec ſimul fieri animal & homo, aut animal & equus, attamen mihi magis probatur animam humanam primo momento temporis corpori aduenire, ipſamq; omnibus facultatibus præditam eſſe: quæ tamen non eodem tempore ſuas operationes promunt.

*Homo per gradus perficitur.*

Quia dum homo generatur, nec dum genitus eſt, per gradus perficitur, & ſenſim abſoluitur, igitur primo manifeſtantur operationes, quæ magis materiales ſunt, vt vegetatio, inde paulatim a minus materialibus, ſcilicet a ſenſationibus, ad ea, quæ nullo pacto materialia ſunt, vt eſt intellectio, aſcendit.

Quod ſi quis in conceptu ob ſenſationem & intellectionẽ non apparentem facultatem ſentientem, & intelligentem negat, audebitne etiam intellectiuam, & rationalem negare in nuper natis? procul dubio impium eſſet aſſerere pueros nuperrimè natos carere anima rationali, quæ tamen nullũ de ſe ſignum præbet, vt igitur in nuperrimè natis omni eius operatione, & veſtigio ſuppreſſo confitemur, ita ſenſibilem, & rationalem in conceptibus, licet nulla adhuc eius operatio appareat, tuto confiteri poſſumus, imò ſolam rationalem (vt ſupra dictum eſt) præditam omnibus prædictis facultatibus in fœtu ſuo tempore aduenisse conſtanter aſſerimus, quam tamen plures diſpoſitioens non eodem tempore aduenientes antecedunt.

*An conceptus prius habeat animam vegetantem.*

Pulcherrimam quandam dubitationem proponunt illi, qui ſtatuunt conceptum prius habere animam vegetantem, deinde ſenſibilem, vltimo rationalem, dicentes, ſi hoc eſt verum, ſequitur

dari formam generis ſine vlla forma ſpecifica, & ità dari genus extra omnes ſuas ſpecies, & reperiri viuens, quòd nec ſit planta, nec animal, & dari animal, quòd non ſit aliqua ſpecies animalis, quod eſt abſurdum.

Quibus videtur, vt hanc ſuam confirment ſententiam, reſponderi poſſe, conceptu prius viuere anima matris, quam propriam accipiat animam, & proinde viuere, tamquam membrum quoddam illius fœminæ, nõ tamquam aliud indiuiduum illius ſpeciei, omnes igitur partes animæ (aiunt) habere, vt ſibi communicatas a fœmina vtero gerenti, & per eas cõceptus humanus ſemper eſt homo.

Verum hac ſolutione nihil abſurdius excogitari poteſt, & inter cetera, quæ hanc abſurditatem redarguunt, eſt illud, quod ab Ariſt. eod. 2. de gener. animal. cap. 3. habetur, & ab omnibus Philoſophis vbique recipitur, ſcilicet ſemini ineſſe vim, ſeu calorem fœcundantem qui & ſpiritus vocatur, & hic a generãte, a quo ſemen deciſum eſt, facultatẽ agẽdi accepit non igitur ab anima matris regitur, & gubernatur fœtus, ſed a vi, quæ in ſemine a generante indita fuit, quæ cum ſit vis humana, merito hominem producere, ac ſibi ſimilem in ſpecie generare valet.

*Abſurda ſolutio reijcitur.*

Siue igitur iſta virtus ſeminis a generante emanans, & fœcunda ſemina faciens primo producat animam vegetantem, ſecundo ſenſibilem, tandem rationalem virtute generantis, ſiue vnicam animam tantum, eamque rationalem, & pluribus facultatibus præditam, quæ tamen non ſimul ob organi ineptitudinem manifeſtari poſſint, hoc nihil refert, quia vtrumque probabile eſt.

Et ad argumentum, quòd eorum opinioni aduerſari videtur, ſcilicet quòd ſic forma generis exiſteret ſine vlla forma ſpecifica, & daretur genus extra omnes ſuas ſpecies, ipſi primam eorum reſponſionem abſurdam iudicantes ex eo, quòd oua cum ſint inanimata, excludunt tamen a ſe pullos animatos ſine vlla ope matris, mediante quocumque calore moderato tamen, ſecundam excogitarunt, in quo quidem laudandi ſunt, quod in conceptu vegetante reſtringitur forma ſpeciei a diſpoſitionibus ad eam conferentibus, & ita genus non eſt extra ſpeciem, quæ ſi facta, & abſoluta non eſt, fit tamen, & in potentia proxima reperitur, quod ipſis pro tuenda proxima opinione ſufficere poteſt.

*Propria reſponſio ad quæſtionem.*

Arbitramur tamẽ nos tutius dici poſſe in conceptu rationalem animam primo temporis momento corpori aduenisſe,quæ tamen cum requirat plures diſpoſitiones præcedentes, ideo harum aliquæ prius, aliquæ poſterius eam præceſſerant, vt vegetatiua antecedit ſenſitiuam, hæc verò aduentum animæ intellectiuæ, & hoc voluit Ariſt. dum dixit hominem prius tempore viuere animam plantæ, deinde animalis,tandem rationalis, nec fieri ſimul animal,& equus, quia inter has diſpoſitiones communior debet præcedere ſtrictiorem ad ſimilitudinem animarum, non igitur ſunt animæ neque formæ, ſed tantum diſpoſitiones animæ intellectiuæ, in cuius gratiam materiam diſponunt.

*Satisfactio ad argumenta.*

Sed reliquum eſt modo,vt dubitationibus ſuprapoſitis ſatisfaciamus. Igitur dum dicebatur,ſi ſemen non eſt animatum, nõ poteſt producere animal,reſpon. quòd verum eſt virtute propria, at ſemen non agit virtute propria,ſed virtute generantis a quo deciſum eſt, & a quo motio procreationis incepit,ergo ſemen virtute generantis animal producit.

Et dum dicitur, quòd generans eſt ſeparatum ac corruptum, ideo agere non poteſt. Dicimus quod ſufficit quod a principio tetigerit, & ideo virtus, qua ſemen mouet, non eſt formaliter in ſemine, ſed virtualiter tantum, cum ſemen facultatem receperit à forma, quæ corrupta eſt.

Et dum addebatur, quod inſtrumentum eſt, quo mouens mouet, igitur ad motum abſoluendum neceſſarium eſt principalius mouens; conceditur, ideo ſemen vt inſtrumentum ſupponit principale agens, nempè generans, quod in principio tetigit, & tangendo mouit, inſtrumentum vero motum a principio proſequutum eſt actionem virtute principalis agentis vſq; ad finẽ actionis.

## *QVID FACVLTAS PVLSATILIS SIT, & propter quid à natura inſtituta. Caput Decimum.*

*Quare pulſatilis facultas vitalis vocetur à Galeno.*

IAM ad quartam cordis facultatem, quæ virtus pulſatilis vocatur, accedamus, hanc autem ſæpè Gal. vitalem vocauit, propterea quod ipſe tria in animali principia diſtinxit, cor, cerebrum, & iecur, hoc vitale, illud animale, tertium vero naturale appellans.

Cum igitur cor principium vitale appellet, hinc (arbitror) fit, quod quicquid in eo reperitur, vitale appellare ei libuerit.

Nos autem vocum proprietatem reſpiciendo, facultatem vitalem, quæ vitam, pulſatilem vero, quæ pulſum producit, tantum vocabimus, vt etiam ipſe alias fecit. primo de cauſ.pulſ. cap. 2. & 3. de diff. pulſ. cap. 5.

Hac autem mediante cor, & arteriæ perpetuo agitationis motu cientur, vt ait Galen de vſu pulſ. cap. 4. & hic motus eſt dilatatio, & conſtrictio, iam autem dictum eſt, cor fibras omnium generum continere.

Igitur cor mouetur motu dilatationis, & conſtrictionis, dum fibræ eius variæ diſponuntur, vt egregiè docet Gal. 6. de vſu par. cap. 8. dilatatur enim, dum fibræ, quæ ſecundum lõgitudinem exporriguntur, ſeſe contrahunt, obliquæ autem, & tranſuerſales laxantur, tunc enim cor lõgitudine eius breuiori, latitudine autem ampliori effecta dilatatur. *Quo motu moueatur cor.*

Conſtringitur autem, dum fibræ longitudinales contrariam diſpoſitionem patiuntur, ideo earum longitudine adaucta, tranſuerſalibus autem contractis, & imminuta cordis vtraque dimenſione, latitudine, & profunditate, cor contrahitur, inter quos & dilatationis, & contractionis motus, exigua quædam quies intercedit, hæc autem perficitur omnibus fibris inſimul agentibus, ſed præcipuè obliquis, his enim vndique adſtrictum, & earũ maximè obliquis, cor continere dicitur, vt ibid. ait Gal.

Adiuuant autem, vel rectius maximè omnium partiũ ſyſtolem efficiunt robuſtiſſima ligamenta, quæ in intimis ipſius cordis ventriculis extenduntur, quæque ad ſeptum inter vtrumque ventriculum tenſa adiacent, ac colligant ipſum cum membranis vtrumque ventriculum tegentibus.

Cum igitur membranæ propè ſeptum acceſſerint, tunc cordis longitudo producitur, latitudo autem in ſe ipſam conſidet, quod eſt cor conſtringi, at cum membranæ à ſepto receſſerint, tunc cor ſecundum latitudinem, & profunditatem augetur, imminuitur autem ſecundum longitudinem, quod nihil aliud eſt, quàm ipſum dilatari.

Vterque autem motus perficitur, ac plenè abſoluitur à facultate pulſatili, quæ ab vſu, & neceſſitate ſtimulata inſurgit ad mo-

uendum

uendum totum organum.

*Facultatis pulſatilis definitio.* Hanc autem definientes dicimus eſſe facultatem animæ pulſuum effectricem in corde, & arterijs, inſiti caloris conſeruandi, & ſpirituum animalium generandi gratia, vbi conſiderandũ eſt, quod operationum cordis aliæ ſunt in corde, aliæ extra cor, inter pulſationem, & cæteras omnes cordis operationes hoc intereſt, quod pulſatio non cõmunicatur vniuerſis corporis partibus, ſed in ſolo corde celebratur, accipiendo tamen pro nunc cor vna cum arterijs, cũ pulſatio cordis extendatur per vniuerſum arterioſum genus.

At vita, calor, & ſpiritus licet generẽtur in corde, tamen per totum corpus diffunduntur, ſimiliter virtus animoſa, iraſcibilis, & gaudifica, licet ſint a corde, non tamen attinent ad cor, quia non cor iraſcitur & forte fit, & lætatur, aut triſtatur, ſed animal per cor, ſola pulſatio eſt a corde, & terminatur in cor, & arterias, quas partes non excedit. *Non cor iraſcitur, ſed aial.*

Et dicitur principium efficiendi pulſum, ſeu principium dilatationis, & conſtrictionis & cordis & arteriarum, primo pro conſeruatione inſiti caloris animalium, quia principaliter ad hoc ordinatur, deinde pro ſpiritu animali generando, cui poſterius inſeruit, vt Gal. ait primo de præſag. cap. 1. & 1. de cauſ. pul. cap. 3. *Finis pulſationis qualis ſit.*

Idem colligitur ex definitione pulſus ab eo tradita. 4. de diff. pulſ. cap. 2. & lib. de vſu pulſ. cap. 2. dum ait, alijs partibus duplex eius caloris inſiti cuſtodia eſt, & pulſus, qui veluti reſpiratio quędam eſt, & quod abundantiore naturæ gratia accedit, quod a corde confluit.

Et ibidem cap. 3. ait, ergo cum hoc quoque demonſtratum iam ſit, nihilq; iam aduerſari videatur, quominus vnus reſpirationis, & pulſuum vſus ſit, facilè, promptumque collectu arbitror caloris in quaq; parte cuſtodiendi cauſa pulſum eſſe conditum, itaq; quod ex reſpiratione vni præſtatur cordi, id ex pulſu calori illi, qui in toto eſt animali, accedere, communem autem vtriuſque eſſe, & animalis ſpiritus nutritionem, verum arteriarũ magis propriam, ſiquidem eorum meminimus, quæ de reticulari textu prædiximus.

*Virtus pulſatilis pro forma, quid.* Eſt autem virtus pulſatilis vti forma, & actus cordis, ſi pro eſſentia abſoluta capiatur, non ſecus ac cæteræ cordis facultates;

q uatenus

quatenus conſtituunt cor in ſpecie modo membri vitalis, modo calorifici, modo pulſifici, at quatenus virtus pulſatilis eſt facultas, dicitur principium pulſandi, quemadmodũ in præſenti conſideratur, & reſpicit operationes, & vt remotum principium eandem cum anima eſſentiam habet.

*Virtus pulſatilis pro facultate, quid.*

At ſi accipiatur pro principio proximo pulſandi, cum hoc requirat particulares corporis diſpoſitiones, quæ præcipuè attenduntur nunc, non penes temperamentum, quia eius operationes non attinent ad motum alterationis, nec perficiũtur a parte ſimilari, ſed attinẽt ad motum localem, ideo requirunt organum, vel potius facultas pulſatilis requirit organum bene cõſtitutum, in compoſitione, quia eſt facultas, & potentia agẽs requirens partem organicam, & diſſimilarem, vt competit omnibus potentijs agentibus, & localiter mouentibus, quæ in parte ſimilari ſeruari non poſſunt, vt ſupra ex Ariſt. ſententia demonſtratum eſt.

Debet igitur organum eſſe bene conſtitutum ſecundum omnes ſuas partes in compoſitione, qualem a natura conſequutum eſt cor, tum penes magnitudinem, & numerum, & ſitum omnium ſuarum partium, tum maximè penes figuram, quæ peculiarius motui dilatationis, & conſtrictionis inſeruit, ideo natura illud cauum conſtruxit, quia peculiarius per cauitatem palpitat, ac per illam immediatius facultati pulſanti obtemperat, vt colligitur a Gal. 6. de vſu part. cap. 15. & 1. de cauſ. pulſ. cap. 4.

Et facultas dicitur habere primam rationem pulſantis, cor autem vt organum eius habet primam rationem pulſati, compoſitum autem ex vtroque vnà cum decenti eius conſtitutione ſecundum compoſitionem, eſt adæquatum principium pulſationis, habenſque naturalem potentiam pulſandi, quę ad ſecundam qualitatis ſpeciem reducitur.

*Facultatis pulſificæ, & organo eius, quid competat.*

Sunt autem hi duo motus oppoſiti, atque eorum vnuſquiſque æqualiter neceſſaria vitæ actio, vt lib. de vſu pulſuum cap. 6. demonſtrat Gal. & ratio eſt, quia dilatationem cordis, & arteriarum ſubſequitur attractio ſpirituum, compreſſionem verò eorumdem reditio, modo & attractio, & redditio ſpirituum actio vitæ, neceſſaria eſt, cum per vtramque calor inſitus cordis, & totius corporis conſeruetur.

*Motus oppoſiti cordis sũt neceſſarij.*

Quod vt euidentius fiat, ſciendum eſt calorem inſitum eſſe in duplici

*Calor inſitus duplex eſt.*

duplici differentia, alius eſt in fonte caloris, corde videlicet, & alius in reliquis corporis partibus, vt habetur a Gal. de vſu pulſ. cap. 2. qui in corde reperitur, magis reſpiratione cõſeruatur, ideo Gal. ibid. ait illũ ſola reſpiratione tueri poſſe, & lib. de vtil. reſp. cap. 4. ait itaque ex ventilatione principij ipſius inſiti caloris, & ex moderata refrigeratione, & ex eius, quod in ipſo veluti fumoſum eſt in totum defluxione vnum conſeruatur caput, & ſumma, conſeruatio videlicet caloris naturalis.

Quia etiamſi cæteræ arteriæ nihil illi conferrent per eã tamen, quæ ſola reſpiratione fit euentationem, refrigerationem, & expurgationem ſeruaretur calor innatus cordis, quia multo magis illi confert, quæ per reſpirationem, quàm quæ per pulſum fit actio, ideo Gal. lib. de cauſ. morb. cap. 3. ait, Caliditas igitur cordis per faucium meatum aeri communicat extrinſeco, quod ſi hanc interceperis, e ueſtigio ſtrangulabis ipſam, atque animal enecabis.

Calor vero, qui in omnibus eſt arterijs, quæ per totum animalis corpus diuiduntur per cor quidem ipſum in quantum faucibus communicat, & per vniuerſam cutem in ambientem nos aerem reſpirat, refrigerium quidem cum illæ ſe attollunt, accipiẽs, cum autem reſident, id quod fuliginoſum eſt expellens, quorũ vtrumque natiuam eius mediocritatem conſeruat.

*Motus cordis oppoſiti non ſunt ut arcus tẽſio, & laxatio.* Ex quo primum colligimus, vtrumque motũ eſſe naturæ actionem neceſſariam & vtramq; a natura deſiderari, non earum alteram tantum, cui per accidens reliqua ſuccedat, vt de arcus tenſione fieri videmus, quæ propter laxationem gratia impulſionis, non autem propter ſe ipſam deſideratur, quod latè demonſtrat Gal. lib. de vſu pulſ. cap. 6. & 7.

Colligimus ſecundo, propter quid vtraque inſtituta ſit, & eſt vt ex ventilatione principij ipſius inſiti caloris, & ex moderata refrigeratione eiuſdem, & ex eius, quod in ipſo colligitur veluti fumoſum in totum defluxione, ſed præcipuè caloris, qui a corde, confluit diſpenſatione per vniuerſum corpus, facta ſeruetur calor innatus tum cordis, tum cæterarum corporis partiũ, genereturq; ſpiritus animalis.

*Quid per pulſus ſit intelligendum.* Sed dum ait, quod quæ per reſpirationem fit actio magis confert conſeruationi caloris inſiti cordis, quam quæ fit per pulſum, tunc per pulſum intelligendus eſt vniuerſus in animali pulſus

præter

præter pulſum cordis, & arteriarum venoſarum pulmonis, quia cum ſolus pulſus cordis, & arteriarum venoſarū pulmonis reſpiratum aerem hauriāt, ideo illis ſublatis, procul dubio, & reſpiratio, & vita tolleretur.

Non minus igitur, imò multo magis & immediatius illi pulſus caloris cordis conſeruationi inſeruiunt, quàm ipſa reſpiratio; ad quod reſpiciens Gal.7. de vſu par. cap.8. dixit, ſed ſi animum attenderis, conſideraris que, neque hoc ipſum inſtrumentū. id eſt, aſpera arteria, copiam habet ſanguinis, quo alatur, antequam venæ ipſi quædam fuerint connexæ, neque cor fructum vllum ex reſpiratione percipit, priuſquam per aliam arteriam coniunctum huic fuerit, intelliges ſanè naturam alterum vaſorum genus duplex aſperis arterijs rectè immiſcuiſſe, ac complicuiſſe.

Et paulo poſt ait: Solæ verò aſperæ ſanguinis vacuæ per medias leues cordi ſunt connexæ, ergo per ſolas aſperas arterias nō communicatur aer cordi niſi leues, hæ autem ſunt arteriæ venoſæ pulmonis, intercedant.

Attamen non ita abſolutè aſſerendum videtur, cordis inſitum calorem, ſublato vſu venoſarum arteriarum pulmonis, vel ſaltem ſublato aere, qui per reſpirationem attrahitur, ſubito interiturū, quia ſi valde in fonte imminuatur, vt contingit mulieribus hyſtericis, tunc ſine vlla reſpiratione, per ſolam trāſpirationem, quę per vniuerſū arterioſum genus fit, exiguus ille calor ſeruari pōt. *An ſublato vſu venoſarū arteriarū pereat animal.*

At calor, qui in reliquis partibus corporis reperitur, duplici via cuſtoditur, & conſeruatur, primo quia pulſatio eſt ei veluti reſpiratio quædam, vt Gal. ibid. ait, nam quemadmodum cor expulſis per reſpirationē fumidis recrementis, & attracto aere, euentatur, purificatur, & modicè refrigeratur, ita in ſingulis corporis partibus calor per pulſationē euentatur, & modicè refrigeratur. *Cuſtodia caloris reliquarum corporis partium a quo pendeat.*

Et quod ex humorum deuſtione contractum eſt, veluti fumida ſuperfluitas expellitur, & poſt hæc, quod maximum momentum habet, accedit a corde calor, qui ex abundantiore naturæ gratia viuentis partibus debebatur, vt ibid. Gal. cap.2. & 3. ait, qui adeo neceſſarius eſt, vt ſi quæ pars eo deſtituatur, vel quia aliquo vulnere inflicto cum ſanguine perfundatur, vel vinculo deligata parte intercipiatur, non longo interpoſito ſpacio pars frigidior pallida, & liuida redditur.

Ac citius quidem ſi arteriæ ſolæ, quàm venæ ſolæ vinculo excipiantur, ſerius autem ſi arteriæ ſolæ, quàm ſi vnà cum arterijs etiam venæ deuinciantur, hoc autem manifeſtiſſimum argumentum eſt, vt ibid. teſtatur Gal. quamlibet corporis viuentis partem egere calore a corde influxo, imò vt ibid. ait, cap. 1. & 4. de diff. pulſ. cap. 2. ſi pars pulſu deſtituatur, ipſa ali deſinit.

*Reſpiratio conſeruat ſymmetriam caloris innati cordis, & quo modo.*

Quare concludendum eſt reſpirationem conſeruare caloris innati cordis ſymmetriam, illum modicè refrigerando, euentando, & expurgando, præterea fauere etiam calori aliarum partiũ, quatenus fauet calori cordis, vt cauſæ a qua dependet efficacia caloris earum, tum refrigerando, expurgando, & euentando, tum etiã præparando media, per quæ calor cæterarum partium reſipiſcit, ſcilicet ſubminiſtrando materiam ſpirituum influentium, qui nõ ſolum cor recreant, ſed etiam deferunt per totum corpus viuens calorem cordis.

Pulſatio vero cordis, & arteriarum fauet calori cæterarũ partium, primo quatenus defert per medios ſpiritus influentem a corde calorem, ſecundo quatenus per eam euentatur, & modicè refrigeratur calor inſitus, ſpiritusq; repurgatur a fumidis recrementis, quæ in toto corpore colliguntur, cui operationi ſola reſpiratio ſatisfacere nullo pacto poteſt, quia aer attractus per reſpirationem non pertranſit pulmonem, quatenus ab ipſa reſpiratione mouetur, quòd ſi recipitur in cor, illud eſt ope pulſationis, quæ fit per leues pulmonis arterias, & quæ in corde ipſo celebratur.

*Pulſatio confert generationi ſpirituum aĩalium.*

Quod autem pulſatio ſpirituum animalium generationi etiã conferat, patet ſi conſideremus, quantum conferat, quod alteri materia ad aliquod opus perficiendum ſubminiſtrat: ſpirituum enim animalium ſubſtantia tenuiſſima, ac quam maximè diſſipabilis exiſtit, ideo ipſi iugiter indigent noua materia, ex qua generentur, hanc autem ſubminiſtrant cor & arteriæ totius corporis, mox in mirabilem arteriarum plexum recepta, ibi non leuem mutationem nanciſcitur, poſtea in cerebri ventriculis perficitur, vt 7. de vſu part. cap. 8. ait Galen. inde in ipſius corpore perfectiſſimè elaboratur, ac in ſubſtantiam ſpirituum animalium vertitur.

Ideo illa non leuis mutatio, quam acquirit in mirabili plexu, ac ea perfectiſſima, quam in ventriculis fieri ait Gal. ibid. diſpoſitionem modo maiorem, modo minorem vocabimus, cum ſubſtã-

tialis

tialis ſpirituum animalium generatio in cerebri corpore alibi ſta-tuerit fieri, vt optimè,& diffusè quidam annotarunt.

Vt enim caro pulmonis eſt inſtrumẽtum coctionis ſpiritus per inſpirationem attracti, & caro hepatis eſt author ſanguinis, quia pars viuens, non inanis aliqua cauitas operationum author, atq; principium ſtatuendum eſt, quod apertè idem Galen.1.in lib.de humor.t.3.confirmauit dicens,eſt enim extenta per ſolida corpo-ra natura,quæ facultas illorum eſt, & humorum concoctio a ſoli-dis partibus beneualentibus proficiſcitur,ita caro cerebri,ſeu cor pus eius ſpirituum animalium principium erit.

*Caro pulmonis eſt inſtrumentum coctionis ſpiritus.*

Nec obſtat quod ventriculi ſpirituum pleni ſint, quia etiam corpus cerebri plurimum eorum continere aſſerit 8. de vſu part. cap. 13.

Suppeditatur igitur (vt ad rem redeam) aſſiduè eius materia in corde, & arterijs, poſt hæc autem per eas, quæ carotides appellan tur, in cerebrum tranſmittitur, quod ſatis manifeſtauit Gal. lib de vſu reſpir.cap.5.& de vſu pulſ.cap.2. referens experimentum illius animalis, quod vinctis arterijs carotidibus currere coactum fuit, hoc enim primum diu probe cucurrit, deinde languidius ef-fectum curſum remiſit, poſteà animali ſpiritu per motum largius abſumpto, cum illi nihil amplius per ipſas carotides arterias,iam vinculo exceptas ſpiritus ſubminiſtraretur, vt qui totus vinculo erat interceptus,concidit, non leue argumentum, quod ex vitali ſpiritu vniuerſa ſpirituum animalium moles, tãquam ex idonea materia in corde mediante virtute pulſatili paratur.

Hinc apparet quare cacheticis non licet inter ambulandũ diu accelerare gradus, aut aſcendere ſcalas ſine magna crurum im-becillitate,& magna, cita,& denſa reſpiratione, nam primũ qui-dem id accidit, quia cum cachetici prauo ſanguine,& paucis ſpi-ritibus vitalibus abundent,carent etiam copia ſpirituum anima-lium. Igitur vix exiguis motionibus, nedum magnis ſuppetunt, ex hoc præterea ſubſequitur ſecũdum, magna,cita & denſa reſpi-ratio, non tãtum ob genuini caloris per motum comparati euen-tationem, ac fumorum expiationem, quantum vt in corde mate-ria ſpirituum animalium,qui eſt vitalis ſpiritus,abunde ſuppedi-tetur,quod optime expreſſit Gal.1. de diff. reſp.cap.7. & de vtili-tate reſpir.cap.4.

*Quare cacheticis anhelatio fiat freques inter ambulandum.*

Cum

Cum igitur cordis pulſatio ſit eiuſdem dilatatio, & compreſſio, & per conſequens compoſitus motus ex duobus etiam ſibi inuicem oppoſitis, ideo inter eos neceſſariò mediat quies duplex, altera poſt dilatationem, antequam cor contrahatur, & altera ante dilatationem, poſtquam compreſſionem abſoluit.

*Completa pulſatio ex quibus conſtet.* Igitur abſoluta, atque completa pulſatio conſtat ex quatuor partibus, ex duobus motibus contrarijs, & ex duabus quietibus vtrumque motum intercalantibus, vt docet Galen. 1. de diff. pulſ. cap. 3. & 4. eiuſd. cap. 8.

Iſti autem motus fiunt mediante vi cordi inſita, quæ arterijs, vt qualitas quædam ab eo ipſis influxa, communicatur, Gal. teſte lib. de vſu pulſ. cap. 4. & 5. quæ diſpergitur per eas fulgoris Solis inſtar, qui momento in ambientem aerem diffunditur, vt 1. de ſem. cap. 16. habetur, ideo non minus, neque prius vni parti communicatur quam alteri.

*Omnes arteriæ ſimul pulſant ſi corpus naturaliter ſe habeat.* Hinc fit, vt omnes animalis arteriæ vno & eodem tẽpore vim pulſandi a corde recipiunt, & pulſant, dummodo corpus naturaliter ſe habeat, quod ſi facultas nimio humorum pondere prematur, tunc non æquè omnibus arterijs imperare poteſt, vt Gal. ait 2. de cauſ. pulſ. cap. 1. ac inde variæ inæqualitatum differentiæ ſuboriuntur.

Sequitur ſimiliter illas repleri quia dilatantur, atque illas exinaniri, quia compreſſionem patiuntur, non e conuerſo, vt veteres ante Galenum ſectatores Eraſiſtrati, & Aſclepiadis arbitrati ſunt, in qua dilatatione cor & arteriæ omnes replentur, & inter replendum vndique attrahunt prius quod leuiſſimum eſt, vt lib. an ſang. in arter. naturaliter cont. cap. 8. & 3. de nat. fac. ait Gal.

Similiter a corde, & ab arterijs dilatatis viciſſimque contractis, neceſſe eſt, a quibus aliquid prius eſt attractum, in ea mox emitti, & ideo natura hanc neceſſitatem proſpiciens adnaſci fecit membranas oſculis vaſorum, quæ in corde ſunt, quæ præcipuè retroceſſus materierum in vaſorum compreſſionibus prohibeant, qui tamen retroceſſus, vt abſolute intercipiatur (vt ibidem ait) fieri nullo modo poteſt.

Igitur cor dilatatum trahit aliquid ab arterijs, ſed multo magis a venoſis pulmonis, & a venis ſibi propinquis, & arteriæ trahunt a corde, & vndequaque.

Verum, ſi rem ad viuum vſque reſecare velimus, cogimur ſic ſtatuere, quod in dilatatione cor, & arteriæ vndique attrahunt, differenter tamen, quia arterię totius corporis attrahunt a ſibi vicinis partibus ſanguinem tenuiſſimum, & leuiſſimum, & præcipuè a venis, per oſcula verò quæ externæ cuti communicantur attrahunt ſubſtantiam aeream, vt Galen. ait 3. de rat. fac. cap. 14. & de cauſ. morb. cap. 3. & de vſu pulſ. cap. 5. *Quid in cordis dilatatione contingat.*

Arteriæ vero, quæ per pulmonem diſſeminatæ ſunt, attrahunt quidem ſanguinem a venis ſibi propinquis, ſimiliter attrahunt, & aerem, ſed illum tantum, qui per aſperas arterias pulmonis inſpirando receptus eſt.

At cor dum dilatatur, licet vndique attrahat, magis tamen attrahit a dextro eius ventriculo, & ab arterijs pulmonis, quam a cæteris partibus, differenter tamen, quoniam a dextro cordis ventriculo ſolam attrahit ſubſtantiam ſanguineam, non aeream, vt colligitur a Gal. 3. de nat. facult. cap. 15. ab arterijs vero pulmonis magis attrahit ſubſtantiam aeream quam ſanguineam, vt ait Galen. 6. de vſu part. cap. 10. licet vtramque ſubſtantiam attrahat permixtam.

Et ſicut cor dum dilatatur vndique attrahit ſubſtantiam ſanguineam, ſed vberius, vt dictum eſt, a dextro eius ventriculo, ita vndique attrahit ſubſtantiam ſpirituoſam, ſed vberius a venoſis arterijs pulmonis, quia cum quodlibet membrum proprium alimentum attrahit, vel a promptuario, vel a ductibus, qui cum eo terminantur, vt iecur per venas meſaraicas trahit a ventriculo chylum, ita cor, cum debeat attrahere ſpiritus, & caloris inſiti alimentum, quod eſt ſanguis tenuis, & halituoſus, vnà cum ſubſtantia aerea permixtus, ideo licet vndique attrahat ſubſtantiam aeream, magis tamen, & vberius eam attrahit a pulmone per venoſas eius arterias, tamquam a principali illius materiæ promptuario.

Ideo ob affluxum ſubſtantiæ aereæ, quæ per inſpirationē ſubminiſtratur, & in carne pulmonis continenter conficitur, & indeſinenter paratur, vt Gal. ait 7. de vſu part. cap. 8. & ob tranſumptionem ſubſtantiæ ſanguineæ, quæ a venis arterioſis in arterias venoſas inter inſpirandum exprimitur, vt 6. eiuſd. cap. 10. habetur, plus ſpiritus in cor, licet vndique attrahat, ducitur a dicta ar- *Principale promptuarium cordis quale ſit.*

teria venoſa, quæ in ſiniſtrum cordis ventriculum terminatur, quàm ducatur ab alijs partibus, ſiue conferas illud cum arteria aorta, a qua aliquid ſpiritus attrahit, ſiue cum dextro cordis ſinu, a quo maiorem quàm aliunde ſanguinis partem haurit.

Similiter cor, & arteriæ dum conſtringuntur, quoquo verſum expellunt, vtrumque ob prædictos vſus, & neceſſitates, quorum omnium præcipuus, & principalis eſt, vt calor influens cordis per vniuerſum corpus impertiatur propter vitam, quælibet enim corporis pars eget abundantiore illius gratia, qui a corde confluit, vt ſupra dictum eſt, ſecundus vero vſus eſt propter ſpirituum animalium generationem.

## PVLSIFICAM FACVLTATEM INSTITVTAM *præcipuè eſſe propter facultatem vitalem, & animalem, non autem propter iraſcibilem, vt quidam male arbitrati ſunt.* Caput Vndecimum.

HIS ita conſtitutis patet vanam eſſe ſentẽtiam eorum, qui quærentes neceſſitatem virtutis pulſatilis in animalibus primo aſſerunt eam a vitali non differre, deinde eam propter iraſcibilem inſtitutam eſſe, quorum primum quãtum a veritate deuiet, non eſt quod nunc iterum ad examen reuocetur, cum ſatis ſupra demonſtratum ſit, has eſſe cordis facultates diſtinctas.

*Rationes aſſerentiũ pulſum eſſe propter iraſcibilẽ.* Ideo circa ſecundum eorum dictum verſantes qui dicunt virtutem pulſatilem propter iraſcibilem inſtitutam fuiſſe, illud duabus rationibus aſtruere conantur. Primo, quia iraſcibilis feruido calore vtitur pro inſtrumento, ideo in viſcere calidiſſimo debuit neceſſario locari, atq; pro tanti caloris moderatione in quantitate, & qualitate neceſſaria fuit facultas pulſatilis, vt huius vi calor feruens euentetur, ſpiritibus, in quibus calor conſiſtit, aſſiduè pabulum ſubminiſtretur, & ex feruore comparatæ fuligines expellantur.

Secundo quoniam huius ope, nempè pulſatilis, calor vehementer circumfunditur, at in ira præcipuè, quæ eſt feruor ſanguinis circa cor, & hanc conſequitur vehemens motus, & expanſio ſanguinis,

guinis, & ſpirituum ad extra, neceſſaria eſt iſta circumfuſio, ideo natura ob hoc pulſatilem inſtituit.

Ex quo patet (vt ipſi putant) plantas idcirco carere virtute pulſatili, quia carent & iraſcibili; & ideo licet calore viuant, tamen cum earum calor ſit moderatus, ſine pulſatione conſeruari poteſt, quod ſi plantæ iraſci deberent, tanta caloris quantitas ipſis neceſſaria ob iracundiam fuiſſet, vt ſine moderatione, quæ per pulſationem fit, conſeruari non potuiſſet, ob neceſſitatem igitur iraſcibilis, quæ feruido calore vtitur natura coacta pulſatilem facultatem inſtituit, cuius opinionis etiam Fernel. fuiſſe videtur, qui lib. 5. ſuæ Phyſiologiæ cap. vlt. ait in corde, quod vnum inter viſcera omnia maximè ardet incendio, vt hos poſſit impetus inflammare. *Quare plantæ carent pulſu.*

Imò Gal. ipſe in Hippoc. librum de alimento non longe a principio, huic ſententiæ aſſentiri videtur, vbi ait maior vero eſt alius calor in corde, qui ad iram excitandam eſt animalibus tributus.

Idem confirmat 5. in 6. de morb. vulg. tex. 5. dum ait, calor etiam alter in corde maior ineſt ad iram excitandam nobis datus, nam & ipſius quidam vſus eſt.

Quæ ſententia approbanda non videtur, quoniam licet verum ſit, iracundiam immoderatam quandam, atque excedentem caliditatem exigere, vt ſuos ipſius impetus excitare poſſit, non propterea fatendum eſt, excedentem illam caliditatem datam præcipuè fuiſſe propter hunc vſum. *Reijcitur præfata ſententia.*

Ideo vt hac in re veritas eluceſcat, animaduertendum eſt, atq; accuratè conſiderandum, quid in viuente animali præſtet pulſatio, an ſoli caloris refrigerationi, euentationi, ac eius qui in corde reperitur conſeruationi, atque ſpirituum circumfuſioni, quæ impetus iracundiæ excitare valeat, vt ipſi arbitrantur. *Quid in viuēte pulſatio præſtet.*

An præter hæc alia etiam neceſſitas adſit, & vſus, qui coegerit naturam ad inſtituēdam pulſationem in animalibus, nempè propter attractionem aeris, vt inde generentur ſpiritus vitales, & animales, ſimiliter propter diſtributionem ipſorum, & conſeruationem caloris inſiti totius corporis?

Profectò propter hos vſus neceſſarios, & qui maioris momenti ſunt, pulſatio inſtituta etiam eſſe videtur, non enim ſpiritus vitales, & animales ſine ſubſtantiæ aereæ attractione, quæ per pulſa-

tionem fit generari poſſunt, neq; poſt eiuſdem attractionem, natura ſine pulſatione poteſt eorumdem generationis gratia vtramque ſubſtantiam aeream, atque ſanguineã exquiſitè permiſcere.

Præter hæc neque poſſunt ſpiritus, qui ſunt vehicula caloris inſiti cordis, diffundi, (quod maius momẽtum habet) per vniuerſum corpus, vt calor inſitus ſingularũ partium alioquin tepidus, & imbecillis, augeatur, actueturque, niſi ipſa pulſatio, & cordis, & arteriarum intercedat.

Igitur niſi caliget in meridiana luce, vt noctua, mens noſtra, cum natura mediante pulſatione, præter cæteros ab illis enumeratos vſus, prædictis etiam neceſſitatibus, quæ longè maioris momenti ſunt, ad vitamque ſimpliciter neceſſariæ ſatisfaciat.

*Verus pulſationis finis.*

Igitur propter iſtas naturam inſtituiſſe pulſationem, dicendũ erit, non autem propter illas, quas minus natura reſpicit.

Sed probemus prius neceſſariam eſſe aeris attractionem ad cor propter ſpirituum vitalium generationem, ex ipſo Hippoc. in lib. de corde, vbi aſſerit neceſſario aerem debere attrahi in cor. pręterea ex Gal. 7. de plac. cap. 3. dicente, ſicut vero vitalis ſpiritus, & in arterijs, & in corde gignitur materia generationis ex inſpiratione, & humorũ exhalatione ſumpta, ita animalis, &c. & 6. eiuſdem cap. 3. ait, eodem enim modo cor è pulmonibus aerem per has arterias attrahit, quo per radices plantæ ex humo alimentum omne concipiunt.

Idem repetit ſexcẽtis in locis in lib. de vſu part. in lib. an ſang. in arter. natur. conti. de vtilit. & de cauſ. reſp. in metho. med. quæ huc transferre in re clariſſima, & apud omnes confeſſa, indecorum mihi videtur.

Sic igitur ſatis conſtitutum ſit neceſſariam eſſe aeris attractionem ad cor propter generationem ſpirituum vitalium, & animalium.

*Aer non petit cor niſi p pulſationem.*

Quod autem aeris attractio ad cor non poſſit fieri, niſi mediante pulſatione cordis, & arteriarum, Galen. teſtatur 7. de vſu part. cap. 8. vbi ait, ſed ſi animum attenderis, conſiderariſque quod neque hoc ipſum inſtrumentum copiam habet ſanguinis, quo alatur ante, quia venæ ipſi quædam fuerint connexæ, neque cor fructum vllum ex reſpiratione percipit prius, quàm per aliam arteriam fuerit coniunctum huic.

Et ibidem repetit, vtrique enim earum propinquám eſſe oportuit, leui quidem quod aſpera per mediam eam reſpirationis vtilitatem cordi exhibet, venæ autem,&c.& 6.de plac.cap.3.vbi ait eodem enim modo cor è pulmonibus aerem per hás arterias áttrá hit,idem lib.de vtil.reſpir.cap.2.teſtátur, dũ áit, videmus etenim cor in reſpirátionis cohibitione aerem ex pulmone attrahere, ſed cor attrahit mediante dilatatione,ergo áttráhit per pulſationem. Cuius nõ paruám fidem faciunt etiam ea,quæ ibid.cáp.5.leguntur,dum ait, quod igitur aliqua pars aeris circá diſtentionem cordis in ipſum cor attrahitur, vt expleat factam euácuationem, id ipſum magnitudo diſtentionis ipſius ſufficienter indicat, quod verò etiam ad cerebrum inſpirátur in alio opere eſt demonſtratũ, in quo de Hippocrate & Platone eſt diſputatum. Porro cum cor á pulmone aerem partim ad ſe attrahat, partimque vicinis árterijs tranſmittat, quám ob cáuſám tamẽ aer, qui expirátur, nihilo paucior appareat,quam is,qui per inſpirationem attractus eſt, dicetur quidem alio loco diffuſius,&c.

Satis igitur conſtat áerem non poſſe ſine pulſatione áttrahi ad cor,quod non ſolum ſequitur ipſam reſpirationem, ſed etiam ſine reſpirátione, per ea, quæ per ámbitum totius corporis vocátã tranſpirátionem contingit, ideo Galen. de vſu pulſ. cap.5. ait, Quippe per hos tránſitus árteriæ dilatátæ ex venis áttrahunt,contractæ contra in eás regerunt, ſicuti nimirum per orá, quæ in cutem finiuntur, quicquidhalituoſum, fumidumve excrementum habent, id excernunt, recipiunt autem ex circumdato nobis áere non exiguam in ſe portionem, neceſſária eſt itáque pulſatio omnino própter huius ſpiritus attráctionem, & propter eiuſdem confectionem, cum ope árteriárum vtrumque fiat, & ſine eis fieri nequeat.

Quod ipſimet etiám confirmánt dicentes, cordis, & árteriárũ ágitationem conferre ad ſubminiſtrándum aſſiduum pabulũ ſpiritibus, in quibus cálor conſiſtit, cõfert etiam diſtribntioni eiuſdem, quiá vitalis calor in corde, vt in proprio fonte exiſtens debet impertiri vniuerſo corpori, ideo nátura conſtruxit ſpiritus, vt illius caloris vehicula eſſent,quemadmodum teſtátur Auicen. lib.de med.cord.cáp.1.dicens: Creauitque ſpiritum latorem virtutis animæ incolentem cum eis in membrá corporis,ſed quia lá-

tor ex ſe erat immobilis, & impulſore egebat, ideo natura excogitauit impulſorem, & eſt facultas pulſatilis.

*Per quod diſtribuatur calor cordis.* Quod ſi forte cuipiam dubium eſſet de neceſſitate diſtributionis caloris cordis, probemus & illud etiam, non quod noſtræ tractationi deſit, & primo ex Hippocr. authoritate in lib. de corde, vbi loquens de ventriculis, & arterijs eius ſic ait;

Hi ſunt fontes humanæ naturæ, & flumina, quibus totum corpus irrigatur, innuēs ſpiritus vitales a corde in totum corpus influxos, atque hi (ſubdit) etiam vitam homini conferunt, & vbi reſiccati fuerint, homo moritur, quia abſumpto ſpiritu, & calore, qui in corde reperitur, ineuitabili neceſſitate animal interire cogitur.

Idem teſtatur author libri de alimento ſub nomine Hippocr. dicens, Radicatio venarum hepar, radicatio arteriarum cor, ex his aberrant in omnia ſanguis, & ſpiritus, & calor per hæc meat.

Idem teſtatur Gal. de vſu pulſ. cap. 2. dicens, oportebat enim arbitror hic quoque exiſtimari, non eſſe ſimile, aut principium ipſum inſiti caloris pati, aut aliquid eorum, quæ ab illo calorem accipiunt, quippe id ſemper præcalidum eſſe debet, vt quod ſe ipſum, & alia tum moueat vna pulſatione, tum calefaciat. Et paulo poſt ibid. ait.

Quare ſi non per arterias, at certè per alia, & potiſſimum per venas propter eum, qui eſt de vna in aliam continuum tranſitum in omnem particulam defertur caloris aliquid. & ibid propè finē ait, alijs partibus duplex eius cuſtodia eſt, & pulſus, qui veluti reſpiratio quædam eſt, & quod ex abundantiori naturæ gratia accedit quod a corde confluit, duplici igitur cauſa particula quæq; cor ipſum ſuperat, quo minus noxam ex caloris inopia celeriter contrahat, ſi quidem cum illi plurimo ſit opus, cæteris exiguo, cumque a nullo calor illi confluat, ſed alijs ab illo, vtique illud celeriter a naturali ſtatu recedit, hæc minimè.

Addamus tandem & hanc, quæ ibid. cap. 3. ſcribitur ſub his verbis, quod autem non ſolum per arterias, ſed etiam per venas, & alia vniuerſa confluat a corde calor, quoniam de hoc paucis prius facta eſt mentio, rurſus idem reſumendum, demonſtrandumque nobis eſt.

Sed in re clariſſima forſitan nimius fui, ſi quis autem plura deſiderat,

ſiderat, videat de fęt.form.cap.3.de vtil.reſp.cap.5.4.de vſu part. cap.6.7.de plac.cap.3.ac alibi. idem Auicen.lib.1.fen.1.doct.iij. cap.2.vt ſatis ſuperque conſtitutum ſit, neceſſariam eſſe caloris a corde influentis diſpenſationem per vniuerſum corpus.

Vnde poſtea fit, vt ſuſpecta valde reddatur ſententia Galeni, 4.in 6.de morb.vulg.t.25.vbi ſtatuit iecur, & cor, æqualia principia inſiti caloris, dicens, & ſanguinis autem inopia fit, vt carnes refrigerentur, acquiſititium ſanè calorem a ſanguine, non inſitum, vt iecur, & cor poſſidentes. *Iecur & cor æqualia principia nō eſſe.*

Quia iecur indiget calore cordis, ſine quo perſimilis eſt caliditati, quæ in domibus æſtatis tempore ſentitur, ſed quemadmodū domus incenſo in ipſa igne calidior redditur, ita animalium corpus vniuerſum ex corde caliditatem maiorem acquirit, quam ea ſit, quæ in venis, & iecore inſita eſt, & ſanguine etiam, qui in venis, & iecore continetur.

Non igitur iecur in participatione caloris, cum corde comparandū eſt, ideo ſolum cor fons caloris, a quo ad alias corporis partes confluit, a nulla autem ad illud confluere dicendum eſt.

Verum nemo decipiatur putans abſolutè ſine pulſatione ſpiritum inſitum cordis per corpus diffundi poſſe, per verba Galeni dicentis, quare ſi non per arterias, at certè per alia, & potiſſimum per venas propter eum, qui eſt de vna in alteram, continuū tranſitum in omnem particulam defertur caloris aliquid. *Sine pulſatione ſpiritus cordis diffundi non pōt.*

Similiter dum ait, quod autem non ſolum per arterias, ſed etiā per venas, & alia vniuerſa confluat a corde calor, quoniā de hoc paucis prius facta eſt mentio, rurſus idem reſumendū demonſtrandumque nobis eſt.

Quia Gal. intelligendus eſt de interceptione partiali, nō principali, ita vt ſi aliqua pars generis arterioſi fuerit vinculo, vel aliter intercepta, non tamen hæc pars propter hoc omnino ſpiritu priuatur, dummodo arteriæ ſibi proximæ integritatem ſeruent illæſam, quia ſpiritus influens a corde per arterias per illam tantopere celebratam anaſtomoſim ingreditur venas, & per poros ſubſtantiam partium viuētium imbuit, quod clariſſimè Gal. ex Hippoc.ſententia expreſſit dicens:

Cum corpus ſit vndique conſpirabile, & ſibi ipſi confluxibile per eum, qui eſt de vna in alteram continuum tranſitum in om- *Corpus eſt vndiq; cōſpirabile.*

nem particulam defertur caloris aliquid, & tandem toti communicatur.

Si autem in fonte deficeret ſpiritus, tunc nulla eſſet pars, quæ hoc fauore deſtituta non eſſet, ideo ibid. dixit, oportebat enim arbitror hic quoque æſtimari, non eſſe ſimile, aut principium inſiti caloris pati, aut aliquid eorum, quæ ab illo calorem accipiunt, quia (vt dictum eſt) ſi principium patitur illico omnes vires pro ratione paſſionis detrimentum ſubeunt.

Si igitur (vt ad rẽ reuertar) pulſatio inſeruiens pluribus actionibus, quarum vna ſit principalis, dicitur primo, & principaliter inſeruire principali, ac propter eam primo, & principaliter inſtitutam eſſe, ergo pulſatio inſeruiens iraſcibili, generationi ſpirituũ, & diſtributioni caloris viuifici, quod principaliter ordinatur ad vitam, cęteræ verò actiones ſubordinantur ad eam; dicetur principaliter inſtituta propter diſtributionem caloris, non autem propter reliquas actiones.

*Pulſatio non eſt inſtituta propter iraſcibilem.*

Male igitur ab ipſis ſtatutum eſt pulſationem eſſe inſtitutam propter iraſcibilem, quia ſermo abſolute prolatus debet ſemper intelligi in potiori eius ſignificatione, & hinc eſt quod regulæ, & definitiones ſemper intelligi debent per ſe, non ex accidenti.

Quod elicitur ex verbis Ariſt. 1. Phyſic. t. 74. & confirmatur à Galeno 4. de vſu part. cap. 17. dum conſiderat coctionem alimenti in inteſtinis, & in venis omnibus factam, non eſſe primam eorũ actionem, ſed diſtributionem, ideo organa diſtributionis, nõ coctionis vocari ait, ſub his verbis:

Coquitur quidem adhuc alimentum, & in ipſo per inteſtina tranſitu, vt in venis etiam omnibus ſanguis, cum tamen neque inteſtinorum vllum gratia coctionis, neque venæ gratia ſanguificationis extiterint, ideo licet inteſtina concoquant, & venæ ſanguificent, tamen, quoniam inteſtina, & venæ, non ſunt conceptacula principaliter facta gratia coctionis, & sãguificationis, ſed gratia diſtributionis, ideo in ſua potiori, & principaliori acceptione cognita ſunt, atque inſtrumenta diſtributionis, non coctionis vocata ſunt.

*Quod in gratiam multorum eſt factum debetur potiori.*

Cum igitur vnum, quod in gratiam multorum eſt conſtructũ, debeat ſimpliciter dici conſtructum propter illud, quod eſt prius, & principalius, vt os dicitur factum ad cibum capiendum, ad lo-

quendum,

quendum,& ad excrementa expurganda,ſed quia aſſumptio cibi ſimpliciter homini neceſſaria eſt, ideo ille eſt præcipuus, & principalis vſus oris, non locutio, aut excrementorum expurgatio, ideo propter cibi aſſumptionem dicitur os conſtructum,non autē propter cætera munera,quæ obit.

Igitur cum pulſatio conferat attractioni aeris, confectioni ſpirituum vitalium,& animalium,diſtributioni caloris,ob quam viuens viuit, ſimiliter cum conferat refrigerationi, euentationi caloris innati, & fumidorum vaporum expiationi, ac tandem ſpirituum circumfuſioni pro excitanda ira, & priores operationes, & præcipuè diſtributio caloris innati totum corpus viuens viuificantis,ſint operationes ad vitam ſimpliciter neceſſariæ,iraſcibilis autem non,ſed ad bene eſſe tantum.

Igitur propter priores & principaliores, debet dici pulſatio inſtituta,non autem propter iraſcibilem, & perperam ipſi arbitrati ſunt,quæ eſt operatio ſecundaria,& ad meliorem, & commodiorem vitam tantum à natura excogitata.

Imò quo ad vitæ neceſſitatem non ſolum iraſcibilis vincitur à vitali,ſed etiam ab animali,quatenus motiua eſt,item a pulſatili, quia niſi calor innatus euētetur,refrigeretur,& expurgetur, quod fit per reſpirationem mouente facultate animali diaphragma, & in maiori neceſſitate muſculos intercoſtales, animal quam citiſſime ſuffocaretur, vt ſatis apud apoplecticos liquet,quibus,vt cōfirmat Gal.lib.de vtil.reſp.cap.5.vis animalis non influit, eandē vtilitatem nō poſſe quempiam conſequi niſi pulſus cordis, & venoſarum arteriarum pulmonis intercedāt, ſupra demonſtratū eſt.

Similiter niſi pulſatio per vniuerſum arterioſum genus conſeruetur,calor partium corporis perit,nec minus niſi ſpiritus animalis generetur, qui ex vitali mediante cordis pulſatione generatur,concidit animal, at deficiente iraſcibili non deficit vita, non igitur iraſcibilis cum relatis facultatibus in vitæ gubernatione comparanda eſt.

Sed quid opus eſt verbis? cum expreſſe hanc litem terminauerit Galen. lib.de vſu pulſ. cap.3.dicens, Cum hoc quoque demonſtratum iam ſit, nihilque iam aduerſari videatur, quo minus vnus reſpirationis,& pulſuum vſus ſit,facilè promptumque collectu arbitror, caloris in quaque parte cuſtodiendi cauſa pulſum eſ- *Pulſus ob cuſtodiam caloris cordis cōſtructus eſt.*

ſe

ſe conditum. Non igitur pulſus erit inſtitutus propter iraſcibilē, vt ipſi putant, ſi caloris in quaque parte cuſtodiendi cauſa pulſus eſt conditus, liquet autem hoc eſſe veriſſimum, quia cum calor in qualibet viuentis parte inſitus ſit imbecillis, & infirmus, ac ad vitales operationes ex ſe ineptus, igitur natura huic defectui proſpiciens, calorem cordis mediante pulſatione illis ſufficienter impertitur, & ita calorem in quaque parte inſitum fouendo, & augendo cuſtodit.

Valeant igitur hi, qui pulſationem propter iraſcibilem inſtitutam eſſe arbitrati ſunt, cum Galeno apertiſſimè aſſerēti pulſationem inſtitutam eſſe ob cuſtodiam caloris, aduerſentur.

Nec dixit eam eſſe ob cuſtodiam caloris cordis, ſed illius qui in quaque parte reperitur, quod niſi Gal. meminiſſet caloris partium, poſſent pro ſuæ ſententiæ tutela dicere pulſationem fauere calori cordis, vt excedens eſt, qui exceſſus datus eſt cordi propter iraſcibilem, quiq; ſine pulſatione ſeruari nullo pacto poteſt, & ita tamdem pulſatio iraſcibilem reſpiceret.

At Gal. ait pulſationem fuiſſe introductam ob cuſtodiam caloris partium, in quibus iraſcibilis non reperitur; nam calor hepatis, ventriculi, renum, externarum item partium, ac tādem omnium, ex ſe imbecillis eget calore cordis, vt vitalis ſit, ac propterea & nutrire, & augere, ac alia naturalia opera exercere poſſet, particeps autem fit caloris cordis per ſolam pulſationem.

At ſi quis diceret, non minus perperam, & inepte pro cauſa finali pulſus aſſignari attractionem ſubſtantiæ aereæ, generationē ſpirituum, atque eorumdem per totum corpus diſtributionem, quàm aſſignari iraſcibilem facultatem, propterea quòd Galen. neque hanc, neque illam aſſignet, ſed diuerſam ab vtraque cuſtodiam, nempè caloris inſiti, vt ſupra viſum eſt.

*Finis pulſationis eſt duplex. proximus.* Huic reſpondetur, quod duplex finis reperitur in actionibus, alter eſt proximus, alter vero remotus, & vltimus, & omnium finium finis, ideo ſi loquimur de proximo fine pulſus, ille eſt propter attractionem ſubſtantiæ aereæ, & hic propter generationem ſpirituum hi verò vt ſint vehicula caloris, qui per vniuerſum corpus communicari debet.

*Finis remotus, & vltimus.* Si verò loquimur de fine remoto, & vltimo, ad quem cęteri ordinantur tamquam ad digniorem, ille eſt de quo locutus eſt Gal.

nempè

nempè propter conſeruationem caloris innati,& propter generationem ſpirituum animalium,& quoniam ſpiritus genitus cõſeruari non poteſt ſine euentatione, refrigeratione,excrementorũq; expiatione, ideo natura ad hęc tãquam ad proximum finem ordinauit pulſationem, ſed hæc diriguntur ad conſeruationem caloris inſiti, & generationem ſpirituum animalium tamquam ad vlteriorem,& præſtantiorem finem, qui tamen adhuc remotioré reſpicit, & eſt vitæ animalium tutela,nam adſunt,vt ad omnium poſtremum dirigitur.

Præterea ſi excedens illa cordis caliditas,quæ ſine moderatione conſeruari non poteſt, eſſet inſtituta propter iraſcibilem, ſequeretur,quod ablato eo exceſſu,ſola iraſcibilis lęderetur,quemadmodum ſi quatuor gradus ſpirituum animalium exercent ſenſum,exceſſus vero exercet motum, tunc ablato eo exceſſu, ſolus motus tollitur, illæſo permanente ſenſu,ita ſi ille caloris exceſſus eſſet inſtitutus propter iraſcibilem, tunc eo ablato ſola iraſcibilis tolleretur, quod non videtur eſſe verum. *Finis remotiſſimus pulſationis qualis ſit.*

Quia ſi calor in corde deficit, non ſolũ iraſcibilis læditur, verũ vita, & vnà cum ea omnes animantis operationes concidunt.

Quare ſi pulſatilem eſſe propter iraſcibilem ſimpliciter pronunciaſſent,nullo modo poſſent a crimine vindicari, verum quia aſſerunt pulſatilem eſſe præcipuè, & propter ſolam iraſcibilem, patet apertè nihil abſurdius ab illis pronunciari potuiſſe.

Neque arduum eſt reſpondere rationibus adductis ad primũ enim eorum argumentum facillimè reſpondetur,quòd ſi iraſcibilis feruido calore vtitur,etiam vitalis feruido calore eget.

Ideo Galen.lib.de inæquali intemp.cap.5.& alibi ait calorem maximum in ſiniſtro cordis ventriculo reperiri, atque ſi viuo etiã animante, nec adhuc febre tentato, digitum in eum quis immittat,vehementiſſimum deprehendet calorem, qui ſine pulſatione nec generari, nec conſeruari poteſt, non poteſt generari, quia cũ ſpiritus vitalis fiat ex ſubſtantia aerea, & ſanguinea, primo eget pulſatione propter attractionem aeris in pulmonis leues arterias, qui in carne pulmonis receptus, ac ibi ſufficienter coctus, per eandem pulſationem debet accipi in ſiniſtrum cordis ventriculum.

Secundo eget pulſatione, vt in ſiniſtro cordis ventriculo vtraque

que ſubſtantia exquiſitè permiſceatur, ac præparetur ita, vt per ſubſtantialem trãſmutationem formam ſpiritus vitalis acquirat, præterea poſt eius generationẽ indiget cõſeruatione, ne intereat.

At conſeruari non poteſt, niſi cor, & arteriæ iugiter agitentur, tum quia modica refrigeratione, & euentatione eget, tum etiam quia fuligines, quibus alioquin retentis ſuffocaretur, expelli debent, hoc autem ſine arteriarum, & præcipuè venoſarum pulmonis pulſatione fieri non poteſt, & hæc pertinent ad calorem qui in corde reperitur.

*Calor, qui in cæteris corporis partib. eſt, vt conſeruetur.*

Qui verò in cæteris partibus inſitus eſt, ſimiliter ſine pulſatione conſeruari nõ poteſt, quia indiget eadem refrigeratione, euentatione, & expiatione.

Præterea hic indiget abundantiore illius caloris gratia, (& in hoc vniuerſæ rei cardo verſatur) qui a corde confluit, quæ omnia pulſatione ſola abſoluuntur, indigent tandem pulſatione ſpiritus animalis pro ſui generatione, qui ex alia materia generari nõ poſſunt, quam ex vitali ſpiritu, vt egregiè oſtendit Gal. exemplo illius animalis, cui deuinctis arterijs carotidibus defecit curſus, & totus motus.

Si igitur pulſatio nõ adeſſet, nec ſpiritus vitalis, nec vita adeſſet, ſimiliter nec ſpirituum animalium generatio reperiretur, quare neque operationes animales, deficeret igitur ſenſus, & motus, quare nec animalia dicerentur.

Cum igitur tot, & tã neceſſariæ operationes pulſum expoſcãt, ergo propter illas, non autem propter iraſcibilem factam fuiſſe ſimpliciter pronunciandum videtur, ex qua reſponſione non minus eluceſcit reliqua ad ſecundum eorum argumentum, quia ſi ope pulſationis ſanguis vehementer circumfunditur, quæ circũfuſio requiritur in ira, ita non minus ope pulſationis perficiũtur quàm plurimæ aliæ operationes, ac longè nobiliores, & præſtantiores, vt oſtenſum eſt, quamuis circumfuſio illa, quæ in ira, verecundiavè requiritur, magis fiat extra arterias, quàm intra per pulſationem.

Quia calor dum in ira, vel in verecundia circumfunditur, non ſequitur motum intra arterias factam, vt patet contemplanti verias arteriarum agitationes in vna caloris expanſione factas.

Patet igitur ꝑꝑ quid natura pulſationẽ deſideret in aĩalibus.

Similiter

Similiter patet, quã pulchrè Gal. definierit pulſationis vſum, primo de cauſ.pulſ cap.3.& lib.de vſu pulſ.cap.2.& alibi,qui breuiſſimis, ſed clariſſimis verbis eum expreſſit dicens, quod totus conſiſtit in tutela caloris inſiti, quod tam de cordis inſito calore, quam etiam cęterarum partium intelligi debet.

Præterea etiam neceſſario requiritur pro generatione ſpirituũ animalium,quæ omnes ſunt operationes ad vitam,tum mediatè, tum immediatè neceſſariæ.

Præter hæc autem quoniam facultas iraſcibilis debebat in viſcere calidiſſimo,& pulſante locari,ideo natura voluit, nec ſecus fieri decuerat, eligere cor pro eius domicilio, ad quod reſpiciens Gal.in locis præallegatis dixit,pulſationem eſſe ad iram excitandam animalibus tributam, quòd non principaliter, ſed de ſecundario intellexit vſu.

Atque ita natura ſagax,ſæpè vnico inſtrumento plura munera abſoluit, vt 6. de vſu part.cap.2.& 8.eiuſd. cap.7.ait Gal.quemadmodum oculis viſui, auribus auditui, naribus olfactui primo ſatisfacit, ſecundo excretioni excrementorum, & os primo ad cibum capiendum,ſecundo ad loquendum, poſtremo ad excrementa expurganda accommodauit, & ſpiritus per os attractus primo inſeruit,vt materia ſpirituum,vltimo locutioni,ita pulſatione primo calorem innatum tuetur, poſtea animalis ſpiritus generat, tandem iraſcibili inſeruit. *Natura ſæpè vnico inſtrumento plures operationes abſoluit.*

## AN PVLSATIO CORDIS, ET ARTERIARVM *ſit motus ſincerus naturalis, an animalis vel mistus, vt quidam male arbitrati ſunt.*

*Caput Duodecimum.*

QVONIAM ſupra dictum eſt, pulſationem eſſe agitationem,ſeu motum cordis,& arteriarũ, pendentem a facultate cordis,& arteriarum pulſificã, ideo quæritur qualis ſit hic motus,nempè num ſit naturalis, vel alterius generis, quòd vt exquiſitius explanetur diſtinguenda eſt ſignificatio naturalis, nam naturale aliud eſt,quod diſtinguitur ab artificiali,& violẽto, in qua ſignifi- *Significatio vocis naturalis diſtinguitur.*

ſignificatione naturale acceptum fuit ab Ariſt. in Phyſicis, dum naturalia omnia ſui motus principium internum habere ſtatuit, quæ vero arte, & violentia mouentur ab extrinſeco principio mouentur, nec motus eorum eſt naturalis.

Aliud dicitur naturale, quod diſtinguitur a ſupra naturali, quemadmodum ſunt creationes, ac ſimplices emanationes immediatè a Deo proficiſcentes.

Aliud dicitur naturale, quod diſtinguitur ab eo, quod caſu fit, quemadmodum ſunt monſtra, & ea quæ raro fiunt, in quibus ſignificationibus accipiendo naturale de eo nulla eſt quæſtio, neque controuerſia.

Conſtat enim motum cordis, & arteriarum in hoc ſenſu eſſe naturalem, quia motus ab agente intrinſeco factus vniformiter in loco & tempore, ſecundum naturæ modũ, & ordinem propter ſtatutum, & determinatum finem, non eſt neque artificialis, neque ſupra naturalis, neque a caſu factus, ſed eſt naturalis, qualis eſt motus cordis, & arteriarum, vt ſupra dictum eſt.

*In quo ſignificatu naturale accipiatur*

Aliud tandem eſt naturale, quod a voluntario diſtinguitur, in qua ſignificatione dubium faceſſit, ideo quæritur, an motus cordis, & arteriarum ſit naturalis, vel voluntarius, & ratio dubitationis eſt, quia omnis motus per muſculos, qui ſunt inſtrumenta voluntarij motus, celebratus, eſt voluntarius, motus cordis eſt motus (vt multis videtur) muſculi, qui perpetuo eo, quem diximus, dilatationis, & conſtrictionis motu mouetur, & a ſe ipſo agitatur, vt teſtatur Gal. de ſucc. bonit. & vitio, cap. 4. dicens: Cor certe ſubſtantia conſtat viſceribus cęteris, & denſiore, & fibroſiore, in illis namque vaſorum in medio ſubſtantia quædam cernitur concuti ſanguinis, at in corde fibræ viſuntur ſolidæ, multæ, longæ, quemadmodum in muſculis, circa quas carnoſa ſubſtantia conuenit, proinde ſunt qui cor in muſculorum genere reponant.

*Cor eſt muſculus.*

Cum igitur cor ſit muſculus, ergo motus cordis videtur eſſe voluntarius. Idem teſtatur Hippoc. in lib. de corde, aſſerẽs cor eſſe muſculum valde fortem.

*Cor nõ eſſe muſculum probatur*

Ex altera parte ſi ipſummet Galenum alibi loquentem audiamus, conſtat cor nullo pacto eſſe muſculum, quod multis in locis ipſe teſtatus eſt, ſed præcipuè 7. de anat. admin. cap. 8. dicens; Porrò quod corporea cordis ſubſtantia permultum a muſculo differat,

rät, abunde monſtrãtum eſt, vt cuius actio illius teſtimoniũ perhibeat, etenim cordis motus non arbitrarius eſſe, nec ceſſare, quo ad animal vita fruitur, poteſt. muſculorum autem functio ſubinde quieſcit, ac rurſus excitatur, animantis arbitrio ſubſeruiens.

Et ibid paulo poſt ait: Horum igitur ignari mihi videntur, qui cor muſculum eſſe exiſtimant, non intelligentes actionis ipſius excellentiam ex ſua viſceri ſubſtantia neceſſario ineſſe, quapropter maxime errant qui cor muſculum eſſe cenſent.

Similiter ſi poſt authoritatem Gal. rei naturam conſideremus, apertè patet cor non eſſe muſculum, quia vt ibidem demonſtrat Gal. quilibet muſculus eſt inſtrumentum voluntarij motus, at cor non eſt inſtrumentum voluntarij motus, ergo muſculus eſſe non poteſt.

Quod autem non ſit inſtrumentum voluntarij motus patet, cũ nullus vnquam valeat eius motum vel augere, vel imminuere, vel ſiſtere, vt apertè contingit in motibus voluntarijs, actiones enim imitantur ſubſtãtiæ proprietatem, vt ait Gal. 7. de anatom. admin. cap. 8. at actio eius eſt diuerſa ab actione muſculi, ergo ſubſtantia eius eſt diuerſa a ſubſtantia muſculi. *Cur nõ eſt inſtrumẽtum volũtarij motus.*

Prætereà confirmatur per diuerſitatem in ſapore, colore, duritie, & fibrarum varietate vtriuſque, cordis nempè & muſculi, inter quæ non parum diſcriminis intereſſe conſpicitur.

Et licet Hippoc. dixerit cor eſſe muſculum valde fortem tamẽ quomodo eius dicta accipienda ſint, ſupra cap. 1. ſatis expoſitum eſt, quemadmodum etiam Gal. per ſimilitudinem quandã, & ex aliorum mente dixit, cor videri muſculum, & propterea deridet illos, qui cor muſculum eſſe cenſent, ignaroſque rerum naturæ vocat.

Cum igitur motus voluntarius ille dicatur, qui conſulto fit, & appetitum cognoſcẽtem ſequitur, quem & ſedare, & excitare animal pro voluptatis ſuæ arbitrio poteſt, atque excitatum modo citatiorem, modo tardiorem reddere valeat, vt Gal. demonſtrat 10. de vſu part. cap. 9. & 2. de motu muſc. cap 5. ſed clarius vnuſquiſque in ſe ipſo experitur, dum ambulat, vel currit, vel aliter animal moueri appetit, quorum motuum inſtrumenta ſunt muſculi. *Motus uolũtatis qui dicatur.*

E contra vero contingit in motibus naturalibus, qui naturæ neceſ-

neceſſitatem conſequuntur, nec ſunt in poteſtate animalis, qualis eſt motus cordis,& arteriarum.

Igitur iure, & merito dicendum eſt motum pulſatilem cordis, & arteriarum naturalem eſſe,quem nullus vnquam aut accelerare, aut remorari,aut vllo pacto ſedare potuit.

Niſi forte quis aliquam corporis paſſionem, vt dolorem; aut animi affectionem, vt iram, timorem,gaudium, mꝰſtitiam, aut alias huiuſmodi perturbationes ſpontè paſſus,quas pulſus mutatio naturaliter, & ex neceſſitate conſequitur, ideo vt affectio fuit voluntaria,ita pulſus mutationem etiam volũtariam dicat, quod affirmari nullo modo poteſt.

*Iraſci in poteſtate hoĩs eſt.* Quia vt non eſt inficiandum vnumquemque pro arbitrio propriæ voluntatis,modo iraſci,modo gaudere aut triſtari,modo cõcitatius ſe moueri,& è contra, huiuſmodi paſſiones & motus omnes etiam compeſcere poſſe, ita ſimiliter in pulſu mutationes affectui reſpondentes, ac eum neceſſario conſequentes pro arbitrio excitabit. At nos non loquimur de motibus pulſus, qui ſequuntur iram, timorem, motumve, aut alios ſimiles affectus.

Sed loquimur de illis,qui immediatè appetitui voluntario obtemperant, qui cum nullo pacto competere cordi poſſint, igitur pulſum dicere motum voluntarium valde ridiculum eſt.

*Ordo motuum qui homini cõtingunt.* Primò enim obiectum ſe ſe offert, vt ſenſibile, deinde, vt iucundum vel triſte, ex quo ſtatim oritur primus motus naturalis conſenſionis,vel diſſenſionis,& vna cum eo ſpirituum commotio, & arteriarum, vel inflatio, vel confidentia, qui omnes motus non ſunt in poteſtate noſtra, ſignum autem commotionis ſpirituum eſt in imbecillibus erubeſcentia, vel pallor, hi igitur ſunt motus naturales.

Mox incipit ad libitum noſtrum appetitus, vel amplectẽdi, vel aufugiendi,qui fit principium motus voluntarij,cui ratio eſt reſiſtere,ac principium motus voluntarij ſibi arrogare poteſt, ſi quis igitur primos illos motus vnà cum ſpirituum commotione, ſpontaneos appellare vellet, huic idem contingeret, ac ſi calefactionem ignis ſpontaneam vocaret, eo quia voluntaria fuit ignis admotio.

*Obiectio quia motus cordis, et arteriarum nõ uideatur naturalis.* Verum alia oritur inſtantia, propter quam motus cordis, & arteriarum non videtur naturalis, quia Gal.lib.de trem.pal.con.

&

& rig. cap.2.eum diſtinguens a naturali vitalem appellat, dicẽs: Alij verò motus in animantium corporibus exiſtunt, qui arteriarum,& cordis officio obeuntur,quos vitales nuncupant, ac aliud quoddam tertiũ genus motuum in venis habetur, quod ſenſibus non percipitur, ità vt, diſtinguat motum vitalem ab alijs motibus, quos animales, & naturales, & hic, & alibi appellat, & tertium quoddam genus conſtituat, quod vitale appellatur.

Idem ſcribit 4.de præſag.ex pulſ.cap.12. dicens, non eadẽ eſt facultas vitalis, quam vocant, & nutritiua,naturaliſq; illius enim hoc vnum opus eſt generatio pulſus, naturalis id quod familiare eſt ad nutritionem allicere,& quod eſt alienum excernere,præterea retinere, alterareq; familiare alimentum; ad nutrienda enim corpora poſtulat hæc omnia,ſicuti ad natiui caloris tuendam mediocritatem,diſtentionem, & contractionem cordis & arteriarũ, quam facultatem nec in ſtirpibus inuenias,nec in animalibus frigidis, cuius generis ſunt oſtrea,& quæ petris, vel alijs duris corporibus adnaſcuntur, animalia calida potiſſimum ſanguine prædita apertiſſimam hanc facultatem, & vehementiſſimã obtinent.

Hæc ergo in contractionibus pulſuum eijcit ſolũ fuliginoſum excremẽtum,quod obſtiterit naturalis caloris mediocritati, ſicuti in diſtentionibus,quod ſe refrigeret allicit.

Altera facultas nutritiua conueniens attrahit alimentum, & incommodum excernit.

Diſtincta igitur facultatum principia ſunt, vt in com.de Hipp. & Plat.placit.oſtendi, ex quibus ſecundum Gal.ſententiam aperte conſtat,motum naturalem a vitali, vt etiam eorum principia diſtinguuntur,& cordis motum eſſe vitalem, nõ autem naturalẽ. *Diſtincta ſũt principia facultatum.*

Sed in verbis iſtis Galeni duo obiter animaduertenda ſunt:primo quia dixit facultatẽ vitalem generare pulſum, & in cõtractionibus pulſuum eijcere ſolũ fuliginoſum excrementũ, at hæc non pertinent ad facultatem vitalem,ſed ad pulſificam,ideo per facultatem vitalem nunc intelligendum eſt: totum organum,quod eſt ſubiectum plurium facultatum,quarum præcipua eſt vitalis, ideo ab ea denominatur, negligens propriam vniuſcuiuſque appellationem,vt ſæpe fecit,quod ſupra adnotauimus. *Animaduerſio.*

Secundò ait hanc facultatem eijcere ſolum fuliginoſum excrementum per contractionem, vt ſupra dictum eſt, etiam præter *Alia animaduerſio*

hæc diſpergere calorem per vniuerſum corpus viuens, cæterũ hoc in loco Gal. conſiderat tantum vtilitatem internam cordis, non autem, quæ eſt extra cor, hæc autem in contractione eſt expulſio excrementorum fuliginoſorum, non diffuſio caloris inſiti cordis per corpus viuens.

Sed proſequamur propoſitam inſtantiam, qua probatur, quod facultas pulſifica non ſit naturalis, cum attineat ad vitalem, quæ eſt facultas diſtincta ab animali, & naturali, vt ex Galen. authoritate viſum eſt, quam diſtinctionem ſimiliter vbique omnes Medici amplexati ſunt, quod cum ita ſit, igitur male motus cordis, & arteriarum vocatus fuit a nobis naturalis.

*Reſponſio.* At huic inſtantię facillimè reſpondetur, quod ſi nos accipimus naturales operationes, vt contra diſtinguuntur a voluntarijs, procul dubio dicendum eſt motum cordis, & arteriarum eſſe operationes naturales, ideo Gal. 6. de vſu part. cap. 18. ad hoc reſpiciẽs, actiones cordis naturales vocauit, quia ipſæ non ſequuntur appetitum cognoſcentem.

*Quo ſenſu motus cordis ſit naturalis.*

Idem apertè inſinuare voluit lib. de ſympt diff. cap. 3. dum enumerans ſymptomata ad actionem læſam pertinentia ea reduxit ad duo capita tantum, nempè ad actiones animales, & naturales læſas, vitales autem omnino ſubticuit, quia ſub naturalibus intelligi, ac contineri voluit.

Similiter idẽ fecit primo de cauſ. ſympt. cap. 1. & primo de loc. aff. cap. 7. & lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 3. Quemadmodum ẽt ſi nos accipimus naturale, vt opponitur præternaturali, motus cordis, & arteriarum dicuntur operationes naturales, vt ſimiliter Gal. accepit lib. de vtilit. reſp. cap. 5. dicens, iure igitur principium naturalis caliditatis, ipſum videlicet cor, reſpiratione in tantum egẽs habemus, quantũ etiã ipſi moderata caliditate indigemus.

Et 2. de cauſ. ſympt. cap. 1. dicens, naturæ nomen in hac diſceptatione pro omni facultate, quæ animal, ſiue voluntatis nutu, ſiue citra hanc regat, intelligas velim.

At ſi nos conſideremus quantum tria iſta principia, cerebrum nempè, cor, & iecur, re & eſſentia, & operationibus inter ſe diſtincta ſint, cogimur, vt differentiam, quam inter ſe, & ab inuicem habent, explicemus, diſtincta nomina illis adaptare.

Cum autem cerebrum ſatis ob operationes animales á corde,

&

& iecore, quæ ſunt principia naturalia diſtinguatur, ideo neceſſe erat excogitare aliquam differétiam inter cor, & iecur, & propterea arbitrati ſunt antiqui, ſe ſatis poſſe diſcrimen horum duorum membrorum naturalium exprimere, ſi vnum nomen cōmune retineret naturalis nempè. alterum verò, quamuis illud quoque ſit naturale, tamen ob vitales operationes, quas exercet, vitale diceretur.

Quare licet vtrumque viſcus, cor nempè, & hepar, ad differentiam cerebri, quòd operationem voluntariarum eſt principium, operentur per modum naturæ, & ſine cognitione, & propterea eorum operationes omnes ſint naturales, tamen, vt fieret aliqua diſtinctio accidentalis, inter illa principia, ac earum operationes, quatenus aliæ pertinent ad cor, & aliæ ad hepar, ideo illæ, quæ cordis ſunt, vocatæ ſunt operationes vitales, non quòd non ſint naturales, ſed quaſi dicantur non eſſe ab hepate, ſed a corde, & diuerſo principio, & hinc orta eſt altera ſignificatio naturalis, vt aliæ operationes ſint naturales, id eſt, ab hepate, aliæ vitales, id eſt, a corde, aliæ animales, id eſt, a cerebro, & ita intelligi debet Galen. dum operationes, quæ a corde emanant, vitales appellat, contradiſtinguens eas a naturalibus, & animalibus non ſecus, ac ſi quis, exempli gratia, diceret, librorum alij ſunt Veneti, alij Pariſienſes, deducta eorum differentia a loco, vbi orti ſunt non ab eorum eſſentia.

*Origo alterius ſignificatus naturalis.*

Dum igitur quæritur, an motus pulſatilis ſit naturalis, dicamus illum, vt diſtinguitur a præternaturali, & voluntario eſſe naturalem, vt vero diſtinguitur ab alijs operationibus diſtinctis inter ſe per ſolum diſtinctionem partium, quibus partibus varia nomina impoſita ſunt, nempè hepati nomen naturalis membri, cordi vero nomen vitalis, & cerebri animalis, dicamus (inquam) pulſationem non eſſe naturalem operationem, nec animalem, ſed vitalem, quaſi dicat non eſſe ab hepate, nec a cerebro, ſed a corde, & ita multis in locis Gal. vocauit pulſationem, modo vitalem tantum, modo etiam naturalem, pro ut diuerſus eius erat reſpectus.

## DILVCIDATVR LOCVS GALENI, quo falsò probari videtur pulſationem cordis, & arteriarum eſſe motum animalem. Caput Decimumtertium.

SED maior adhuc inſurgit dubitatio, quia Galen. lib. de diff. ſymp. cap. 3. videtur motum palpitantem, & vibrantem reducere ad motum animalem, ac motum cordis, & arteriarum eſſe motum animalem, non autem vitalem, vt nos vnà cum ſuperioribus Medicis, & Philoſophis ſtatuimus.

Quòd autem motus cordis, & arteriarum ad facultatem animalem reducatur, apparet, quia ibi Gal. enumerando actiones læſas, ait alias eſſe animales, alias naturales, animalium alias eſſe ſenſibiles, alias motiuas, alias rectrices, & tandem deueniens ad motiuas, ait motiuarum actionum prima ſymptomata eſſe immobilitatem, & vitioſam mobilitatem, huius autem alius diminutus, infirmuſq; motus, alius prauus, prauorum autem alius tremulus, alius conuulſiuus, alius palpitans, alius vibrans.

*Motus palpitans, & vibrãs eſt animalis.*

Ecce quod connumerat inter motus animales palpitantem, & vibrantem, nam diuiditur motus animalis, & membra diuidentia debent ſeruare naturã diuiſi, vel ergo per palpitantem, intelligit motum palpitantem cordis, & arteriarum, vel cæterarum partium.

Nõ cæterarum partium, quia tantum abeſt, vt motus palpitãs cæterarum partiũ ſit animalis, vt prorſus omni facultate mouente, ſiue naturalis, ſiue animalis ſit, fuerit deſtitutus, quia eſt ſinceriſſimus motus ſolius morbi, nempè flatus craſſi.

Neque dicendum eſt palpitationem hanc poſſe dici motũ facultatis animalis, quatenus eſt motus muſculi, qui eſt inſtrumentum facultatis animalis, quia muſculi non mouentur ad ſuũ principium in palpitatione, vt in motu conuulſiuo, ſed ſolum dilatantur, & partes a partibus ſeparantur, ergo relinquitur de neceſſitate, vt de palpitatione cordis, & arteriarum loquatur, ergo motus cordis, & arteriarum palpitans erit motus deprauatus ab animali facultate dependens.

Hoc

Hoc argumento quidam vtuntur ad probandum cordis, & arteriarum motum animalem eſſe, ſimiliter alia quædam ad idem aſtruendum addunt, quę conſulto tamquam nullius ſint roboris, & momenti, negligere decreui, hoc tantum perpenſo, quod iunioribus aliquam apparentiam habere poſſet, innititurq; authoritati Galeni malè intellectæ, & ideo ſaltem hinc occaſionem arripiemus declarandi ea, quæ a Gal.ibid. habentur.

Dicamus igitur, motum cordis, & arteriarum animalem eſſe omnino non poſſe, vt in infinitis propemodum in locis teſtatus eſt Galen. & præcipuè 6.de vſu part.cap.18. vbi ait, cor nullam actionem animalem habere, & ratio eſt, quia cor muſculus non eſt, nec eius motus ab imperio voluntatis animalium vllo pacto pendet, de qua re multa ſuperius habita ſunt. *Motus cordis, et arteriarum nõ poteſt eſſe animalis*

Sed animaduertendum eſt, Galenum, dum aſſerit cor nullam actionem animalem habere, intelligere de motiuis, non de ſenſitiuis, vt ibidem declarat, non enim cor caret facultate ſentiendi, ideo aliquam facultatem, & actionem animalem habet, ſed infra alias animales facultates, eaſque mirabiles habere ſatis (ni fallor) planè demonſtrabitur.

Igitur redeuntes ad rem reſolute dicamus, Galenum nullo pacto voluiſſe motum palpitantem cordis, & arteriarum eſſe motum animalem, vt fiat imperio noſtræ voluntatis, vel qui fiat a duplici facultate, animali ſcilicet, & naturali ſimul miſtis.

Quod mihi videtur abſurdius, cum nulla in parte iſti duo motores aliqua ratione permiſceri in vna actione perficiéda poſſint, ideo dum dicunt, vel Gal. per palpitantem intelligit motum palpitantem cordis, & arteriarum, vel intelligit motum palpitantem cęterarum partium, promptè reſpondendum eſt, Galenum intelligere motum palpitantem cæterarum partium. *Motor naturalis, et animalis permiſceri nõ poſſũt.*

At dum ſubiungunt tantum abeſſe, vt ille ſit motus animalis, vt prorſus omni facultate mouente ſit deſtitutus, quia eſt ſinceriſſimus motus ſolius morbi, nempè flatus craſſi.

Tunc dicendum eſt, quòd ille motus palpitationis cæterarum partium, vt eſt in muſculis, reducitur ad motũ animalem, quemadmodũ etiam vibrans, quia vt palpitatio eſt motus multis partibus corporis communis, ita præcipue, & potiſſimũ muſculis contingit, vt ait Gal de trem.palp.con.& rig. cap.2.& 5.

*Palpitatio eſt motus animalis rõne muſculi ĩ quo fit.*

Et cum muſculi ſint inſtruméta voluntarij motus, ideo ſecundum hanc rationem, muſculi nempe, non ratione motus, palpitatio illa reducitur ad motum prauum facultatis animalis, licet in palpitatione muſculi non moueantur verſus ſuum principium, vt fit in motu animali, ſiue naturalis ſit, ſiue conuulſiuus.

Et hoc modo intelligẽdus eſt Gal. vt quilibet candidus lector facilè percipiet, non is qui ea, quæ ſcribit Galen. oſcitanter percurrerit.

Nam lib. de diff. ſympt. cap. 3. poſtquam has omnes actiones læſas enumerauit, ſubiungit hæc verba, verum de eiuſmodi omnibus proximo libro, qui de ſymptomatum cauſis aget, diſſeretur. vt igitur cognoſcamus de qua palpitatione loquatur, an de eã cordis & arteriarum, vel potius de palpitatione cæterarum partium, & præcipuè muſculorum, videndum eſt quid ibi habeat Galenus.

Sed ibi, qui eſt 2. de cauſ. ſympt. cap. 1. poſtquam numerauit conuulſionem, tremorem, palpitationem, rigorem, horrorem ſingultum, tuſſim, ructum, ſternutationem, pandiculationem, oſcitationem, ſtridorem, dixit omnia hæc ſymptomata pro communi genere habere motum illegitimũ, diſſidere verò inter ſe, quod alia eorum naturæ ſunt opera, quæ tamen a morboſa quapiam cauſa violenter moueri ſit coacta, alia morboſos comitantur affectus, natura ad eorum motũ, ſuppetias minimè ferente, alia fiunt vbi ad opus efficiendum ſimul coeunt & morbus, & natura.

*Motus illegitimi qui ſint.*

Paulo poſt ait, eiuſmodi ergo facultatis opera ſunt ſternutatio, tuſſis, oſcitatio, pandiculatio, & ſingultus, vnius autem morbi opera ſunt palpitatio, & conuulſio, ſicuti &c.

At ſi palpitatio eſt vnius morbi opus, quomodo quęſo ad facultatem cordis, & arteriarum reducitur ab illis?

Similiter ibid cap. 2. ait, at conuulſio in eandem diſpoſitionẽ neruos, muſculoſq; ducit, in quam, cum pro naturæ lege ſe habebant, ab animali virtute ducebantur, ſiue igitur ad principium tenſis, ſiue flatus influxu impletis muſculis voluntarij motus erãt obiti, hæc eadem in conuulſione accident, tum ſpiritu flatuoſo in muſculis gigni potente, tum multis, qui tenſionem creent, (è quorum numero phlegmone eſt) affectibus.

Quibus verbis Gal. hoc in loco a ſe ipſo citato indicat ſe loqui

de

de palpitatione muſculorum, quam conuulſionem, non minus, quam veram conuulſionem vocat dicens, hæc eadem in conuulſione accident, tum ſpiritu flatuoſo in muſculis gigni potente, tũ multis, qui tenſionem creent, (è quorum numero phlegmone eſt) affectibus, licet manifeſtiſſimè diſtet motus palpitans a conuulſiuo, vt ibid. docet Galen.

Hanc eandem affectionem á ſpiritu flatuoſo in muſculis collecto excitatam Auicē. lib. 3. fen. 3. trac. 1. cap. 18. iectigationem, ſeu ſaltum lacertorum vocat. *Iectigatio Auicennæ quid.*

Similiter quod Galen. eod. 2. de cauſ. ſympt. a ſe citato agat de palpitatione, quæ fit a flatu craſſo ſe habente in communi ad omnes partes corporis ad dilatationem aptas, non autem de ea cordis, & arteriarum, quæ fit a facultate ad mouendum quomodocumque excitata, patet, dum ibid. ait:

Palpitatio autem eſt dilatatio quædam præter naturam in particula, fit autem in omnibus corporis partibus, in quibus dilatatio, diſtentioq; accidere poteſt, nō enim profecto os, cartilagovè vnquam palpitant, propterea quòd dilatari non poſſunt, ergo in cute ſæpè incidit, nonnunquam etiam in ſubiectis illi muſculis, quod paulo poſt clarius adhuc exprimens ait, vnoque verbo in omnibus, quæ dilatari diſtendique poſſunt, ita vt tum arterijs, tũ cordi ipſi videatur incidere.

Et quod non ſit motus facultatis declarat dum ſubiũgit, aliuſque in his præter pulſum motus videtur eſſe, atque quod hic non ſit motus facultatis, ſed motus a flatu craſſo, nullum amplius dubitationi locum relinquit, dum confirmat, ac ſtabilit ſe agere de palpitatione a flatu craſſo, vt contingere poteſt omnibus prædictis partibus, & addit:

Eſt igitur paſſio hæc neque voluntariæ virtutis propria, nec inſtrumentorum ad hanc ſpectantium, cuiuſmodi ſunt tremor, & conuulſio, ſed ceu modo dictum eſt, omnibus corporibus, quæ dilatari poſſunt, incidit.

Sed dum addit cauſam, á quá excitatur, tunc ad abſolutā eius notitiam nihil vlterius deſideratur, dicit igitur, ſanè cauſam huius ſymptomatis ab his, quæ manifeſtiſſimè apparent, indagari conueniet, nempè palpitationibus, quæ in palpebris, ſupercilijs, fronte, maliſque contingunt: nam in iſtis partibus palpitatio in-

 cidens

cidens apparet,& ideo conſpicitur etiam dilatatio, & compreſſio quædam ſimilis illi, quæ fit in arterijs, ergo eadem quæſtio, quæ facta eſt de arterijs,nempè an arteriæ repleantur, quia dilatantur inſtar follium, an dilatentur,quia repleantur inſtar vtriū,de membris palpitantibus etiam fieri poſſet; ſed queſtio(ait) genere quidem ſimilis eſt ei,quæ de arterijs facta eſt,ſed facilitate inuentionis eſt diſſimilis, quia per ſe clariſſima eſt, neque dubium vllum faceſſit,arteriæ enim ſemper, & eodem modo a naturali facultate cordi innata, arterijs verò communicata pulſant, at particulæ, quæ palpitant, mouentur a cauſa præternaturali, vſque ad aliquod tempus, nec ſemper eadem motus magnitudine, & æqualitate agitantur.

Cum igitur talis vis pulſandi, neque particulis pulſantibus ſemper inſit,neque dum ſanæ ſunt,clarum eſt eas ex ſe non palpitare, ſed moueri a re præternaturali,talis autem eſt flatus craſſus.

*Particulæ palpitātes dilatātur, quia replē tur.*

Ex quo patet ſolutio quæſtionis, nempè particulas vere palpitantes non repleri, quia dilatantur, ſed e contra dilatari, quia replentur ab aliqua ſubſtantia extrinſecus influente, atq; ipſas implente vtrium inſtar.

Quæ de neceſſitate altera è duabus erit, vel enim erit ſuccus aliquis, vel aerea ſubſtantia, at quod ſit ſuccus, repugnat palpitationis motus, & ſolutionis celeritas, relinquitur igitur quod cauſa palpitationis ſit tenuis ſubſtantia quædam,non tamen vſq; adeo tenuis, vt è parte ipſa effluat, tenuis eſt igitur quatenus aerea, & halituoſa eſt,craſſa tamen,quia halitus eſt ſubſtantia inter vapores craſſa,& non facilè per meatus transfluens.

Hic & pluribus alijs,quæ facilè patere vnicuique poſſunt,Gal. eo capite clarè oſtendit ſe verba facere de ea palpitatione, quæ multis partibus corporis communis eſt, & potiſſimum muſculis, & fit a flatu craſſo,& non de palpitatione cordis, & arteriarū, qui eſt motus facultatis vtcumque læſæ,quæ conſulto pluribus a Galeno transferre huc volui, vt omnibus conſtet quam accurati lectores Galeni, & obſeruatores ſententiarum eius ſint illi, qui aſſerunt Gal.ibi verba facere de palpitatione cordis, & arteriarū.

Sed quod palpitatio,quę in muſculis oritur, dicatur non ratione motus, ſed ratione inſtrumenti tantum, motus deprauatus facultatis animalis, licet muſculi non moueantur verſus ſuū principium,

cipium,vt ſit in naturali, vel conuulſiua motione, teſtatur etiam lib. de trem.palp.conuul.& rig.cap.2.dicens, de illis omnes enim eiuſmodi affectus vitiati motus ſunt inſtrumentorum eorundem, quibus arbitrarij motus ſanorum obeuntur.

Idem confirmat primo de diffic.reſp.cap.18.dicens: Sunt igitur propriè muſculorum affectiones,conuulſiones,palpitationes, & tremores, & paulo poſt ait, quemadmodum enim ambulatio inæqualis ſit crurum muſculis, aut trementibus, aut palpitantibus, aut conuulſis, ita & reſpiratio, & dum interdum palpitatio magnum aliquod muſculum occupat,pars ita dilatatur,vt totum ſæpenumero membrum attollat, & dum contrahitur, permittit membrum veluti rem inanem ita deorſum ferri, vt totus motus præter naturam ſit,vt ibid.ait Gal.

Et quod dictum eſt de motu palpitante,idem dicendum eſt de vibrato, quem illi arterijs, & cordi tantum tribuunt, cum ſit, vt etiam rigor.totius corporis concuſſio, & vibratio, pertineatque etiam ad cutim,& partes muſculoſas totius corporis,in quo ſignificatu ibi illum accepit Gal.

Et propterea primo de cauſ.ſympt cap.vlt.ait: Eſt autem nempè rigor inæqualis totius corporis concuſſio, vibratioq;, vocetur ſi lubet concutiens rigor,idem repetit.2.eiuſd.cap.1.& 5.pluries, & lib de trem.palp.con. & rig. vbi rigorem motum vibrantem ad cutim,& muſculos attinentem appellat.

Quod cũ ita ſit,ergo vt palpitatio ratione partis, & inſtrumenti,quod eſt muſculus, vocatur actio læſa pertinens ad facultatem animalem,ita & motus vibrans, ſeu rigor eodem nomine dignari debet. *Rigor ratione partis motus animalis dicitur.*

Non igitur hic motus transferendus erat ad facultatem pulſificam,vt ipſi parum ſcite fecerunt,arbitrantes in ſolo pulſu reperiri motum vibratum, cum magis in cute, & partibus muſculoſis concipiatur,ſecundum quem conſiderandi modum Gal. dixit attinere ad facultatem animalem, quod eſt veriſſimum ratione muſculi tantum, vt de palpitatione dictum eſt, non autem ratione motus, quia muſculi in palpitatione non mouentur verſus ſuum principium.

Sed obiter ſoluenda eſt pulchra quædam contradictio in verbis Galeni,quia primo de difficultate reſpirat.cap.18.ait, sũt igi- *Dubitatio*

tur

tur propriæ muſculorum affectiones, conuulſiones, palpitationes, tremores, ex quo videtur cum ſint propriæ muſculorum affectiones, alijs partibus competere non poſſe.

At contrarium aſſerit 2. de ſympt. cauſis, cap. 2. vbi ait, igitur paſſio hæc (id eſt, palpitatio, de qua ibi loquitur) neque voluntariæ virtutis propria eſt, nec inſtrumentorum ad hanc ſpectantium, ideo non ſolis muſculis competit, ſed alijs partibus, quæ dilatari poſſunt.

*Solutio.* At ſoluitur contradictio, quòd palpitatio eſt affectio omnibus muſculis propria, ideo recte dixit primo de difficultate reſpir ſed quia non competit ſolis, ideo ſecundo de cauſis ſymptom. iure dixit, non eſſe proprium ſolis muſculis, ſic enim proprium reperitur eſſe, vt aliud ſoli, aliud omni, ſed non ſoli, quam diſtinctionem Galenus logicam primo in primum prorr. t. 4. comprobauit. Cum igitur palpitatio ſit affectio propria omnibus muſculis, non ſolis, ideo lib. de cauſ. ſympt. Galen. loquitur de proprietate, quæ competit ſoli, & in hoc ſenſu nō eſt propria, cum etiam alijs competat. at lib. de defi. reſpir. loquitur de proprietate, quæ competit omni, ideo iure aſſerit has paſſiones eſſe proprias muſculis, ſic enim proprium altero duorum modorum accipiendum eſſe docuit Galenus 1. prorr. tex. 4.

## *COR FACVLTATIS IRASCIBILIS, & Animoſæ ſubiectum eſſe, & quid vnaquæque facultas, & earum operationes ſint.*

### *Caput Decimumquartum.*

ALTERA cordis facultas, per quā animal de eo vindictam ſumere cupit, quod videtur offendiſſe, & per quam in animali fit motio vehemens, & immoderata, quæ foras agat, fundat, calefaciatq; ſanguinem, & ſpiritus, vt qui in corde reperitur potius feruere, quam calere dicatur, vt Galen. ait 2. de tuend. val. cap. 9. & quæ iraſcibilis vocatur, eſt facultas animæ iram in animali producens propter appetitum vindictæ, gratia melioris vitæ animalium.

*Facultatis iraſcibilis definitio.*

In qua definitione,cum cętera ex ſupra dictis conſtent, conſideranda eſt illa particula propter appetitum vindictæ, quæ eſt finis, in quem ira ordinatur; at quo ad naturam non eſt abſolute vltimus, & poſtremus, cum appetitus vindictæ ordinetur ad poſteriorem finem,qui eſt melior vita animalium.

Melior autem vita animalium, vel attenditur penes operationes animæ, vel corporis:ſi primum, his ira confert, ideo Plato in Timæo ſtatuit iram in gratiam,& auxilium rationis homini elargitã fuiſſe,ideo ſi quid extrinſecus ab alijs, aut intrinſecus a proprijs libidinibus perpetretur, aduerſus quod ſola ratio obſiſtere non poſſit,tunc ratio iraſcibilem ſibi in auxilium accerſit,quæ animali per ſe, & vt ira eſt,confert. *Melior vita animalium eſt duplex.ſ. animi.*

Si ſecundo melior vita animalium attendatur penes operationes corporis, hic ſimiliter ira confert,quia ira in frigidis vitijs, & frigidiore natura corde, & capite magnopere iuuat, ideo Galen. 5.in 6.de morb.vulg.t.9.ait prædictorum cognitio vtilis eſt,vt ira euitetur,nonnunquam de induſtria excitetur; euitetur, cum cor, & caput naturali intemperie ſupra modum calidiora ſunt,aut aliquo aduentitio calido affectu laborant; excitetur autem in frigidis vitijs,& natura frigidiore corde,& capite. *Corporis.*

Eodem modo & totius corporis temperatura ſi calidior, quam par ſit, aut morbo, aut natura fuerit, magnopere iracundia offenditur,illi autem contraria, hac magnopere adiuuabitur, quod etiam 2 eiuſd.t.30. Hippocratem tradidiſſe teſtatur.

Idem confirmat in Hippoc.lib.de humor.t.18.dicens:Cum in corpore frigidi, pituitoſique humores redundant tunc non modo corporis motione, ſed etiam agitatione mentis excitare,ac veluti accendere calorem natiuum oportet, qua in re iram, non tamen vehementem corporis motionibus adijcies, vt calor propagetur, & humores ad extimas partes expellantur,quod tamen ab ira per accidens præſtatur,non enim confert, vt ira eſt formaliter, ſed vt commotio,ſeu vt agitatio quædam eſt caloris innati.

Cæterum cum ira ſit feruor ſanguinis in corde propter appetitum vindictæ, ſatis conſtat vindictam eſſe cauſam finalẽ, propter quam facultas iraſcibilis mouetur ad producendam iram;At num aliam cauſæ rationem ſubire vindicta poſſit, dubitari poteſt propter verba Auerr. 12.Metaph.t.36.dicentis: Balneum in ani- *Vindicta eſt cauſa finalis irę*

ma

ma mouere,vt agens,extra animam vero mouere, vt finis, quia hoc eſt verum,etiam vindicta in anima mouebit, vt agens, & extra animam, vt finis.

*Species rei vel eſt in facultate cognoſcẽte uel in appetente.*

Pro cuius notitia animaduertendum eſt,ſpeciem rei poſſe eſſe, vel in facultate cognoſcente,vel in appetente.

Si in cognoſcente,tunc mouet vt agens,quia ſpecies phantaſmatis in anima exiſtentis, dum ad varias potentias fertur, mouet illas vt agens, ideo Ariſt. lib.de ani.mot.cap.5. ait inſtrumentarias partes paſſiones apte parant, appetitus autem paſſiones, appetitum autem imaginatio, hæc autem fit aut per intellectionem,aut per ſenſum. Si verò ſpecies res ſit in appetente, tunc mouet vt finis.

Sed ne decipiaris putãs ſpeciem rei pro eo eſſe quod habet in appetente mouere vt finis, quia mouet vt finis pro eo eſſe tantũ, quod poteſt eſſe extra animam, tale enim eſt, quòd ſui ſpeciem producit in appetente, & eſt illud totum, & vltimum,cuius gratia operans operatur.

Quòd tamen eſt duplex ob duplex eſſe, cui competere poteſt, vel enim eſt in actu, vel in potentia tantum, ideo illud, quod eſt vltimum, & finis, & cuius gratia operans operatur, non poteſt habere eſſe actuale, quia ſic eſſet res effecta,non res efficienda,vt ſi quis appetit balneum eſſe, ſignum eſt, quòd balneum non eſt, aliter non appeteret illud eſſe.

Si verò appetit balneum, quod iam actu eſt, non appetit illud pro eo, quod eſt, ſed pro eo, quod non eſt, nempè appetit eius fruitionem, & in hoc eſſepotentiali vniuerſa ratio obiecti appetitus conſiſtit.

Ideo ſententia Auerr.loco ſuprà allegato ſi intelligatur eo modo,quo profertur,falſa eſt,quia balneum extra animam eſt res effecta, in quam non fertur appetitus, ſed appetitur tantum fruitio eius, vel aliquid aliud,quòd non adeſt actu, ſed poteſt eſſe tantum, quia appetitio eſt motio quærens finem, quem non habet, vnde recte dicitur,priuatio generat appetitum.

*Vindicta in cognoſcente mouet, vt efficiens.*

Dicamus igitur ad propoſitum noſtrum, vindictam in cognoſcente mouere,vt efficiens, vt vero eſt in appetente mouere, vt finis, dummodo intelligatur non pro eo eſſe,quod habet in anima, ſed pro eſſe reali, & extra animam.

Quòd

Quòd cùm ſit duplex, ideo non accipitur, pro quocumque eſſe reali, & actu, ſed pro eſſe reali in potentia tantum, quia in tantum appetimus vindictam, in quantum ea adhuc eſt res futura, nō effecta, & eſt in potentia, non in actu, quando autem vindicta eſt in actu, tunc ceſſat omnis eius appetitus.

Quod autem iraſcibilis facultas in corde locetur, teſtantur omnes Philoſophi, & Medici, ideo Hipp. in 2. de morb. vulg. ait, cui vena, quæ eſt in cubito, pulſauerit, furioſus ille, & iracundus euadit, cui ſenſim mota fuerit, lentus, per venam more ſuo arteriam intelligens, vt notat Galenus. *Iraſcibilis in corde locatur.*

Hoc autem ideo euenit, quia cum arteriæ cum corde continuent, ac motum ab eo perennem accipiant, ſintque fidiſſimi nuncij diſpoſitionum eius, ideo valida cordis pulſatio, eius validum calorem, & per conſequens facilem in iram promptitudinem, vel furioſam iram indicat.

Poſt Hippocratem autem Plato in Timeo eandem ſententiā comprobauit dicens: Cor verò venarum originem, fontemq; ſanguinis per omne corpus impetu quodam manantes in ſtipatorum regione ſuſpendere voluerunt, vt quando iræ vis exardeſcit, ratione nunciante, ſi quid extrinſecus iniuſte fiat, vel intrinſecus aliqua cōcupiſcentia turbet, tunc celeriter per anguſtos quoſlibet meatus, quicquid in corpore ſenſus eſt particeps iuſſa, minaſque perſentiat, atque ita obediat, obſequaturq; omnino, toleretque in omnibus præſtantiſſimi illius imperium.

Quibus verbis Plato non ſolum iraſcibilem facultatem in corde locauit, ſed etiam aſſeruit iracundiam nobis datam eſſe, vt rationi ſuppetias ferat, niſi deprauata extra naturalem ſtatum reſiliat. *Iraſcibilis homini data eſt, vt rōni ſuppetias ferat.*

Generatur autem dum forma rei offenſiuæ in phantaſia exiſtens per ſpecies productas agit in organum facultatis iraſcibilis, quòd eſt cor, hoc vero irritatum excitat facultatem iraſcibilem ad producendam iram.

Et hæc eſt illa tertia vis quam Plato partem animæ non ſede corporis tantum a concupiſcibili, & rationali diſtinctam, ſed etiā ſubſtantia, & natura, quemadmodum functione omnino diuerſam ſtatuit, quem ſecutus eſt Gal. vt multis in locis palam fecit, ſed præcipuè in 2. Hippoc. lib. de humor. t. 28.

Nos

Nos autem vna cum Ariſt. eam, vt cęteras etiam omnes facultates animæ, ab anima nullo pacto differentem arbitramur, ſi pro eſſentia abſoluta, vel pro principio remoto operationũ, vt ſupra dictum eſt, accipiatur, at ſi conſideretur, quatenus relationem habet ad propriam, & proximam eius actionem, tunc non ſolum ratione, ſed etiam re ipſa, & loco, ſeu ſede, à cęteris facultatibus, vt Plato voluit, diſtincta eſt, cum determinatum caloris gradum ad eius eſſentiam conſtituendam, & proprium, & definitum temperamentum ad actionem edendam requirat.

*Facultates in quo ſignificatu inter ſe diſtinguātur*

Quod autem facultates in hoc poſtremo ſignificatu acceptæ inter ſe realiter diſtinguantur, ſatis patet in propoſitis ab ipſo Platone rationibus, 4 de repub. quibus ipſe perperam vtitur ad tria animarum diuerſa genera in homine conſtituenda, dum ait: Idem reſpectu eiuſdem nunquam contraria operari, ſed annuere, renuere, appetere, reſpuere, attrahere, reijcere reſpectu eiuſdem & eodem tempore ſunt contraria, ergo ab eodem fieri non poſſunt, non igitur eſurire, & ſitire, & cibum, & potum reſpuere, vno, & eodem tempore reſpectu eiuſdem ab eadem facultate fiet, quare aliam eſſe facultatem cupientem, quæ nos alliciat, & aliam rationalem, quæ ab eo, quod cupimus, aliquod malum impendere cognoſcens, ea ratione nos auertat, illudque quod deſiderabamus renuat, atque reijciat, apertè ſtatuendum eſt.

Quemadmodum contingit dum in febre conſtituti multum frigidæ appetimus, per rationem tamen læſione percepta illam reijcimus, & deteſtamur, ác vice eius calidam ſuſtinemus, vel ingentem, clamoſamque ſitim ſpontè pati malimus; diuerſa itaq; erit concupiſcibilis ſuadens anima à rationali renuente.

Similiter quod iraſcibilis à concupiſcibili diſtinguatur Plato demonſtrat exemplo Leontij Aglaionis filij ex Piræo ſub boreali muro redeuntis, qui cũ aſpectare proſtrata apud carnificem cadauera cupijſſet, ac ſimul & ſemel ægrè affectus oculos auertiſſet, ſecum tantiſper pugnauit, modo faciem auertendo, modo oculos intendẽdo aſpectans quaſi aliud, quod videre cuperet, aliud quod à videndo caueret ſecum ferret, at tandem præualente concupiſcibili, & ſuccumbente iraſcibili, ad ſpectanda cadauera conuertitur.

*Plato iraſcibilem à concupiſcibili, et naturalẽ ab vtraq; diſtinguit.*

Vbi Plato non ſolum iraſcibilem à concupiſcibili, ſed & rationalem

nalem ab vtraque diſtinguit, nam cum quis à cupiditatibus aduerſus rationem nimium trahitur, tunc modo ſola rationalis inſurgit, modo vnà cum ea iraſcibilis, vt rationali opituletur inſurgit, quæ tamen quaſi conuicijs, ac indignationibus aduerſus ea, a quibus ratio trahebatur violentia contendit, in quo conflictu modo ratio vincit, modo vincitur, & ſi vincit, vel ſola & per ſe ſeorſum vincit, vel ope & auxilio iraſcibilis, quæ ei in ſubſidium aduenerit.

Quibus ſic expoſitis Plato tria animarum genera in homine manifeſtat, diſtincta & loco, & functione, & ſubſtantia, iraſcibilem nempè a concupiſcibili, atque vtramque a rationali diſsidere, cũ potius ſint vnius animæ facultates prædicto modo diſtinctæ, & variæ, dum propriã & proximam earum actionẽ reſpiciũt.

Si igitur rationalis a cõcupiſcibili agitetur, nec ipſa per ſe concupiſcibilem ſuperare valeat, iraſcibilem ſibi in auxilium accerſit, hæc autem ſua natura rationalem ſequitur, atque in rebus arduis ei opem fert. Ideo Plato ait, iraſcibilem homini elargitam fuiſſe propter rationalem, vt quod ipſa per ſe præſtare non poteſt, ope & auxilio iraſcibilis abſoluat.

Non ſequitur autem concupiſcibilem, nec ei in auxilium vnquam aduenit, quia nullus vnquam duce concupiſcibili ſibi iraſcitur, quòd ab importunis libidinibus deſiſtere propoſuerit, at bene intemperatus, & qui corrupta ratione ducitur, ſibi iraſci ſolet, quòd ab importunis libidinibus aliquando deſiſtat, quemadmodum interdum continens, & qui perfectam, ac abſolutam viuendi rationem ſibi propoſuit, iraſcitur, quòd ab eiſdem quamprimum non deſtiterit.

Dicamus igitur, quod vel pars animę rationalis aduerſus appętentem in certamen, & conflictum deſcendit, vel non, ſi deſcẽdit, vel pars rationis particeps reſiſtit, & vincit, & tunc oritur probitas animi, bene viuendi ratio, & continentia, quæ licet virtus nõ ſit, cum nondum ſit habitus, eſt tamen virtuti quàm ſimillima, cũ ſit diſpoſitio, quæ eſt via ad virtutis habitum. *Rõnis cum appetentia concurſus*

At ſi rationalis ope iraſcibilis vincat, minus relucet continentia, ideo ſi Leontius inſpectata cadauera præterijſſet, continens quidem fuiſſet, non tamen æquè, ac ſi ſine iraſcibili idem operatus fuiſſet.

Si

Si verò ratio non reſiſtit, ſed vincitur à parte irrationali, oritur animi improbitas & incontinentia, quæ licet vitium non ſit, cum non ſit habitus, eſt tamẽ finitima vitio, ac inde multæ perturbationes emergunt, qui ſunt affectus propter naturam ab irrationali animæ parte proficientes ob appetituum victoriam, quemadmodum Medeæ apud Euripidem contigit, quæ meliora, probaq; videns, deteriora tamen, impetu iracundiæ ducta ſequebatur, idem contigit Menelao, qui dum Helenam interficere quærebat, cum primum ei obuiam factus eſt, cęco igni captus proiecto enſe conſilium mutauit.

*Perturbatio quid ſit.*

Deterius adhuc eſt, ſi ſola concupiſcibilis non ſolum rationalem, ſed etiam vnà cum ea iraſcibilem vincat, quemadmodum in propoſito Leontij exemplo, qui ſpectare tandem cadauera a ſola concupiſcibili, rationali & iraſcibili renuente amotus fuit.

Si verò pars animæ rationalis aduerſus appetentem in certamẽ non deſcendit, tunc vel conuenit ſua ſpontè cum appetente, comprobans ea omnia, quæ appetitus illi offert, & tunc nõ oritur perturbatio, ſed erratum, prauumque iudicium, & falſa, & aberrans a veritate ratio, cum in actione obeunda ratio ſua ſpontè appetitum ſequatur, & eſt Ariſtipporum fęlicitas, & ſummum bonum, & extremum, & vltimum, quod ab illis per ſe ipſum expetitur, cuius contrarium eſt dolor, ac eorumdem miſeria, & calamitas, quę duo voluptas, & dolor vera principia vel appetendi, vel aufugiendi ſibi conſtituerunt.

*Ariſtippeus quis. Socratis æmulator quis.*

At ſi quis ſola ratione, nequaquam autem ab appetitu ducatur ad perceptionem rerum iucundarum, non fruitione, aut voluptate, ſed vtilitate metitus, hic non Ariſtippeus, ſed Socratis æmulator eſt.

Si verò pars animæ rationis particeps in certamen nõ deſcendens, non conueniat cum appetitu, verum ipſa tamquam omnium actionum ad animũ attinẽtium verus, & legitimus dux, & imperator dominatur, ac eius motus omnes moderatur, ac probe diſponit, & quicquid illa & iudicat, & vult, protinus abſque controuerſia dirigit, & exequitur, tunc vir probus, & bene compoſitus conſtituitur, proprium namque eſt homini bene, & ſecũdum rationem viuere, vt enim hac facultate in certamine vincẽte animum increpamus errantem, coercemus elatum, excitamus iacentem,

tem, conſolamur afflictum, ſic hac ratione imperante vir probus, qui bene, excellenterque vita vtitur, ſola ratione ſine certamine conſequitur, quòd homini proprium eſt, & fęlix dicitur.

Non eſt autem facultas iraſcibilis in omnibus ſenſu præditis, ſed in perfectis animalibus tantum, & propterea oſtrea, & vermes non iraſcuntur, in perfectis autem animalibus, quibus ira ineſt, non ſine impetu quodam, modo concitatiori, modo minus concitato circa actiones edendas reperitur, cum ira verſetur circa arduum, & difficile: difficile eſt enim libidines quaſi fræno compeſcere, auaritiáque, & cæteras cupiditates coercere, difficilius eſt ſtrenuum hoſtem aggredi, mortem imminentem ſubire. *Iraſcibilis quib. inſit et quibus non.*

Ideo ſi quid noxij, vel in cibo, & potu, vel aliter, quod corpori officiat, vel quod honoris, vel victoriæ, vel principatus iacturam reſpiciat, ſe ſe obtulerit læſurum, quod arduum, ac difficile videatur illud hac facultate modo proſequendo, modo auertendo euitamus, ſecus autem vt ſtolidi, ac ſtupidi permaneremus, tamquam ſi nullus nobis eſſet dolor, aut ſenſus, vel ſaltem illorū inſtar, quæ immobilia penè ſunt, ſaxisque ſtirpium modo hærent, quæque ſola cupiditate reguntur, eſſemus vt oſtrea, & his ſimilia, quæ laceſſita ſola contractione ſe ſe tuentur, quod homini animalium nobiliſſimo indecens, turpe, indignumque, ac ſeruile valde videretur, vt teſtatur Ariſt. 4. Ethic. cap. 5.

Redduntur autem animalia magis vel minus ad ipſos affectus diſpoſita, prout cordis temperamentum, quod ſupra diximus neceſſario conuenire, ac ingredi ſubſtantiam facultatis, ſi pro principio proximo operationis accipiatur, modo calidius, modo minus calidum extiterit, vt Galen. ait 4. in 6. de morb. vulg. t. 25. & libro art. Medic. cap. de corde, ideo ſi cor debitam, ac ſibi conuenientem caloris commēſurationem adeptum fuerit, quam neque excedat, nec ſibi quicquam abſit, tunc homo mediocritatem etiam iræ ſeruat, vt tantum iraſcatur, quantum decet. *Cauſa diſpones ad animi affectus.*

Atque alia etiam in corde facultas, quæ eodem cordis temperamento gaudet, inſurgit, quæ naturalem quandam animi fortitudinem, atque conſtantiam producit, & ideo animoſa vocatur, qua quis non facile mortis metu concutitur, ſed conſtans, & intrepidus ſubeunda pericula ſubit, & eſt facultas animæ fortitudinem in animali ob meliorem eius vitam producens. *Facultatis animoſæ definitio.*

Atque cum ſit naturalis quædam affectio, ac naturale cordis temperamentum conſequatur, ideo virtus non eſt, qua nec laudari, nec ob eius oppoſita quis criminari debet, vt 2. Ethic. cap. 5. ait Ariſt. virtus autem, quæ in arcto poſita eſt, per quam laudari meremur, ex frequenti, & continuata exercitatione, & ſudoribus ſimul comparatur.

*Virtus quo comparetur.*

Si verò calor cordis adhuc excreſcat, oritur audacia, et ſi adhuc maior fiat oritur inſania, ſeu furioſa temeritas, quæ ſimiliter vt fortitudo dicta non eſt virtus, ita neque hæc eſt vitium, ſed naturales affectiones, quatenus naturalem cauſam ſequuntur, dici debent, vel potius præternaturales affectiones, & morboſæ, quatenus homini præter eius naturæ debitum cum operationum læſione ſenſibili competunt.

Hi neque malum præſens, neque futurum horreſcunt, præterea promptiſſimi ad iram concipiendam redduntur, in quam tamen facilius labuntur hi, qui vna cum caliditate iunctam humiditatem habent, & hi vt prompte iram concipiunt, ita etiam facillime pacantur, cuius conditionis ſunt fœminæ, & pueri.

Verum ſi caliditati ſiccitas iungatur, hi vt tarde iram concipiunt, ita conceptam ægerrimè deponunt, vt atra bile præditis contingit.

Verum ſi vice verſa cor ad frigiditatem deflexerit, prius fiunt timidi, atque ad res agendas pigri, & ſegnes, quæ ſi adhuc augeatur, fiunt ſtolidi, & excordes, ægerrimèque iram concipiunt.

Cordis igitur intemperamentum auctum, & excedens, vt has animi facultates exturbat, ac a ſuo naturali ſtatu exterminat, ægrotareque facit, ita quæ ad corpus attinēt facultates labefactat, atque corrumpit, vt paſſim teſtatur Gal. & ideo calidiores corde facillimè morbis calidis, qui ob augmentum vtriuſque bilis florere valent, corripiuntur, & interdum ob ſolam iracundiam cor, & vniuerſum corpus ita incaleſcit, vt nedū in febrem ardentem, aut ſyncopē quidam inciderint, verum etiam ad ipſum interitum morbus terminauerit. Idem dicendum eſt de contraria intemperantia frigidioris cordis, vt ſatis patet.

*Dubitatio.*

Cæterum ex prædictis quis dubitare poſſet. nam diximus ob iram quoſdam incidiſſe in febrem ardentem, ſyncopem, ac etiam mortem. Altera ex parte Gal. 2. de cauſ. ſympt. cap. 5. ait, ab ira

neminem

neminem interijſſe, vtpotè nec calore perfrigerato, nec eius robore ſoluto, quemadmodum in alijs paſſionibus contingere poteſt, nempè ex gaudio, timore, mœſtitia.

Augetur difficultas, quia Gal. videtur pugnantia ſcribere, cum primo ad Glauc. cap. 14. dicat, quidam etiam in vehementibus animæ affectibus animo defecerunt, ſed præcipuè ſenes, & qui alioquin ſunt imbecilles, etenim plures eorum triſtati, aut lætati, aut irati, animo defecerunt.

Si igitur ira poteſt inducere deliquium animi, ergo poteſt etiã inducere ſyncopẽ, quia deliquium animi eſt via ad ſyncopem, vt ſyncope eſt via ad mortem, ſyncope enim ſi increſcat eſt mors, ſimiliter animi deliquium ſi increſcat eſt ſyncope, vt infra apparebit. *Sincope quid.*

Huic dubitationi reſpondet Stephanus Athen. dupliciter. Primò, quod in iraſcentibus, ſi vires ſint validæ, ira non poteſt lypotimiam inducere, at ſi ſint imbecilles, ex motione illa vires concidere, & diſſolui poſſunt, quæ reſponſio eſt falſa, & euertitur per verba Galeni dicentis, ab ira nemo interijt, & aſſignat rationem dicens, quòd nec calor in ira perfrigeratur, nec eius robur diſſoluitur. *Reſponſio.*

Ideo Stephanus, quaſi hęc præuidens, addit ſecundam reſponſionem dicens, quod ira poteſt ad defectum animi deducere febricitantem, non tamen ad interitum, neque ad lypotimiam, ſi ſit moderata, ſi verò ſit vehemens, illa ad animi deliquium deducet, ad mortem autem nequaquam ob feruorem, & motum caloris natiui.

Sed hæc ſecunda reſponſio non minus abſurda eſt quàm prima, quia falſum eſt, quod ira poſſit deducere ad defectum animi ob rationes a Galeno adductas, præterea falſum eſt, quod ſi ira deducat ad defectum animi, non poſſit etiam deducere ad ſyncopem, quia deliquium animi eſt via ad ſyncopem, & cauſa inducẽs in deliquium animi, ſi perſeueret, vel paulo maior fiat, deducet in ſyncopem procul dubio. *Reſponſio reijcitur.*

Quare alij viri docti his reſponſionibus poſt habitis, tertiam excogitarunt dicentes, quod ira quantum ad ipſam attinet, neq; ad animi deliquium, neque ad ſyncopem, neque ad mortem deducere poteſt, & optimè quidem ob Galen. authoritatem, & ob ra- *Alia reſponſio.*

 tiones

tiones ab eo aſſignatas loquuntur.

Dum autem addũt, ſi quiſpiam febri correptus incidat in ſyncopem, illud potius ad corporis aptitudinem, & diſpoſitionem referendum eſſe, quàm ad iram, tũc parum, vel nihil ad rem reſpondere videntur, quoniam in caſu propoſito patiẽs incidit in ſyncopem, modo quærimus, an ira poſſit eſſe cauſa efficiens illius, quæ ſi eſſe non poſſit, quærenda eſt cauſa efficiens, vt in eam referatur effectus, cum in iram referri nõ videatur, at iſti pro cauſa efficiente aſſignant patientem, diſpoſitio enim, & aptitudo mobilis nihil efficere poteſt, cum ſit potentia materiæ, & mobile, quantumcunque mobile ſit, nunquam mouetur ſine motore, non igitur pro cauſa actiua aſſignanda eſt paſſiua.

*Reſponſio extra propoſitũ reij citur.*

Quare abiectis omnibus iſtis reſponſionibus dicemus nos, & longè melius (ni fallimur) quod ira in quantum ira non poteſt deducere patientem neque ad animi deliquium, nec ad ſyncopẽ, multo minus ad mortem, & ad hoc reſpexit Gal. 2. de cauſ. ſympt. cap. 5. dum dixit, ab ira nemo interijt, & reddidit rationẽ dicens, quod nec calor in ira perfrigeratur, cum ſit feruor potius, nec eius robur diſſoluitur, cum potius augeatur.

*Reſponſio propria.*

Sed quia cum ira multa coniungi poſſunt, ac ei multa adhærescere valent, quæ non modo ſyncopem, verum & mortem ipſam inducere poterunt, & præcipuè in febriẽte, & corpore ſenili, quod autem præcipuè iræ adnecti poteſt, eſt confluxus bilioſæ, ſeu ſeroſæ ſuperfluitatis in os ſuperius ventriculi, quæ ſuperfluitas ſtatim ſtomachicam ſyncopem excitans, & ſyncopem, & mortem inducere poteſt.

Et ad hoc reſpexit Gal. primo ad Glauc. cap. 14. dum dixit, iratos poſſe pati ſyncopem, id eſt, nõ ratione irę, ſed ratione connexi cum ea, & hæc eſt cauſa, ob quam vulgus iratos cholericos vocat, quia ſæpè euomunt choleram, & quidam ob eam animo linquuntur, ſemper autem ob feruorem ſanguinis bilis augetur.

Quod autem Gal. hoc ibi reſpexerit, & nihil aliud, ſatis patet, ſi conſideremus modum curationis, quem adhibuit propoſito deliquio, nempè vomitum eſſe prouocandum ſtatuit, hoc autẽ fecit, vt cauſa ſyncopis ablata, nempè bilioſa, & ſeroſa ſuperfluitas, tollatur & ſyncope.

*Confirmatur reſponſio.*

Curatio igitur ab eo inſtituta docet naturam affectus, ſi enim ait

ait vomitum eſſe prouocandum, ſignum eſt, quod ipſe ſupponit animi deliquium pendere a materia morbifica, & ſuperius ventriculi infeſtante, non igitur ira produxit ſyncopem, ſed bilis os ventriculi infeſtans.

## *DE FACVLTATE GAVDIFICA, & triſtante: de Gaudio item, & triſtitia. Caput Decimum quintum.*

PRAETER iram, audaciam, timorem, & cæteras affectiones prius enumeratas, quòd gaudium, & triſtitia ſint affectiones cordis aſſerit Ariſtot. 3. de part. ani. cap. 4. & vnanimiter teſtati ſunt Philoſophi, & Medici, vt aſſerit Auicen. de med. cord. tract. 1. cap. 3. nam in his paſſionibus manifeſtiſſimè cor dilatari, vel cōtrahi, vel quomodolibet affici vnuſquiſque fatetur, & ideo naturales affectiones dicuntur.

Quæ ſi conſiderentur quatenus modum excedunt, commotioneſque in parte animæ ſenſitiuæ ſunt, perturbationes euadunt, aduerſus quas contendunt illi, qui morales virtutum habitus acquirere ſtudent, ſed cum oppoſita attineant ad eandem facultatem, vt ad animoſam attinet fortem & puſillanimum eſſe, ideo gaudere, & triſtari ad facultatem, quam gaudificam loco generis propter defectum nominum vocamus, attinere dicūtur, cuius ſubiectum eſt cor. *Perturbatio qualis.*

Sed cum gaudium ſit delectatio quædam, vt ſciamus, quid ſit gaudium, cognoſcenda eſt delectatio, quæ vt definitur ab Auicē. de med. cord. trac 1. cap. 4. eſt apprehenſio aduentus perfectionis appropriatæ alicui virtuti apprehenſiuæ, & dicitur apprehenſio aduentus, quæ eſt actio in motu conſiſtens, & in fieri ſuam eſſentiam obtinens, quia non fit delectatio poſt habituatas perfectiones, & iamdiu apprehenſas, ſed tantum dum apprehenduntur, imò in aduentu apprehenſionis, tunc enim dum incipit immutari ſenſorium a perfectibili, perfectio ipſa fit ſenſibilis, quæ formaliter eſt delectatio. *Delectatio quid ſit. Et quomodo fiat.*

Quemadmodum e contra, ſi ſenſorium incipiat mutari a cor-

ruptibili fit dolor, & triſtitia, ideo non poſtquam aliquid diuiſum ruptũue eſt, dolor adeſt, ſed vt Gal. ait, primo de cauſ.ſympt. cap.6. in ipſo (vt ſic dicam) fieri talia omnia doloris cauſæ euadunt.

*Dolor & triſtitia quomodo oriatur.*

Et hæc eſt cauſa, quamobrem hectici nõ ſentiunt, vt Auic. ait de med.cor.tract.1. c.4. calorem præter naturalem, quem continent habituatum, ac in ſolidis partibus infixum, tertiana autem, aut cauſone laborantes, illum, quamuis remiſſiorem, ſentiunt.

Vbi obiter notandũ, quod in febre tertiana calor præternaturalis, ſiue febrilis, eſt quidem intenſior in humoribus, quàm ſit calor hecticorum in habitu corporis, ideo ad tactum tertianarij ob vapores ab humoribus putridis elatos vri videntur, quod non contingit hecticis, at in habitu corporis cum hectici intenſiorem continent, quàm in humoribus.

Et ſimiliter hectici intenſiorem calorem habent, quàm tertianarij in eodẽ habitu corporis, quia in habitu corporis, ſeu in partibus carnoſis, & ſolidis hectici illum iam factum independentẽ, & habituatum cõtinent, quem & intemperiem æqualem vocant, at quælibet eſſentia eò maior eſt, quo eſt propior ſuæ perfectioni iam abſolutæ, & tunc perfectiſſima eſt, cum iam facta eſt, ſed in tertianarijs calor in partibus carnoſis, & ſolidis fit, in hecticis autem iam factus eſt.

Nihil igitur mirandum, ſi tertiana laborantes triſtitia afficiuntur ob calorem, cum ſint in actu apprehenſionis rei contriſtantis. Gal. 1. de ſympt. cauſ. cap.6. addit, ex mente Platonis, ſi quod ad hoc, quod delectatio, ſeu dolor fiat, requiritur quod paſſio ſimul multa, & celeriter fiat, ideo Plato in Timæo dixit, violenta paſſio, quæ præter naturam eſt, cum ſimul multa, confertim, & celeriter fit, dolorem infert, idem ait Galen. 12. Meth. cap.7. igitur blanda, & quæ ſecundum naturam fit, dum ſimul multa, & confertim, & celeriter fit, delectationem infert. Idem etiam confirmat Ariſtot. 1. Rhetor. cap.11. dicens ponamus igitur voluptatẽ motum animi quendam eſſe, & ſubitum, ſubſenſumque & quæ ſequuntur.

*Quid ad delectationis & doloris generationem.*

Ideo in caliditate, & frigiditate, quæ ſunt qualitates confertim, & celeriter immutãtes, maximi & ſæuiſſimi dolores fiũt, at parũ à ſicca, & nihil ab humida qualitate immutatio dolorifica fit.

Et

Et licet delectatio reperiatur penes omnes ſenſus in aduentu ipſius apprehenſionis, dum obiectum ſeruat mediocritatem quandam ad potentiam relatum, & poſt apprehenſionem iam alteratione ſimili, & æquali facta, nec voluptas, nec dolor amplius ſentiatur, vt confirmat Gal. de inæquali intem. cap. 5. *Penes omnes ſenſus delectatio fit, ſed præcipue penes ſensu tactus.*

Non tamen in pari euidentia in ſingulis ſenſibus delectatio contingit, vt idem ait primo de ſymp. cauſ. cap. 6. quia qui minus materialiter recipiunt minus euidentē delectationem producunt, quemadmodum accidit in ſenſu viſus, e contra autem euidentior delectatio producitur, vbi magis materialis eſt ipſa receptio propter naturalem alterationem præcedentem per primas qualitates factam, quemadmodum contingit in ſenſu tactus.

Conſiſtit autem delectatio in actu receptionis ſpeciei, & formæ, quæ confertim, & celeriter fit in organum bene a ffectum & proportionatum ad obiectum, vt oculus viſionis inſtrumentū colore ceruleo, vel viridi delectatur, albo vero, & ſplendente, vel etiā nigro, vti excellente ſenſibili, & cōtriſtatur, & corrumpitur, & guſtus ſapore pingui, & dulci delectatur, auſtero autem, & acerbo, & amaro meret, idem de reliquis ſenſorijs, & virtutibus materialibus, tam externis, quam internis ſtatuendum eſt.

Gaudium igitur eſt delectatio quædam, & per conſequens paſſio ad animam ſenſitiuam attinens, naturaliſq; eius affectio, quæ & animi elatio vocatur; & a virtute gaudifica cordis pendet, hāc effuſi ſpiritus, prius tamen per gaudium excitati, perficiunt; & inſtitutum eſt in gratiam melioris vitæ animalium, vt de iracundia & fortitudine ſupra dictum eſt. *Gaudium quid ſit.*

Virtus autem gaudifica eſt facultas animæ, in corde reſidens, gaudium in animali producēs gratia melioris vitæ animalium, & pro definito nos accepimus virtutem gaudificam, vt facultatem ad quam pertinet gaudere, & triſtari, quemadmodum ad virtutē animoſam pertinet fortitudo, audacia, temeritas, timor, puſillanimitas, quæ nō ſunt operationes eſſentia, & natura diſtinctæ inter ſe, ſed ſunt modi, ac gradus humiliores, & ſublimiores animoſæ, ita dicendum eſt de gaudio, & triſtitia, qui ſunt modi, ſeu exceſſus, & defectus virtutis gaudificæ. *Virtutis gaudificæ definitio.*

Conferunt autem ad meliorem vitam animaliū, ſicut voluptas, & dolor, quia per gaudium primum calor innatus animalium ſu-

ſcitatur,& virtus confortatur,vt Gal.ait in 2.de Humor.t.31.prę-terea animalia cauſam gaudij, tanquam quid ſibi cōueniens amplectuntur,triſtando vero quod triſtitiam, intulit tanquam quid ſibi aduerſum, ac noxium, auertunt, ac longe lateq; repellunt.

*Qui ad gaudiū diſpoſiti ſint.* Sunt autem ad gaudiū magis diſpoſiti,qui cor,& ſpiritus optime commenſuratos habent, ſecundum primas quatuor qualitates, calidi,frigidi,humidi,& ſicci,item ſpiritus debitam ſuæ ſubſtantiæ quantitatem requirunt.

Si enim imminuti ſint, tunc natura non ſinit eos diffundi, ne forte fons caloris exhauſtus deficiat,& cum in centro maneant, nec expandantur,gaudium etiam ſupprimitur, quia eorum diffuſio eſt veluti gaudij executio,& motus,(vt quidam aiunt) ad lętitiæ authorem amplectendum, vt ſuo ſimili, a quo ſeiūnctus eſt, vniatur.

Similiter ſpiritus debēt eſſe lucidiſſimi, & mediocriter tenues; tales autem fiunt a facultate, quam ſupra ſpiritus genitricem vocauimus, tanquam ab efficiente, & ex benigno, laudabiliq; ſanguine vnà cum puriſſima ſubſtantia aerea permixto, tanquam ex idonea materia.

Nam ex ſanguine turbulento,& craſſo,& ex aere caliginoſo,& impuro improbi,uitioſi,tenebricoſiq. ſpiritus generantur,vt ſatis oſtendunt hi, qui melancholicis affectibus, malignis, peſtilentibusq. febribus tentantur.

Quare ex laudabili materia ſanguinea, qua plurimū abundant hi,qui calidi,&humidi sūt iecoris,& ex puriſſimo aere ſpiritus copioſi,ſplendentes,& qui prompte dilatantur, fiunt, & hi vt Auic. ait lib. de med. cord. trac.primo cap. 8. multum ſunt diſpoſiti ad gaudium.

*Qui ſint ad timiditatē diſpoſiti.* At ſi ſanguis fuerit remiſſæ caliditatis,& propterea aquoſus, & tenuis, licet ſit clarus, & ſplendens, ad timiditatem nihilominus diſpoſitos reddit,& debiles corde,nec diſponit ad lętitiam,nec ad iram,quia ſpiritus ex tali materia geniti sūt pauci, & tardi motus ad extra propter eorum frigiditatem,& humiditatem,& facile reſoluuntur propter ſubtilitatem.

Si verò vnà cum caliditate ſanguinis accedat craſſities, & turbulentia, hic non ſolum hilaris,& lætus non erit,ſed prorſus mœrens,& triſtis propter ſpirituū turbulentiam,ſimiliter erit iracun-

dus

dus propter calorem, & pertinax propter craſſitiẽ eorũ, at ſi turbulentia deſit, quæ uix à craſsitie ſeparari poteſt, tũc meror, & triſtitia recedet, cuius loco lętitia ſubſtituetur, aderitque fortitudo, & audacia, atque etiam iracundia, niſi lætitia frangat iram.

Ex ſanguine autem craſſo, & frigido, non tamen turbido, non fit triſtitia, nec lætitia, ſed quantũ attinet ad hæc mediocritas quædam, at quantum attinet ad audaciam, hi timidi, & ſegnes fiunt, quia humore pituitoſo plurimum abundant, tales ſunt fœminæ.

Si vero his accedat turbulẽtia, vt melancholicis contingit, hi ſunt meſtiſſimi, & prorſus deſolabiles, nunquam iraſcuntur, & quoniam timidiſſimi, & meſtiſſimi ſunt, nec audent vindictam ſumere, ideo in ſe ipſis aduerſus inſidiantes perpetuum odium, & angorem ſeruant. *Diſpoſitio ad deſolationem.*

Si autem intẽperies excreſcat, ita vt è limitibus ſanitatis egrediantur, omnia negligunt, & mori potius, quam viuere malunt, etiam ſi mortem ipſam pertimeſcant; hinc vitam ſibi acerbiſſimã, atque amariſſimam ducunt, & interdum etiam præcipites ſe ruunt.

Sed abeant melancholici, & reuertamur ad hilares, & ad eos, qui cor mediocriter calidum, & ſiccum habent, iecur vero calidum, & humidum parum à temperato recedens, hi plurimo, & laudabili ſanguine abundant, ex quo ſpiritus plurimi, clari, & ſplendentes generantur, & leui quaque de cauſa gaudium concipiunt.

Cum ergo anima habuerit ſpiritum perfectè diſpoſitum ad recipiendum impreſſiones cauſarum lętificantium, tunc modica de cauſa lætatur, ſine ea tamen modica cauſa lætitia fieri nõ poteſt, quia impoſsibile eſt fieri impreſſionẽ in aliquo ſine impreſſore.

Ex quo patet, quantum diſpoſitio differat à potentia, nam diſpoſitio nihil agit, ſed tantum præparat materiam, & per eam potentia, quæ eſt cauſa principalis actionis, determinatur tantum, & quamuis potentia ſit cauſa principalis actionis, non tamen de ſe producit actionem, niſi prius obiectum agat in organum eius, requiritur igitur organum, quod excitatum ab obiecto, excitet potentiam ad productionem actionis. *Diſpoſitio & potẽtia differunt.*

Igitur quantumcunque quis ſit ad gaudium diſpoſitus, is tan-

quam

quàm paſsiuam gaudij cauſam continens nunquàm gaudio afficietur, niſi potentia gaudifica gaudium producat, at neque hæc gaudium producet, niſi in imaginatione forma, ſeu ſpecies aliqua rei delectabilis præcedat.

*Commotionum principiū quod ſit.* Quia cognitio, & phantaſia eſt principium harum commotionum, vt Ariſt. 3. de anima. t. 29. ait, cum enim ſenſus cognouerit rem delectabilem, ſiue illam actu potiatur, ſiue vigeat ſpes proximè conſequendi eam, illo momento gaudium producitur.

Cauſæ autem gaudij ab Auicen. ibid. bipartito diſtribuuntur, nam aliæ ſunt debiles, alię ſunt validæ, & vtrarumque aliæ ſunt manifeſtæ, aliæ obſcuræ.

Perfecto diſpoſito ad gaudium ſufficit debiliſsima cauſa ad illud producendum, quæ interdum etiam eſt obſcuriſsima, ideo compotores vini facillime gaudent, vt leuiſsimis fabellis inter ſe nugantes lætitia, riſuque geſtiant, & cachinnentur, item pueri ob copiã ſanguinis, & vt ſuo principio proximi blandis imaginibus allecti facillime in riſum ſoluuntur.

*Gaudium requirit obiectū gaudificum.* Quod autem gaudium requirat obiectũ in imaginatione præcedens, patet per ea, quæ paulo ante dicta ſunt, nam gaudium, & cæteræ huiuſmodi affectiones, ſiue perturbationes ſint, ſiuè non, attinent ad appetitum ſenſitiuum, quarum principium eſt cognitio, & phantaſia, ideo Ariſt. ait, cum ſenſus cognouerit rem delectabilem, vel moleſtam, tunc proſequitur, aut fugit. Sed & Hipp. in lib. de Morbo ſacro, vel quiſquis ipſius author extiterit, idem confirmare videtur, dum ait: Porro expedit homines noſse, quod ex nulla alia nobis parte voluptates contingant, & lętitiæ, & riſus, & luſus, quam ex cerebro, itemque męrores, & anxietates, triſtitięque, & eiulatus, & querelæ, & hoc ſapimus maximè, & intelligimus, & videmus, & audimus, & cognoſcimus turpia, & honeſta, mala, & bona, iucunda, & iniucunda, vbi Hipp. per cerebrũ potentias tum in eo exiſtentes, tum ab eodem manantes intelligit, & præcipuè phãtaſiam, a qua phantaſmata, vel delectabilia, vel moleſta oriuntur, quę moueant potentiam gaudificam in corde reſidentem, quam tangens ibidem ait:

Neque ego ſane noui quam vim habeant præcordia, vt ſapiãt, & intelligant, præter quam ſi homo ex improuiſo nimio gaudio perfundatur, aut triſtitia afficiatur, tunc ſane exiliunt, & anxieta-

tem

tem exhibet præ tenuitate, & paulo poſt de corde loquens ait; Neceſſe eſt enim & dum angitur inhorrere corpus, ac diſtendi, & ſi quis nimio gaudio perſundatur, idem pati.

Verum quod delectatio ſit aduentus perfectionis, non receſſus ab innaturali ſtatu, vt male quidam opinati ſunt, ſimiliter patet, ſi conſideremus validas gaudij cauſas, ac manifeſtas, vt ſunt euaſio carcerum, & imminentium vitæ periculorum, nam hæc ideo gaudium producunt, quatenus ſunt apprehenſiones ſtatus naturalis perfecti, & delectabilis, non quatenus ſunt exitus, & receſsus ab innaturali ſtatu, vt confirmat Auicen. de med. cord. t. 1. cap. 4.

*Delectatio eſt aduentus perfectionis, nõ receſſus in perfectionis.*

Bene verum eſt, quòd nos non poſſumus apprehendere bonũ, niſi per dimiſſionem mali, quia ſi viſus debeat delectari colore cęruleo, vel viridi, debet omnino exui albo, & ſplendente, qui per violentam eius actionem, læſionem viſioni inferunt, ac delectationem a blandis futuram impediunt.

## *QVOMODO GAVDIVM, TRISTITIA, ira, concupiſcentia, ſenſus, motus, ac cæteræ affectiones in animali generentur. Caput Decimum ſextum.*

SED quis dubitare poſſet, quomodo gaudium in animali celebretur, non enim ad producendum gaudium ſufficit, quòd obiectũ delectabile imaginationi tantum ſe ſe offerat, ſed vt gaudium producatur, neceſſario cor, quod eſt gaudificæ facultatis inſtrumentum, moueri debet, & ita de triſtitia, ac reliquis affectibus, qui in corde celebrantur, aſſerendum eſt, quia nulla potentia ad actum deduci poteſt, niſi ab obiecto (vt ſupra dictum eſt) moueatur.

*Dubitatio*

*Nulla potentia ad actum reducitur, niſi ab obiecto moueatur.*

Ideo nunquam cor aut gaudium, aut triſtitiam produce[illegible] poteſt, niſi obiectum gaudificum, quod in phantaſia delit[illegible], illud moueat, at quomodo quæſo cor moueri poteſt [illegible] ab obiecto, quod in phantaſia exiſtens longè diſtat ab eo? [illegible] aut quomodo conceptã imaginationem cor ſequitur?

Forſitan in medio pectoris reſide[illegible] [illegible]s aliquid recipit ab ipſa phan-

phantaſia? at ſi recipit,cum hoc, quod in phantaſia latet, ſit quid ſpirituale, ſequeretur quòd cor ſpiritualiter reciperet, & per conſequens fieri non poſſit,quin non cognoſceret, forma enim ſpiritualiter recipiens eſt etiam cognoſcens.

*Forma ſpiritualiter recipiēs eſt cognoſcēs.*

Sic igitur aliqua cognitio cordi demandanda eſſet, ſed ſi per aliquam vim cognoſcentem percipit delectabilia, & contriſtabilia, quæ in phantaſia deliteſcunt, quænam eſt hæc cognitio, quæ cordi demandanda eſt? & quomodo fit?

Aut enim eſt ſenſus communis, aut imaginatio, aut ratio, aut alius, ſi quis ſit, internus ſenſus: & hoc non, quia omnes interni ſenſus ſunt in cerebro, non alibi, vt 3.de loc.aff.cap. 5.ait Galen. (qua in re libentiſſimè Medicis Platonem ſecutis potius, quàm Philoſophis Peripateticis ſubſcribere placet.)

Aut eſt ſenſus externus,& hic non poteſt eſſe viſus, nec auditus, nec odoratus, nec guſtatus, vt conſtat, relinquitur ſolus tactus, qui communis eſt vniuerſo corpori, ideo & cordi, at nemo vnquam aſſereret, cor per tactum cognoſcere, quæ in phantaſia latent, aut per tactum poſſe celebrari gaudium, & triſtitiã, bene in tactu reperitur delectabile,& moleſtum,at hoc eſt latius,quàm ſit gaudibile,& triſtabile, vt notum eſt.

Præterea ſi gaudium, & triſtitia eſſet in tactu, tunc potentia gaudifica non reſideret in ſolo corde, ſed vbi tactus reperitur; & ita quælibet pars eſſet organum gaudificæ, quòd aſſerendum non eſt.

Tandem tactus non fit, ſi doctrinam Peripateticam ſequimur, niſi præcedente immutatione reali tangibilium qualitatum, quã immutationem phantaſma in phantaſia exiſtens præſtare nullo pacto poteſt,tum quia non contingit cor, cum ſit tãtum in phantaſia, & per conſequens in cerebro, tum quia non habet eſſe materiale, ſed ſpirituale tantum, & ideo non eſt qualitas tangibilis realiter organum immutans, dubium eſt igitur, quomodo gaudium per cor in animali celebretur.

*Reſponſio quo cor cognoſcit.*

Cui tamen quamuis arduæ difficultati reſpondetur, quòd cor primum cognoſcit ſenſu tactus,calidum,frigidum,& cęteras ſenſibiles qualitates,tum proprias,tum communes, vt ei competere poteſt tamquam præditum potentia tactiua, ſed hæc cognitio nõ pertingit vſque ad gaudium, & triſtitiam ſeu mœrorem, vt ſupra

dictum

dictum eſt, ſed tantum ad delectationem, vel moleſtiam, quæ in quolibet ſenſu reperiri poteſt.

Secundo cor cognoſcit delectabilia, & contriſtabilia, ſed non omnibus modis, quia immoderationes obiectorum, quæ in ſingulis ſenſorijs moleſtiam inducunt, nõ cognoſcuntur a potentia gaudifica, cum ea non cognoſcat eorumdem moderationes.

Et ratio eſt, quia obiectum, a quo cor vt gauditiuum mouetur, non mouet vt viſibile, vel audibile, & ſic de ſingulis, quia cor nec audit, nec vidit, ſed mouet tantum per illud, quod omnium ſenſuum obiectis poteſt eſſe commune, nempè quatenus hæc obiecta poſſunt in phantaſia imprimere ſpeciem rei gaudificæ, vel mœſtificæ.

Obiectorum verò perceptio cæteris modis facta, hominibus quidem contingit per intellectum, & phantaſiam, & ſenſus externos, reliquis verò animalibus per phantaſiam, & ſenſus externos ſolum; ideo cor, quia caret intellectu, & phantaſia, & cęteris ſenſibus exterioribus, tactu excepto, vim cognoſcendi omnibus modis delectabilia, & contriſtabilia, vt modos vel moderationes in coloribus, & ſonis, & in cęteris aliorum ſenſuum obiectis (tactu excepto) obtinere nullo pacto poteſt.

Et cum ſit præditum ſenſu tactus, ergo ſi in corde a tangibilium qualitatum exceſſu triſtis ſenſatio contingat, tunc concepta in imaginatione, ſeu phantaſia propter illam triſtem ſenſationem ſpecie mœroris cor producit mœrorem, ſeu triſtitiam, quę eſt paſſio gaudio aduerſa, vice verſa ob earumdem quatuor primarum qualitatum ſymmetriam in corde reſidentem, & propter vitalis ſpiritus moderatam dilatationem ex præcedenti aliquo gaudio factam, oritur ſimiliter ſenſus quidam oblectamenti, cuius virtute animal concepta ſpecie obiecti delectabilis in phantaſia, gaudium percipit. *Mœror quid.*

Et hæc eſt ratio quare pueri, & vini compotores leuiſſima quaque de cauſa gaudent, ſimiliter ob eandem rationem omnibus poſt gaudium contingit, vt ob placidam, ac blandam ſpirituum cordis dilatationem perſeueret animi quædam hilaritas, cuius homo conſcius, cauſæ verò principalis gaudij interdum oblitus reminiſcendo venatur, ſcrutaturque, quid fuerit ſibi cauſa gaudij. *Quare pueri & vini copotores facile lætentur.*

Igitur vt animal per oculos videt, ita ſimpliciter per cor ſentiẽs

gaudifica,

gaudifica, gaudere dicitur; & hæc eſt illa cognitio, quæ illi tribuenda eſt, vt ſubiectum formæ gaudificæ recipientis ſine materia, nō autem illa quam ei tribuit Doctiſ. Fracaſtorius de ſympat. & antip. cap. 16. dicens, cor moueri ab obiectis omnium ſenſuū, quia ſic moueretur a coloribus, ſonis, odoribus, & ſaporibus, quod ridiculum eſt.

*Fracaſtor. decipitur.*

Similiter ait cognitionem ineſſe cordi, non ſolum ſenſu, ſed etiam phantaſia maiorem, ac quòd non modo ea cognoſcit, quæ etiam phantaſia dignoſcit, ſed etiam & motum, ſenſationemque ipſius phantaſiæ, ac intellectus quoque actionem, ac eadem cognitione iudicare & bona, & mala, quæ etiam intellectus cognoſcit.

Verum ſi cor hæc facit, quid relinquitur intellectui faciendū? mihi ſane videtur abijciendus, ſi facultas gaudifica tot, ac tantis muneribus fungi valet.

*Quid cor percipiat.*

Rectius eſt igitur, vt dicamus cor non percipere obiecta aliarū potentiarum, niſi qua gaudifica ſunt, dum gaudium producit, ſiue igitur ſint vera, ſiue falſa, ſiue bona, ſiue mala, hæc proprijs facultatibus cognoſcenda relinquuntur, cum id non ſit munus cordis, id quod attinet ſolum ea vt gaudifica, vel triſtifica cognoſcere, ad hoc vt gaudium producat.

*Quō cor gaudium producat.*

Fit autem dum aliquid ab ipſa phantaſia in cerebro reſidente ad cor defertur, (in quo cogimur magis Platonis, quam Peripateticorum ſententiæ fauere) quod gaudificam potentiam ibi reſidentem moueat.

Ideo obiectum gaudificum ſui ſpeciem producens in medio, qui eſt ſpirituum animalium radius, per neruos delatus, mouet potentiam gaudificam, & hæc gaudium producit, nam res phantaſia apprehenſa mouet, vt Ariſt. ait, lib de mot. anim cap. 4. & 5. internas potentias, non ſecus ac externa obiecta externos mouent ſenſus.

Ideo phantaſma potentia gaudificum in phantaſia exiſtēs eſt naturale, & proportionatum obiectum gaudij, ac in debita diſtantia conſtitutum ad cor, ſeu ad potentiam gaudificam; & hinc eſt quod eodem temporis momento, quo phantaſia illud concipit, gaudium etiam producitur, quia vt phantaſia promptè inſeruit menti, ei phantaſmata ſubminiſtrando, ita eadem inſeruit tum

cordi

cordi pro gaudio, & iracundia, & cæteris, ſi quæ ſint, operationibus perficiendis, tum teſtibus pro Venere excitãda, tam muſculis omnibus pro voluntario motu abſoluendo.

Fit autem hic motus tanquam per medium per ſpirituum animalium radios, affectos qualitate gaudifica, quæ ſpecies rei ſenſibilis dicitur, & generatur a re phantaſia apprehenſa, quæ quatenus eſt gaudifica, & contriſtans, cor mouet, quia vt ſentiendi, & mouendi facultas remota, qui radius ſpirituum animalium dicitur, a cerebro per neruos, & muſculos diffunditur, & facultas pulſandi per arterias, quæ qualitas pulſifica vocatur, & a teſtibus qualitas ſeminaria per totum corpus diſſeminatur, vt habetur a Gal. primo de ſem. cap. 16.

Ita a re phantaſia apprehenſa qualitas quædam, ſeu ſpecies obiecti in phantaſia exiſtens diffunditur ad cor, quæ ſi rationẽ lætantis habuerit, gaudificam potentiam mouebit, ſi vero rationẽ ardui habuerit, tunc deſinet eſſe obiectum potentiæ gaudificæ, & ita non gaudificam, ſed iraſcibilem potentiam mouebit, vt enim quodlibet non agit in quodlibet, ſed determinatum in determinatum, & colores in viſum, ſoni in auditum, ita obiectum cordi oblatum habens rationem ardui, non amplius agit in potentiã gaudificam, ſed in iraſcibilem, quemadmodum ſi rationem optabilis obtinuerit concupiſcibilem, vbicunque ſit, mouebit. *Mirabilis modus pro ducendi gaudiũ in animalib.*

Similiter ſi horum duas, tres, vel plures rationes habuerit, binas, ternas, vel etiam omnes potentias determinatas ſibi correſpondentes ſimul mouebit, ita vt quam obiecti rationem potietur, ſecundum eandem in propriam potentiam neceſſario natura feretur.

Dicamus igitur, vt prædictis difficultatibus ſatisfaciamus, quod cor conceptam imaginationẽ ſequitur, quia cognoſcit eius obiectum per ſpecies ei oblatas, quia vt ſpecies à phantaſia defertur ad intellectum, & memoriam, ita etiam defertur ad cor, ad hepar, & teſtes. *Solutio ſu prædictarum dubitationũ.*

Et quantum ad cor, quòd ad rem noſtram attinet, illud recipit ſpeciem obiecti gaudifici in phantaſia exiſtentis, hoc autem excitat potentiam gaudificam, quæ gaudium producit, atque hæc cognitio, quæ cordi competit, non eſt aliqua ſenſuum exteriorũ, ſed ad interiores ſenſus attinet, & proportionaliter cæteris inter- *Cognitio cordi competens qualis ſit.*

nis

nis ſenſibus reſpondet, non tamen, aut phantaſia, aut alius interior ſenſus vocatur, quam ſenſus gaudij, & triſtitiæ, & in corde locatur.

*Ratio Galeno ignota, nempe quare muſculi moueantur à volũtate.* Quod cum ita ſit, patet non eſſe arduum aſſignare rationem tantopere a Gal. quæſitam. 6. de loc. aff. cap. 6. & lib. de for. fęt. cap. 6. quare muſculi facultatem cognoſcentem, & appetentem promptiſſime inſectentur, ratio enim eſt, quia vnuſquiſque muſculus mouetur à proprio obiecto, quod in phantaſia exiſtit, proprium autem obiectum eorum non eſt conceptus mouendi, quia ſic concepta imaginatione mouẽdi, animal protinus moueretur.

At hoc non ſequitur, quia poſſumus concipere in phãtaſia motum, & tamen quieſcere, ideo requiritur concepta deliberatio mouendi, ſtatim igitur cum concipimus in phantaſia deliberationẽ mouendi, ſequitur voluntarius motus, vel vnius, vel plurium partium, prout concepta deliberatio attinet ad vnum, vel ad plures motus.

Igitur ille muſculus, vel illi, ſi plures fuerint, qui vni motioni inſeruiant, mouentur ab obiecto in phantaſia concepto, & hoc muſculi volũtati obtẽperantes cognoſcũt per ſpecies productas.

*Muſculi, cognoſcũt & ratio.* Eſt igitur in muſculis facultas cognoſcendi, nõ ſecus ac in corde, hepate, & teſtibus, tum quia recipiunt ſpiritualiter, tum etiã quia voluntati obtemperant, neque quod illa à Galeno negligatur, vſque adeo, vti dira quadam contagione perituri deterreri debemus.

Ineſt etiam præter hæc in muſculis facultas mouendi, quæ ob præcedentem cognitionem mouet ad libitum voluntatis: nec mirum videri debet, quòd nos non cognoſcamus organa particularia iſtarum potentiarum, quamuis per eandem animam cognoſcamus, & ſapiamus, quia ſi vera fateri debemus nos non cognoſcimus per animam niſi tanquam per cauſam remotam, at bene proximè per potentiam intellectiuam intelligimus, & ſapimus.

*Quomodo homo intelligat & ſapiat.* Similiter per cæteras potentias proxime cognoſcimus determinatas rerum ſpecies, quæ ad vnamquamque potentiam referũtur, vt colores per viſum, ſonos per auditũ, obiecta gaudifica per potentiam gaudificam, & motiuam per eam quæ muſculis ineſt.

Cum igitur potentiæ cognoſcentes ſint diſtinctæ, & ſingulæ ſingulis rebus determinatæ, nec vna poſſit cognoſcere alteram,

ne

nec alterius obiectum, ideo viſiua non cognoſcit auditiuam, nec auditiuæ obiectum, ſolius intellectiuæ eſt facere omnia, at nō per naturam, quia intellectus noſter per naturam eſt tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, quamobrem nos non poſſumus naturaliter cognoſcere omnes potentias, & earum organa, niſi ſummo ac ſingulari ſtudio, ac ſedula exercitatione illud præſtemus.

Et hæc eſt ratio, quare nobis ineſt potentia ad libitum motiua, & cognoſcitiua, quæ cognoſcit ea, quæ appetimus, ideo mouendo ſequitur imperium noſtræ voluntatis, nec tamen nos eam, nec eius organum cognoſcimus, vt iure mirabile fuerit Galeno.

Quod vero à cerebro ad cor qualitas quædam, quam ſpeciem obiecti modo gaudifici, modo iraſcifici, modo (ſic nomina fingere liceat) concupiſcifici, vocemus, deferatur, cognouit Gal. ideo. 2. de cauſ. pulſ. cap. 12. dixit, nunc arterias magnas cor cerebro vinculum ſocietatis tranſmittit, cerebrum neruos cordi, qui quāquā magni non ſint, mandatum tamen rationis poſſunt perficere. *Quid Galeno mirabile fuit.*

Idem confirmat 4. de vſu part cap. 13. dicens, quo fit, vt ea per productiones, vt puta per neruos, venas, arterias, coniuncta conditor noſtri machinatus ſit, vt ſe inuicem audirent, ſibique viciſſim obſequerentur.

Idem repetit 6. eiuſdem cap. 18. & 12. eiuſd. cap. 3. dicens, vbi motu voluntario eſt opus, vtramque ibi reperias, neruum quidē, qui miſſum à ratione imperium perferat, motuſque principium præbeat &c.

Et ſi quiſpiā contenderet, illud quod à cerebro per neruos ad cor defertur, nihil aliud eſſe quam radius ſpirituum animalium, qui motus principium præbeat. *Dubitatio*

Huic reſpondeatur, quod ſi conſiderentur verba Gal. duo ſecū fert hic radius, primum virtutem cognoſcendi, quæ tangitur, dū ait, neruum quidem, qui miſſum a ratione imperium perferat, ſecundum virtutem mouendi, quæ tangitur dum ſubdit, motuſque principium præbeat, vtraque enim facultas in muſculis innata non poteſt in actum exire, niſi per vim à cerebro ad eos tranſmiſſam, hic autem eſt radius ſpiritus animalis, & fit vehiculum ſpecierum, quas ſi quis tolleret, nec ſenſationem, nec intellectionem admittere, vt Philoſophi norunt, poſſit. *Reſponſio.*

Præterea conuincitur etiam, quia à diuerſitate effectus in corde ſuborta, nempe quod non ſemper eodem modo afficiatur à ſpiritu animali, ſed modo gaudiũ, modo triſtitiã, modo iram, modo timorem, modo audaciam generet, neceſſitate ineuitabili cogimur ſupponere diuerſitatem in cauſa cor afficiente, quæ cum non ſeruetur in radijs vniformibus ſpirituum animalium, ergo erit in illo, quod ab ipſis radijs vehitur, hæc autem eſt ſpecies.

*Admirabilis partium corporis colligantia, & nexus.* Ex prædictis igitur intelligere licet, quanta, & quam admirabilis ſit omnium corporis partium inter ſe colligantia, & nexus in animali, quod, vt ait Gal. 2. de cauſ. pulſ. c. 12. Diuinus Hippoc. in lib. de aliment. patefecit, dum dixit:

Confluxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia, iuxta totius quidem corporis naturam omnia, iuxta partem vero partes in vnaquaque parte ad opus. Principium magnum ad extremam partem peruenit, ex extrema parte ad magnum principium peruenit, vna natura eſſe, & non eſſe.

Et ſi quis quærat quare per neruos cor recipiat formas rerum delectabilium à cerebro, non autem per arterias, huic reſpondeatur, quòd cerebrum principium ſenſus & motus eſt etiam principium ductuum, & vaſorum deferẽtium virtutes, ac ideo per propria vaſa, nõ autem per aliena, eas diſtribuere & decet, & debet.

*Confortatio caloris ſequitur gaudium.* Gaudium autem ſtatim conſequitur confortatio caloris, & ſpirituum dilatatio, & eſt inclinans quidam motus animi ad attrahendum, quod ſibi quam ſimillimum eſt, ideo in gaudio ſpiritus, vt inclinationem illam imitentur, mouentur a centro ad circumferentiam, quemadmodum etiam in ira contingit.

Non tamen in gaudio oritur feruor ſanguinis cordis, vt in ira, ſed expanditur tantum abſq; eius augmento, & propterea in infirma virtute poteſt ſpiritus deſerere cor, & ſubſequi mors, in ualida autem gaudium frequens ſequitur confortatio virtutis, ob blandam ſpiritus dilatationem.

*Virtutis confortationẽ tria conſequuntur.* Confortationem virtutis tria conſequũtur, quorum quodlibet diſponit ad gaudium, primum eſt temperamẽtum ſpiritus, ſecundum eſt indefinens, & aſſidua generatio ipſius, loco eius, qui ob gaudium diſſoluitur, tertium eſt conſeruatio ipſius a diſſolutione violenta, & ſuperflua.

Rarefactionem autem ſpiritus duo conſequuntur, nempè di-

ſpoſitio ad motum, & ad dilatationem, quod fit per ſubtilitatem ſubſtantiæ eius, ſecundum eſt attractio nutrimenti.

*DVBITATIONES DE LOCO ET MODO generationis Gaudij, Iracundiæ, Concupiſcentiæ, & Motionis, quæ voluntarium ſequitur appetitum, & de dignitate facultatum cordis.*

*Caput Decimumſeptimum.*

SED circa ea, quæ dicta ſunt dubitatio occurrit, quomodo timor, & mœſtitia ſint paſſiones cordis, cũ perpetuo concomitentur affectiones melãcholicas, qui ſunt affectus cerebri. Ideo dixit Hipp.6.aph.23.ſi metus, & meſtitia longo tempore perſeuerauerit, hũc eſſe melãcholicũ dicas. Et Gal.3.de locis affect.cap.7 Dioclem increpat, qui præcipua totius cõcurſus melãcholici affectus accidentia, quæ ſunt motus, & mœſtitia, ſilentio præterierit. *Dubitatio*

Cum igitur metus, & mœſtitia ſint ſigna morborum capitis, ergo videntur in capite reſidere, non in corde. Huic dubitationi reſpondendum eſt, negando quodlibet morbi ſignum debere reſidere in parte læſa, quia ſæpe dantur partiũ conſenſus, quas ſympathias vocãt, tam validi, vt de neceſſitate læſio communicetur alteri parti, cum qua conſentit, vt ſatis comprobat mutuus conſenſus vteri, ventriculi, cordis, cerebri, & aliarum partium. *Solutio.*

Cum igitur metus & mœſtitia fieri non poſſit niſi data merendi, & timendi occaſione, quam conceptam in imaginatione formam, & ſpeciem rei contriſtantis, & meticuloſæ eſſe dicimus. Ideo iſte conceptus ſeu imaginatio dupliciter fieri poteſt, vel cum iudicio, & ratione aucta diſcernente verum a falſo, & tunc nõ eſt morbi ſignum, ſed timere, quæ ſua natura, & modo timẽda ſunt, eſt ſignum prudentiæ, & rectæ rationis.

Si verò conceptus, & imaginatio rei formidabilis fiat ſine ratione, hoc adhuc dupliciter contingere poteſt, vel enim illud fit ob imperitiam, ac rerum inexperientiã. Et hic ſimiliter non eſt morbus, ſed ruditas ingenij, ac rationis infirmitas, vt pueris & fę- *Conceptus timoris eſt duplex.*

minis contingit. Vel metus, & mœſtitia fit propter inuoluntariam,& inordinatam multitudinem phantaſmatum tenebricoſorum in infirma ratione affectionem tenebricoſam producẽtium, & tunc eſt affectio melãcholica, & morbus capitis indicati per metum & mœſtitiam,quæ ſunt vtique affectiones cordis,à corrupta imaginatione, metum & mœſtitiam concipientis in infirma ratione conſentiente cum corde, ac approbante malum conceptum læſæ imaginationis, à qua cor excitatum, metum, & mœſtitiam generat.

*Septẽ cordis faculta tes enumerantur.*

Sed ex ſupradictis ſatis conſtare arbitror ſeptem facultates in corde locari, quæ propriè cordi competentes omni,ſoli,& ſemper illi cõuenire dicuntur, quarum vnamquamque ſigillatim enumerauimus, atque perpendimus.

Ceterum harum aliæ ſunt principales, vt vitalis,aliæ non principales,vt calorifica, ſpirituifica, pulſifica,iraſcibilis, animoſa, & gaudifica. Dicitur autem principalis inter facultates cordis ſola vitalis, quia (vt ſupra viſum eſt, & plenius infra demonſtrabitur) ceteræ omnes ad ſolam vitalem ordinantur, atque ab hac dependent, ſed vitalis ad nullam harum ordinatur, nec ab vlla harum dependet, niſi in ratione famulationis, vt in tractatione de membrorum principatu apparebit.

*Duplex eſt virtus vitalis.*

Memineris tamen duplicem eſſe in vniuerſali virtutem vitalẽ, aliam in corde, de qua nos nunc ſermonem habemus,aliam verò in toto corpore;dum nos aſſerimus virtutem vitalem eſſe principalem, loquimur de ea, quæ in corde reſidet, comparando eam cum reliquis facultatibus prædictis, quæ in eodẽ corde reperiuntur, & tunc verum eſt, quòd vitalis ad nullum earum ordinatur, at vitalis,quæ in toto corpore reperitur, eſt principaliſſima, cum ad illam vitalis,quæ eſt in corde,ordinetur, ſola enim vitalis,quę in toto reperitur, data eſt animalibus propter ſe ipſam,vitalis verò, quæ in corde,cum cæteris omnibus,quæ in animali reperiuntur, in gratiam illius inſtitutę ſunt,animalia enim viuunt,vt ſint, & viuant, non propter aliud, quod confirmat Gal. primo de rat. vi. in ac. t. 44. dicens, ob facultatem vitalem ſani edimus, & bibimus, aliaque omnia vitæ munia exequimur, propter hanc eandẽ etiam ægrotantes ad cibos, potuſque procedimus. & clarius 9. Meth. cap. 13. idem confirmans ait, vita ipſa nihil prius in ani-

*Vitalis in toto eſt prĩcipaliſſima virtus.*

mantis

mantis corpore reperiri, propterea quòd nec ſanos eſſe citra vitam licet, quod deſumpſit ab Ariſt. primo de part. ani. cap. 5. dum ait animalia ideo cor habere vt viuant, pro qua vita intelligenda eſt, quæ toti viuenti eſt communis, illa enim eſt quæ primo expetitur, quæ ſi ſine vitali cordis conſiſtere poſſet, illius nulla neceſſitas, nec vſus eſſet, vt in plantis contingit, at in animalibus vitalis cordis magnifit, quia primam totius viuentis perficit, & illuſtrat, cum ſola ſufficere non poſſit.

Cum igitur finis, in cuius gratiã cętera ordinantur, ſit dignior, atque præſtantior, ſequitur, quod vita, quæ eſt in toto corpore, vt finis, in quem vita, quæ eſt in corde, ordinatur, ſit prior, dignior, atque præſtantior, at nos in præſenti hac præſtantiori poſtpoſita conſiderantes cordis facultates tantum, ac eas inſimul comparantes, dicimus vitalem cordis principalem eſſe, quia reliquæ eiuſdem cordis facultates ad hanc ordinantur, & ab hac dependent, eique inſeruiunt, verumtamen illarum aliæ immediatè ei inſeruiunt, aliæ mediatè. *Finis eſt dignior & præſtãtior.*

Immediatè ei inſeruit calorifica, paulo mediatius ſpiritus procreatrix. poſt hãc pulſifica, adhuc remotius iraſcibilis, animoſa, & gaudifica, nam hæ conferunt ad bona animi, vt ſupra de iraſcibili ex Platonis ſententia demonſtratum eſt, conferunt etiam ad bona corporis, quia ira in frigidis vitijs, & frigidiore corde, & capite magnopere iuuat, vt Galeni authoritate 5. in 6. de morb vulg. t. 9. confirmatum eſt. *Ordo facultatum cordis inter ſe.*

Similiter in gaudio calor innatus ſuſcitatur, vitaliſque virtus confortatur.

Harum autem omnium alię homini neceſſatiæ ſunt, vt vitalis, calorifica, ſpiritus procreatrix, & pulſifica, nam qualibet harum ablata animal interire cogitur, aliæ ad meliorem, & commodiorem vitam tantum conferunt, vt iraſcibilis, animoſa, & gaudifica, nam per has varia incommoda, quæ vitam triſtiorem facerent, euitamus. *Neceſſitas virtutũ cordis*

Facultatum autem cordis nulla propter ſe ipſam homini datã eſt, cum ſola vitalis, vt eſt in toto propter ſe ipſam expetatur, cæteræ verò propter aliud tantum, nam vitalis vt eſt in corde ordin tur ad vitalem, vt eſt in toto, ad vtramque ordinatur calorifica, at vitali, vt eſt in co.d. præter calorificam accedit ſpiritus

genitrix, & pulſifica, quæ omnes inſeruiunt vitali tamquàm omnium reginæ, deinde ſpirituifica calorificæ, vtrique autem pulſifica, cæteris verò omnibus deinde, ac ſibi mutuo multifariam, vt iraſcibili, animoſæ, & gaudificæ, calorifica, huic autem ſpiritus genitrix, & pulſifica.

*Dignitas facultatũ cordis.* Sed harum facultatum dignior eſt calorifica, quæ immediatè inſeruit vitæ, nam vita in calore permanet, & ambæ relatæ illi inſeruiunt, quia ſpiritus genitrix, & pulſifica factæ ſunt propter calorem, calor verò nulli earum inſeruit.

Verum ſi inter ſe iſtæ duæ poſtremæ conferantur, vt ſpiritus genitrix, & pulſifica, dignior eſt ſpiritus genitrix, quoniam pulſifica ei inſeruit, non è conuerſo.

Quod etiam videtur cognouiſſe Fernel. 6. ſuæ Phyſiol. cap. vlt. dum dixit, Ex quibus profectò perſpicuum fit vim illam pulſatilem plurimum à vitali diſcrepare, eſſeque tamquam ancillulam, & miniſtram tum ſpiritus eius, & caloris diſtributricem, tum vt innato calore modus quidam adhibeatur; certaque is ratione gubernetur.

## DE MEMBRORVM PRINCIPATV, & ſede Animę.

### *ARISTOTELIS, ET GALENI SENTENTIA de Membrorum Principatu. Caput Decimum octauum.*

IAM hucuſque de corde agentes vidimus quid illud ſit, & apparuit eſſe partem corporis animati, & inſtrumentum animæ ad varias, atque diuerſas operationes obeundas. Nunc autem ſupereſt, vt videamus quale ſit, & iure, cum quidditatem, & eſſentiam rei proprietates, & accidentia ſequantur.

*Quæſtio prima. Pro principatu qd ſit intelligendum.* Quæremus igitur primum, an ſolum cor inter mẽbra obtineat principatum, vel potius principatus pluribus partibus ſit tribuendus, ac pro principatu nos non intelligimus quemcumq; principatum, quia cum principatum obtineat quælibet pars, quæ vel totius animalis, vel aliquarum eius partium gubernationi præſit, ideo

ideo clarum eſt, & cor, & cerebrum, & iecur, & teſtes. Similiter ventriculum, pulmonem, hac ratione in animali principatum obtinere.

Verum pro principatu intelligimus ſupremam dignitatem, ſupremumque principatum, quærentes num hic gradus ſupremus competat ſoli cordi, vel potius pluribus partibus ſit æqualiter tribuendus.

Igitur pro membrorum principe nos cum cęteris intelligemus illam partem, vel illas ſi plures fuerint, in quibus tanquam in reipublicæ rectoribus ſuprema dignitas conſtituta ſit, ac ideo cęteræ facultates ab illis dependent, neque illa pars, vel ſi plures fuerint, illarum nulla ea ratione, qua principatum æquè obtinent, pẽdent ab altera, aut ab alijs, cauſa autem principatus membrorum eſt principatus, qui in partibus animæ reperitur. *Cauſa prĩcipatus mẽbrorũ quæ ſit.*

Ideo ſi eſt vna prima animæ facultas, vna etiam erit prima corporis pars, in qua prima illa facultas, tanquam in propria ſede, & domicilio principatum conſtituet, ſi plures, tunc plures etiam erunt corporis partes, in quibus primæ illæ facultates, reſidendo, vt in ſede, & domicilio, principatum in animali ſimiliter conſtituent.

Secundo quæremus, an facultas vitalis, quæ in corde reſidet, ſit re, & eſſentia diſtincta à naturali. *Quæſtio ſecunda.*

Tertio, an cor ſit magnum timidis animantibus, vt cenſuit Ariſtoteles. *Quæſtio tertia.*

Quantum attinet ad primum, refulget in corde principatus ratio, & dignitas, quæ licet ex his, quæ de illo ſparſim ſupradicta ſunt, & præſertim cap. 2. clariſſima, ac quam maxime illuſtris conſpiciatur, attamen magis particulatim, & plenius de ipſa nunc agendum eſt, & eo præcipuè, quia, vt nihil magis in tota philoſophia controuerſum eſt, quàm quæſitum hoc de animę ſede, & mẽbrorum principatu, ita nihil ob magnorum virorum viciſſim digladiantium diſſenſionẽ magis ambiguum, atque perplexum reperitur.

Nam alij pro ſede animæ ſtatuerunt vniuerſum pectus, vt Parmenides, & Epicurus. *Opiniones philoſophorum de ſede animæ.*

Alij partem inferiorem frontis, vt Straton.

Alij cerebri baſim, vt Herophilus.

Alij eius ſinus, vt Eraſiſtratus.

Alij membranam cerebrũ veſtientẽ, vt Aſclepiadis ſectatores.

Alij vniuerſum corpus, vt Zenocrates.

Alij pro ſede animæ totum ſanguinem ſtatuerũt, vt Crithias.

Ideo Poeta cecinit: vitamque cum ſanguine fundunt.

Alij nõ totam ſanguinem, ſed tenuiorem, & ſpirituoſiorẽ eius partem, vt Diogenes.

Alij cerebrum ſedem animæ ſtatuerunt, vt Plato.

Alij cor, vt Ariſt.

Alij cerebrum, cor, & iecur, vt Galenus.

Nos autem eos valere iubebimus, qui pro ſede animæ ſtatuũt vniuerſum pectus, vel partem inferiorem frontis, vel cerebri baſim, vel membranam cerebrum veſtiẽtem, vel totum corpus; multo magis deridendi ſunt illi, qui ſtatuunt pro ſede animæ ſanguinem, ſiue totum, ſiue tenuiorem eius partem, qualis eſt arterialis, intelligant, ſiue ſinus, & partem inanem cerebri, nam hi dupliciter peccant, primo quia non ſolum ponunt pro ſede animæ partẽ manifeſtè animæ expertem, ſed quod deterius eſt, eam pro prima ſede, ac pro principali eius domicilio ſtatuunt.

Igitur poſtpoſitis cæteris agimus tantum de opinione Platonis, Ariſtotelis, & Galeni, quæ ſunt ſane probabiles, atque præcipuè verſabimur pro virili circa ea, quæ hi uiri doctiſſimi inter ſe conuenientia, ac diſſidentia protulerunt.

Nec quæremus ſimpliciter, an hæ partes ſint ſedes animæ, conſtat enim has eſſe animatas, ac proinde eas eſſe animæ ſedes, ſed quæremus an ſint prima ſedes animæ, ita vt primo, & principaliter aĩa eis vtatur, ac ideo cæteræ animantis partes ab illis dependeant, vt de corde, iecore, & cerebro conſtanter aſſerit Gal. qui aduerſus Ariſtotelem mordicus contendit, tria æqualia principia in animali ſtatuenda eſſe, in qua controuerſia poſteriores omnes philoſophi eorum ducem Ariſtotelem ſequuntur.

*Galenus cõtra Ariſtotelẽ de membrorum principatu pugnat.*

Altera ex parte medici omnes ſententiam Galeni, quem ſibi anteſignanum conſtituerunt aduerſus Ariſtotelem, & omnes philoſophos acerrime patrocinati ſunt, atque vtrimque ingens prælium ex numeroſiſſima acie, egregiaque militum manu concitatũ eſt, nec tamen adhuc ſatis conſpicuum eſt, vtri iſtorum palma victoriæ debeatur.

Di-

Dignitate tamẽ principatus magis cor intermicát, quã ꝙ cæteræ duæ partes cerebrum,& iecur vnà æqualiter cũ corde incedát.

Principatus enim potius in vnitate, quam in multitudine ſeruatur, ideo quærẽda eſt in animali magis vna pars, quam plures, quæ rationem principalitatis obtineant. *Principatus in quo rectius ſeruetur.*

Et animal eſt vnũ, ergo forma eius eſt vna, ſed vni formæ vná ſedes debetur, ſiue vna, ſiue plures facultates ab ea dependeant, ergo eius organum debet eſſe vnum, non tria, tale autem erit cor, quia eſt fons caloris, in quo anima primum conſiſtit.

Optime igitur Ariſtot. 3. de part. án. cap. 4. & alibi ſtátuit cor inter membra principatum obtinere, dicens, vbicunque fieri poteſt vnum eſſe, quàm plura melius eſt, & quidám viri doctiſſimi ſtatuunt hoc tanquam fundamentum maximum in viá Ariſt. dicẽtes hac eadem via aſtruiſſe in metaphyſicis primum motorem eſſe vnum, quia principatuum multitudo eſt mala, & ideo Ariſt. vitalem, quam alibi nutritiuam vocauit, generatiuam, augmentatiuám, ſenſitiuam, motiuam, & tandem omnes virtutes, & facultates in corde locauit, cordis enim locus calore abundat, eſtque cor ſpiſſum, cauum, atque ſanguinis plenum, quod nutritiuam animam plurimum iuuat. *De principatu recte ſentit Ariſtot. rationes eius.*

Motus etiam lætitiæ, ác triſtitiæ, & tandem omnium ſenſuum hinc oriri, eodemque deſinere videatur, & propterea, & copia neruorum in eo reperitur, ideo ſenſus, & motus, & ſanguinis, & caloris, vt venarum, arteriarum, & neruorũ principium eſſe ſtatuit.

Quod etiam confirmare nixus eſt, quia cor eſt ſubſtantia venoſum. Et ſanguis in nulla corporis parte reperitur extra venás corde excepto, & ideo naturá in eo ventres produxit ex ſubſtantia denſa, ac ſolida compáctos.

Similiter venæ per cætera viſcera tránſeunt, át per cor nullá pertranſit.

Et ſanguis ex corde ád venás deriuatur, at vero ad cor necunde deuenit, id. n. origo prima, & fons, & conceptaculum primum ſanguinis eſt.

Confirmat idem ex conſectione animalium, & ex eorundẽ generatione, quia cor eſt primum, quod oritur, & ſanguinolentum primum conſiſtit, & vt primo oritur, itá etiam vltimo moritur, vt ait 2. de gener. ánim cap. 4. *Ariſt. ex ſectione probat cordis principatum.*

Sed

*Idem ſenſu confirmat.* Sed nec rationibus contẽtus, ſenſu ipſo ſtabilire idem nititur, cor eſſe principium primum in animali, quia in prima partuum generatione cor ſtatim palpitare cernitur, quaſi ſit alterum animal, quod ſit principium eorum naturæ, quæ ſanguinem habent.

Confirmatur, quia nullum animal particeps ſanguinis caret corde, quia cum animalia ſint ſanguinea, neceſſe eſt etiam, quod habeant principium ſanguinis.

Præterea ſitum obtinet principalem, cum ſit in pectore, & omnino parti priori corporis commiſſum, ne refrigeretur.

Similiter cor nullum graue vitium ſuſtinere poteſt, vt cæteræ corporis partes, ex quo principalitatis ratio patet, quia cum principium corrumpitur, neceſſe eſt vt cætera a principio pendentia deficiant, hoc autem ex eo apertum eſt, quia in ſacrificijs corda oblata ſemper illæſa viſa ſunt, quod de renibus, iecore, pulmone, cæteriſque partibus affirmari non poteſt, cum vt plurimum, & calculis, & panis, & papulis, vel alia huiuſmodi labe referta viſa ſint.

*Themiſtius idem cõfirmat.* Quam ſententiam Themiſtius lucidiſſimus Peripateticus, de ſomn. & vigil. cap. 13 confirmauit dicens, deuoratus n. & ingeſtus cibus per os, indeque in locos ſuos, ideſt, in ventriculum, & inteſtina collatus, euaporatur, & ſurſum ſpirat per venas, ꝑ quas deinde permanat ad iecur, in iecore mutatur, & natura ſanguinis tingitur, a iecore influit & ſubit in cor, in corde vincitur, & conficitur pleniſſime, & ibi in ſanguinem perfecte conuertitur. & paulo poſt addit, & venæ quidem aliæ cor adeunt, aliæ a corde proueniunt, venæ, quę adeunt cor tanquam miniſtræ, & gerulæ ſunt, vt quæ a iecore ad cor incoctum, & imperfectum ſanguinem conuehant, quem cor ſuſceptum ſua vi meracum, & abſolutũ reddit.

*Alexander idem cõfirmat.* Idem Alexander in paraphraſi de anima cap. vlt. confirmat dicens, In corde igitur vis nutrix eſt, aut in ea parte, quæ proportione, ac ſimilitudine proximè accidet ad cor, diſpẽſationem autem alimenti a corde proficiſci manifeſto venarum argumento conuincitur, hæ namque alimenti, hoc eſt, ſanguinis miniſtræ, ac gerulæ ſunt, &c.

*Auerroes idem confirmat.* Idem Auerr. 2. collig. cap. 9. confirmat dicens, & propter dominationem, quam facit iecur ſuper omnia membra nutritiua, opinatur Galen. quod eſſet penitus in virtute nutritiua princeps.

&

& ipſe neſciuit, quod poſtremum eſt in corde, & in eo prima virtus nutritiua eſt princeps, quod etiam pluries ibid. repetit.

Idem cap. 11. dum ait, & poſtquam ita eſt, & etiam apparet, quod calor, quo reguntur ſenſus, eſt calor cordis, ergo virtus, quæ regit ſenſum communem eſt ibi, & cerebrum eſt ſeruiens iſtius virtutis, ſed ipſum cor eſt princeps iſtius virtutis veraciter, quia dominatur ſupra his in hac perfecta dominatione. Sic itaque Peripatetici cor principatum in animalibus obtinere, ac ſedem animæ in eo eſſe ſtatuerunt.

Si vero altera ex parte quid Galenus ſenſerit inſpiciamus palam fit ipſum diuerſa habita ratione, modo cerebro principatũ tribuiſſe, quatenus eſt origo, vnde & ſenſus, & motus voluntarius exiſtit, vt 2. de plac. cap. 3. dicens, Principatus igitur, (vt ipſi idem volunt) animæ eſt, vnde & ſenſus, & motus, qui per appetitionem fit, principium exiſtit. *Galeni de mẽbrorũ principatu opinio. Galenus cerebro principatũ tribuit*

Idem aſſerit ibid. cap. 4. & 8 eiuſd. cap. 1. ait deinde inquiſitionem earum aggreſſi, lege demonſtratiua notionem ab omnibus conceſſam illam eſſe diximus, animæ videlicet principatum eum eſſe, vnde origo & ſenſus, & motus ex voluntate exiſteret.

Et paulo poſt ait, veruntamẽ a voluntarijs nos exordio facto, in quibus, qui propriè vocatur animæ principatus, agnoſcitur, vnam tantum poſſe ſcientiæ effectricem colligi, rationem oſtendimus, ab ipſa quæſitæ rei ſubſtantia, quæ habeat propoſitiones hunc in modum.

Vbi neruorum origo, ibi etiam animæ principatus eſt, &c. idẽ confirmat 3. de loc. aff. cap. 7. & 7. aph. 14. & 13. meth. cap. 21. & alibi.

Modo tribuit principatum cordi, vt patet. 6. de vſu part. cap. 7. vbi paucis præſcribens, quibus notis principatus iudicetur, illum in corde concludit his verbis. Cum igitur cor caloris natiui, quo animal regitur, quaſi fons quidam, ac focus ſit, omnis eo modo ipſius pars principatum teneat, ac magis hæ, quarum vtilitas toti animali vitam conſeruat, ſunt autem hæ duorũ vaſorum orificia, in ſiniſtro ipſius ventriculo, quem medici ſpirituoſum appellare conſueuerunt. *Galenus cordi principatũ tribuit.*

Et 5. in 6. de morb. vulg. t. 1. idem confirmans ait, Atqui inter ipſius naturæ facultates nonnullæ quidẽ primariæ ſunt, per quas

ſcilicet

ſcilicet animal in vita ſeruatur, ſummam nobilitatem ad optimam corporis vitam poſſidentes, optimam autem vitam nomino, quæ in ſanitate videlicet agitur, praua enim in morbis vita eſt, cum igitur facultas vitalis ſit primaria; ergo eius organum erit primaria pars, & animæ principatus.

*Galenus cerebro et cordi ſimul principatum tribuit.*

*Deriſio Chryſippi*

Modo Gal. tribuit vtrique parti principatum, cordi nempè & cerebro, vt 3. de plac. cap. 5. vbi deridens Chryſippum ait. Sed ò bone Chryſippe, neque nos id inficiamur, cor viſcus eſſe in nobis quantum ad vitam quidem attinet omnium præcipuum, ſed abſolute, ac ſimpliciter præcipuum non cõcedimus, neque enim cordi natura id tribuit, vt dominaretur, imperaretque alijs, cum regere, & gubernare hominis corpus opus eſſet, ſed cerebro imperium, cordi obedientiam demandauit.

*Duplex principatus reperitur.*

Ex quibus Gal. locis Priſcorum Philoſophorum dogmata inſectãtis duplicem principatum agnoſco, vnum penes principium actionum, quæ fiunt in ea parte animi, quæ, cum rationem habeat, certis quibuſdam partibus eidem rationi obtemperãtibus, imperare valet; & ideo omnes humanas actiones moderatur, omneſque immoderatos animi impetus cohibet, atque compeſcit, fitque dum morales habitus acquirũtur, & tunc iſte principatus eſt in cerebro, vt bene arbitrãtus eſt Plato, qui in Timæo ait, caput eſſe diuiniſſimum membrum, cæterorumque princeps, cui cæteræ omnes partes vti ſubditæ ſubeſſe, atque obtemperare debeant.

Alter principatus attenditur penes principium actionum, quę ad differentiam prioris fiunt in ea parte animæ, (quamuis actiones magis ſint corporis) quæ rationem non habet, nec rationi vllo pacto obtemperare valet, ſed bene, & ſatis euidẽter actiones, ac earum inſtrumenta naturalem a ſuo principio dependentiam ſeruant, ac illi vniuerſum ſuum eſſe acceptum referunt, & ſunt omnes naturales actiones, quæ ab anima per modum naturæ dependent, cuius proximum, & immediatum inſtrumentum eſt calor, & ſpiritus inſitus, & tunc iſte principatus eſt in corde.

*De qua principatus ſpecie agendũ ſit*

De prima principatus differentia nulla eſt apud nos lis, neque quæſtio concedimus enim vltro Platonem, atq; vnà cum eo Galenum rectè ſenſiſſe, cerebrum, in quo ratio conſiſtit, in illo ſenſu principatũ obtinere, ac omnibus animi affectibus dominari.

Quod

Quod etiam Ariſtot. confirmauit primo Ethic. cap.7. dicens, reliqua eſt igitur actiua quædam vita, eius quod ratione prædicatum eſt, id autem partim rationi obtemperat, partim eam habet, atque intelligit. & ibid. paulo poſt ait, quod ſi (inquam) ita eſt, & hominis opus eſſe vitam quandam ſtatuimus, eamq; animæ operationem, & actionem cum ratione eſſe aſſeueramus.

At de ſecunda principatus differentia, quæ ad dependentiam partium, & actionum earum attinet, de qua differens Ariſt. eam in corde locauit, maxima inter Philoſophos, & Medicos controuerſia extat, propterea quod Gal. ex quo vidit apertè venas, & neruos non oriri a corde, acerrimè in Ariſtot. inuectus eſt, cordis abſolutum, ac ſimplicem principatum membrorum auertens, ac ſtatuens tria æqualia principia dari debere, quæ pari principalitatis gradu incedant, cor nempè, cerebrum, & iecur. *Galen. aduerſus Ariſt. rationes.*

Et propterea 2. de plac. cap. 4. confirmans principatum in cerebro, oſtendit quod in ſacrificijs ſæpe viſum eſt animal corde exempto clamare, fugere, & alios motus, qui a cerebro pendent, exercere, non ſic autem contingit (ait ipſe) ſi cerebrum, vel medulla, quæ eſt cerebri vicaria, lædatur, quod tauris contigiſſe pluries notum eſt, quibus ſi dorſi medulla iuxta primam colli vertebram abſcindatur, ſubito illis non modo curſus deficit, ſed ne digitum quidem vlterius progredi poſſunt, quia vna cum inciſione illa reſpiratio, & vox, quarum origo a ſuperioribus partibus defluebat, continuo euaneſcit.

In quibus tamen videri poteſt (inquit ipſe, eundem principatum ſtabiliens in corde) cor vnà cũ arterijs omnibus poſt ictum aliquamdiu adhuc pulſare, quia pulſus eius a cerebro originem non habet, vt nec motus a corde. & ibid. ſubiungit, quemadmodum enim motiones hæ diuerſæ ſunt genere, ita neutra alterius principio indiget, eſtque cor procul dubio pulſuum, cerebrum voluntarij motus fons, atque origo, neque vlla ratio afferri poteſt, quæ omnium in animali functionum, atque operationum vnum tantum eſſe initium cogat.

Quibus verbis apertè Galenus iſta duo principia, cerebrum & cor, æquiualentia facit, ita vt neutrum ab altero pendeat; non quidem vtrumque ſecundum idem, ſed cerebrum ſtatuit principem ſenſus, & motus, cor verò vitalium pulſatiliumq; actionum. *Galen. cerebrũ & cor æqualia principia facit.*

Idem

Idem habet 2. de plac. cap. 6. dum ait: Ex his ita ſenſui expoſitis ratiocinari facilè poſſumus, neque cor ad pulſiuum motum, cerebri opera aliqua indigere, neque cerebrum cordis, vt & ſentire, (& per voluntatem fungi ſuo officio animal queat.

Idem primo de placitis cap. 6. ſignificat dicens: Iam verò ex his aliud quoddam maius etiam declaratur, neque videlicet cor cerebro vllo, neque cerebrum corde ad propriam motionem indigere.

Et 3. eiuſd. cap. 6. ait: mox oſtendimus etiam neutrum alteri ſupradictas facultates, neque cor cerebro, vel ſenſitiuam, vel motiuam agitatione, ſcilicet voluntaria, neque cerebrum cordi pulſuum incitatiuam ſuggerere, ſed viſcera hæc ſuæ vtcumque facultatis quendam quaſi fontem exiſtere. Et 6. eiuſd. cap. 1. & ſubinde fere per totum, & 9. Meth. cap. 10. & alibi pluries demonſtrat, tria hæc membra ita eſſe ſuarum functionum principia, vt nullũ alterius opera indigeat, quod ſi interdũ, vt lib. de form. fet. cap. 5. ait, cerebrum ad præſeruandum cor vtile eſſe, neruis thoracem agitando, quo diſtento inſpiratio, & contracto expiratio fit, eodem etiam modo cerebro vſum quemdam cor ipſum præſtare, atque his vtriſque iecur vtile eſſe affirmat.

*Cõciliatio locorũ Galeni.*

Non tamen ſuperiori ſententiæ aduerſatur, vbi ait, neque cor ad pulſiuum motum cerebri opera aliqua indigere, neq; cerebrũ cordis, quia Galen. hic vult cerebrum ad formandum ſpiritus vitales nullo pacto concurrere, ſed tantum ad præſeruandum cor ab interitu vtilitatem neceſſariam præſtare.

Similiter cor ad formandos ſpiritus animales nihil confert, cũ, vt generare ſpiritus vitales ſolius cordis eſt opus, ita generare animales ſolius cerebri alteratricis, nec vllum aliud membrum id efficere valet, in hoc tantum cor cerebro fauet, vt illi materiã, qui ſpiritus vitalis eſt, pro ſpiritus animalis generatione ſuppeditet, idem de iecore dicendum eſt, quòd ita ſanguinem generat, vt illius principium ſine alterius adminiculo dicendum verè ſit.

*Opus famulatorium quale ſit.*

Igitur quòd cor cerebro, & cerebrum cordi conferre ibi ait Galen. eſt opus ſub miniſtri, & famuli perſona communicatum.

An vero cor præter hoc miniſterium cerebro, iecori, cæteriſve corporis partibus aliud impertiatur, quòd & miniſtri, & famuli perſonã excedat, ac illius virtute in animali principatum me-

reatur nunc inueſtigandum paramus.

Quod igitur Gal. tria relata principia ab inuicem independentia, ac pari principalitatis gradu incedentia iudicauerit, vt pluribus in locis ab ipſo conſtitutum eſt, ſic ex prædictis ita conſtat, vt nihil amplius ſuperaddendum relinquatur.

## *ARISTOTELIS, ET GALENI SENTENTIA de Membrorum principatu reijcitur, ac deterius Galenum, qui tria principia, cor nempè, cerebrum, & iecur, quam Ariſtotelem, qui vnum tantum, idq; cor ſtatuit, ſenſiſſe demonſtratur.*

### *Caput Decimum nonum.*

QVARE cum viri grauiſſimi intenſe pugnent, ex hoc ſumma rei difficultas, ac multiplici dolo obuolutus labyrinthus concipiendus eſt, atq; ideo quod arduũ valde ſit decernere, quorſum conuertendus ſit animus, ac cuinam ſententiæ ſit hærendum, vel quo alio calle, ſi quis ſit alius, incedendum, ſummo iure arbitrandum eſt.

Veruntamen ſi licet mihi nunc magnarum rerum obire iudicia, vt vnicuique pro arbitrio, & ratione de rebus diſſerere fas eſt, Ariſtot. in quibuſdam lapſus eſt: Nam quod vbicumque fieri poteſt melius ſit vnum, quam plura ponere, verum arbitror, quia multitudo principatuum eſt mala, & quod cor ſit fons, & origo caloris, & quod communiſſimæ facultatis vitalis ſubiectum ſit, per quam animal viuit, ſimiliter veriſſimum arbitror, & inde paulo infra cor inter membra principatum obtinere, facilè me oſtenſurum polliceor.

Similiter aſſentior, nullam grauem læſionem, vt cætera viſcera, cor ſuſtinere poſſe, quod aſſerit etiam Gal. & quod primo oriatur, & vltimo intereat, & quod ſitum obtineat principalem, ex quo ſaltem probabile ſit, quod inter membra principatum obtineat, ſimiliter mihi concedendum videtur.

In qua determinatione ſi conſtitiſſet Ariſt. vt coronidem attigiſſet, ceu alijs anſam ſibi contradicendi non dediſſet. Verum *Ariſtot. lapſus.*

post

poſt hæc eo vſque progreſſus eſt Ariſt. vt ſanguificatricem vim, & motricem, & ſenſitiuam facultatem cordi tribuerit, & quod maius deliquium eſt venas, & neruos inde oriri, & nullam venam per cor tranſire ſtatuit, quod manifeſte rationi, & ſenſibus ipſis aduerſatur, vt optime demonſtrauit Gal. pluribus in locis, ſed cumulatè in lib. de placitis.

Nam dum Ariſt. ait, quod in corde magna neruorum copia reperitur, & ex eo deducit cor eſſe principium, & originem neruorum, hoc primo de plac. cap. 7. refellit Gal. primo per fiduciariã reprobationem, dato quod in corde ſit magna neruorum copia, non tamen propter hoc poſſumus inferre cor eſſe principiũ neruorum, quia ſic non minus etiam poſſumus inferre manus, & pedes, quibus magna neruorum copia ineſt, eſſe neruorum principia.

*Lapſus Ariſt. a Galeno notatus primo per fiduciariã reprobationem.*

Imò multo maior, & efficacior eſſet de illis partibus illatio, quia longè maiorem neruorum copiam vtraque pars continet, prçterea ſi copia neruorum illi dedit indicia principij eorum, cur ſimiliter ob copiam arteriarum non eſt argumentatus earũdem principium, & ita cerebrum vbi ſub craſſa eius membrana contextum ex innumerabili arteriarum implexu reperitur, principiũ arteriarum conſtituiſſet.

*Secũdo per inſtantiã.*

Deinde illud idem per inſtantiam refellit penitus euertendo, quod in corde copia neruorum reperiatur, quia primo de plac. cap. 8 9. & 10. ait, ſi vera fateri debemus, neque multitudine neruorum cor continet, quod abſurdiorẽ Ariſt. ſententiam reddit, quia illi, quos neruos ipſe appellat, ſunt neruoſæ diſcriminationes, & fines membranarum, quæ eius orificijs adiacent, vſumq; copularum potius, quàm neruorum præbent, cum illis mediantibus membranæ ipſæ cordi coniungantur.

Præterea ad oſtendendum cor neruorum principium non eſſe, ſat erat hoc ſolum, quod ab eo ad reliquas corporis partes nerui exporrecti non conſpiciuntur, vt de cerebro, & ſpinali medulla euidentiſſimè apparet, a quibus partibus ſenſibiles deriuantur nerui, vt a corde etiam arteriæ per vniuerſum corpus diffuſæ apertè conſpiciuntur.

*Ratio.*

Accedit quod vſus, & operatio, non fabrica inſtrumenti naturam, & eſſentiam docet, vt ex ipſomet Ariſt. ibid. aſſumit Gal.

cum

cum autem neruoſæ illæ diſcriminationes vſum copularum,quibus membranæ cordi adiacentes connectuntur, præbeant, nec cor voluntario motu egeat, aut exquiſitiori ſenſu plus quam illi tribuat paruus quidam neruus, qui a cerebro in ipſum inſeritur, ideo nullo pacto dicendum erat, cor copiam neruorum continere, & ex eo principium ſenſus, & motus non debebat illud ſtatuere, ſed cerebrum,a quo longe manifeſtius oriri videntur.

Quod autem nerui a cerebro, arteriæ a corde oriantur,confirmatur, quia ſi nerui laqueo excipiantur, cernuntur continuæ cũ cerebro partes ſupra laqueum ſenſum, & motum conſeruare,quę verò infra laqueum ſunt, ſenſu, & motu ſtatim priuantur. *Ratio.*

Similiter arteriæ, quæ cordi adnexæ ſunt ſupra laqueum comprehenſæ micant,quæ verò infra ſunt, omnino pulſatione deſtituuntur, & animi affectus, & perturbationes, vt ira, timor, gaudium,cor è naturali ſua conſtitutione exturbant, non cerebrum, quemadmodum è contra colliſiones cerebri, & vſque ad ventriculos vulnera inflicta ſtatim ſenſu,motuque animal priuant,quę ſunt ſatis euidentia argumenta cor arteriarum, & pulſationis, & cerebrum neruorum,& ſenſus, & motus principium eſſe.

Idem cõfirmatur 6.de plac.cap.6.ex ſimilitudine, quia quemadmodum arboris truncus, qui caudex vocatur,omnium aliarũ eius partium craſſior exiſtit, vt quod ſit principium tum inferiorum eius partium,radicis nempè, tum ſuperiorum omnium, vt ramorum vſque ad minima quæque virgulta, ita arteria aorta, quæ a corde oritur,omnium arteriarum, quæ per totum animal diſſeminantur, craſſiſſima conſpicitur, & vena caua ſimiliter ſtatim cum è iecore egreſſa eſt,antequam in duos illos ramos vtrinque ſurſum, & deorſum diſpertiatur, omnium venarum craſſiſſima eſt. *Ratio.*

Sed quod magis & euidentius venæ cauæ originem à iecore declarat, eſt quod inferior eius pars tota, abſque quod per cor pertranſeat, per inferiorẽ animalis partem diſpergitur, hoc enim indicat hepar innatas vires ad ſanguinem abſolutum, & perfectum conficiendum obtinere, ſi enim per illam inferiorem partẽ diſpenſat alimẽtum abſoluti principis inſtar, vt 6.de plac.cap.4. ait Galen. qui meram diſtribuendi potentiam habeat, non autẽ vti miniſter alterius, quod ita ſe facere demonſtrat,dum illam- *Ratio.*

met ſubſtantiam a ſe ipſo ſolo elaboratam, non autem aliundè acceptam diſtribuit, ergo illius principium exiſtit, non autem aliud membrum.

*Ratio.* Verum ſi natura eo conſilio iecur fabricaſſet, vt cordi ſanguinem præpararet, nequaquam ei dimidium tantum ſuppeditandi munus iniunxiſſet, hoc igitur neque miniſtri, ſed ducis, ac principis, neque materiæ, quæ non tota præparata ſit, officium eſt.

*Ratio.* Præterea ſi ſanguis perfectè non præparatur in hepate, ſed ad cor demandatur, vt ibi perfectam ſanguinis formam recipiat, & ad nutriẽdum idoneus reddatur, vbi quæſo reperitur poſtea vas, per quod ſanguis in corde (vt arbitraris) perfectè paratus, per totum corpus diſtribuatur? orificia enim quæ cordi inſunt, ſunt numero quatuor tantum, vt multis in locis oſtendit Gal. ſed præcipuè 6. de plac. cap. 6. quod etiam recipiunt omnes, duo in vtroque ventriculo, nempè in ſiniſtro, vnum quod ſpiritum è pulmone in cor immittit, alterum vero quod educit, reliquorum duorum in dextro, alterum in pulmonem ſanguinem immittit, alterum è iecore admittit in cor, neque quintum os inueniri poteſt, quo è iecore ſanguinem admiſſum a corde per totum corpus diſtribuatur.

*Ratio.*

*Euaſio.* Et ſi quis diceret, ſufficere illum qui per magnam arteriam diſtribuitur, dicamus quod hic eſt ſanguis ſpirituoſus, & delator caloris innati, non delator ſanguinis alimentalis, & quod hoc ſit verum patet, quia ſi ſanguis arterialis ſufficeret pro alimento, natura non diſtribuiſſet ſanguinem per venas a iecore exortas, vel illa diſtributio eſſet inanis, & ſuperuacanea, quod valde a natura abhorret.

*Ratio.* Præterea cõſenſu omnium conſtat ſanguinem expurgari functione renum, & receptaculi fellis, hæc autem expurgant ſanguinem, vt eſt in iecore, non autem vt eſt in corde, quod indicat ibi ſuam confectionem recipere, non autem in corde, vt Galen. ait 6. de plac. cap. 4. in quo neque aliud purgatorium inſtrumentum præparauit, neque humorem ipſum diuerſum a ſanguine reddit.

Nam qui in dextro cordis ventriculo ſanguis eſt, non eſt multum diſſimilis ab eo, qui per omnes venas in totum corpus diffunditur, quemadmodum & ille, qui per arterias fertur, non differt ab eo, qui in ſiniſtro cordis ventriculo continetur.

Quan-

Quantum autem ad cordis ſinus attinet, re uera, qui in ſiniſtro cordis ventriculo reperitur, ſpirituoſior eſt, quod etiam confirmat Gal. primo de ſem. cap. 8. & alibi frequenter.

Præterea diſſimilitudo iudiciorum diſſimilem, vt ait Gal. 6. de plac. cap. 5. & 6. demonſtrationem conſtituit, at maxima arteria ſtatim cum è ſiniſtro cordis ventriculo egreditur, in duos magnos ramos diuiditur, quorum vnus ſurſum, alter deorſum diſtribuitur, at vena ſi è dextro cordis ventriculo oritur, quare non ſimili prorſus modo partitur, vt arteria prædicta, & quemadmodum dum è iecore egreditur? hoc enim demonſtrat venas a corde non oriri, ſecus imitaretur modum egreſſionis arteriarum ab ipſo corde, vt illam imitationem oſtendit ab hepate, quæ venas ab hepate oriri oſtendit. *Ratio.*

Quod ſi demõſtratio a vaſorum ortu, quæ efficaciſſima eſt, alicui nimium pertinaci non ſufficit, ſaltem ſufficiat hoc, quod in multis animalibus dexter cordis ventriculus vnà cum pulmone perit, vt in piſcibus, quibus tamen vena caua ineſt. *Ratio.*

Non igitur venæ oriuntur a corde, ſed venarum radicatio iecur, vt cognouit Hippoc. lib. de alimento. & arteriarum cor. *Concluſio.*

Plura ad hoc oſtendendum habentur a Galen. in lib. de plac. quibus euidentiſſimè demonſtrat venas a iecore, arterias a corde, & neruos a cerebro oriri, non autem horum omnium principium cor tantum eſſe, vt voluit Ariſt.

Quæ licet (vt ego quoque arbitror) veriſſima ſint, ac firmiter tenenda contra Ariſt. & eius ſectatores, ac non obſcuram ipſorũ iuſtiſſimi criminis notam præbeant, quod proprias, & innatas aliarum partium vires non cognouerint.

Non tamen eſt a corde transferenda prima ſedes animæ, & membrorum principatus, vt ob hæc male credidit Gal. ideo licet vterque errauerit, ac cuiuſque caſtiganda ſit immoderatio, grauius tamen errauit Galen. qui relatis rationibus ſuaſus, tria prima, & æqualium virium, ac dignitatis principia in animali ponens, & cæterorum principiorum omnimodam independentiam à corde negans, circa rei eſſentiam errauit. *Grauior Galeni error eſt, quã Ariſt.*

Ariſt. autem nimium cordi tribuens circa modum eſſentiæ tãtum deceptus eſt, quod magis ipſi condonari debet, quia vt ex ipſomet Gal. habetur, lib. de atra bile cap. 1. facilius eſt ſuperfluum

demere, quàm nondum comperta inuenire.

Præterea Gal. ponens tria principia æqui ualentiá, quorum v-numquodque alterius ab altero independentiam ſeruet, & neutrum alterius auxilio egeát, viſus eſt parum intelligere, quid ſibi velint ea, quæ multis in locis cordi alias tribuit, millies aſſeuerando, (vt ſupra oſtenſum eſt) quod cor ſit fons, & origo caloris, qui per totum corpus ab eo per arterias communicatur, quod cor ſit principium vitæ totius animalis, & ſingularum eius partium, & quod animal omnino mori non poſſit corde illæſo, ſed ad eius læſionem omnes actiones, & iecoris, & cerebri perire.

*Galeni inconſtantia reprehenditur.*

Non autem e contra, vt 5. de loc. aff. c. 1. ait, ideo iecore nudáto, aut venis eius interceptis, nullum in corde detrimentum ſubſequitur, vt eodem fere momento contingit animalibus corde nudato, aut arterijs interceptis, niſi quod iecore debilitato animal ſenſim, moraque temporis læſionem in alimento percipiendo cōtrahit, vt ipſe ait 2. in 2. Hipp de rat. vict. in acut. t. 47.

Et propterea calor partis, ſi vena aliqua, vel totius, ſi ipſum iecur vitietur, deperit, & tandem diuturno quodam interuallo marceſcit, non tamen quicquam illico contingit, quia iecur nullius euidentis motus, ſicut cor pulſatorij, cerebrum ſenſitiui, & voluntarij principium eſt.

*Differẽtia dependentiæ domini a ſeruo & e cõuerſo.*

Quod vt cordis independentiam à cæteris partibus, & cæterás omnes ab eo in genere principalitatis ponit, vt ſeruus a domino, & famulus a rege, ita in genere miniſterij, & officij, cor à cerebro, & iecore dependere ſatis aperte conſtat, non ſecus ac rex dependet a famulis, & dominus a ſeruis.

Vberius confirmatur per illud axioma ab ipſo in primo de loc. aff. cap. 2 prolatum in hunc modum, id, quo nos tangente hic aliquis effectus ſit, & quo ſeparato ſtatim ceſſat, cauſam eſſe apud omnes homines in confeſſo eſt, modo ſubinfero ego, ſed tangente corde, cæteræ partes viuunt, eo autem ſeparato, & non tangente moriuntur, ergo cor eſt cauſa & principium vitæ, & eſſe earum.

Præterea Gal. 5. in 6. de morb. vulg. t. 1. ait, atqui inter ipſius ânimæ facultates nonnullæ primariæ ſunt, per quas ſcilicet animal in vita ſeruatur, ſi igitur illę facultates ánimæ primariæ ſunt, per quas animal in vita ſeruatur, ergo facultas vitalis eſt primá-

ria,

ria,illa enim eſt,qua primo & per ſe animal in vita ſeruatur,à cæteris vero producitur vita per accidens,nempe quatenus cum vitali cōiunctæ ſunt,modo cum vitalis ſit in corde, quomodo quæſo hic non aſtruit cor principem membrorum,& ſedem animæ.

Similiter primo de temp. cap. 9. ait,ſanguis vero ipſe a corde ſuum accipit calorem, & declarauit ſupra immediate, quem ſanguinem intelligat,dicens,qui calefacit tunicas arteriarum,& venarum,igitur ſanguis venarum recipit ſuum calorem a corde,vbi notanda eſt illa particula ſuum, quaſi dicat nullum alium calorē ſanguis habet,niſi qui a corde manat,hic ille ſuus calor eſt,& addit quippe id viſcus.i.cor natura tum omnium animalis particularum maxime ſanguineum,tum vero calidiſſimum eſt.

Si igitur ſanguis a corde ſuum accipit calorem, quomodo cor per communicatum calorem non erit principium ſanguinis, cōmune tamen, & mediatum eo modo, quo infra demonſtrabitur, aduerſus Ariſtotelem?

Et 3.de plac.cap.5. deridēs Chryſippum ait,ſed o bone Chryſippe, neque nos id inficiamur,cor viſcus eſſe in nobis quantum ad vitam quidem attinet omnium præcipuū, ſed abſolute,& ſimpliciter præcipuum non cōcedimus, neque enim cordi natura id tribuit, vt dominaretur, imperaretque alijs, ecce aſſerta cordis principalitas. *Deriſio Chryſippi.*

Quæ licet non extendatur ſupra illas actiones, quæ attinēt ad animum rationi obtemperantem, tamen extenditur ſupra illas, quæ attinent ad animam per calorem operantem,de qua principalitate nunc nos loquimur,vt ſupradictum eſt.

Et ſi quis diceret,concedo principalitatem cordis, quātum ad vitam attinet, ſed non concedo quantum ad ſenſum, & motum & ad ſanguificationem,quia vt cor eſt principium vitæ, ita cerebrum eſt principium ſenſus,& motus,& hepar ſanguinis. *Euaſio inanis.*

Redditur euaſio inanis per ea,quæ paulo ſupra dicta ſunt,quæ iterum repetere liceat, cor eſt principium vitæ ita vt ad illam producendam nulla alia virtus concurrat,niſi ſub perſona miniſtri & famuli, ideo hepar ei ſubminiſtrat alimētum, cerebrum vero dat motum thoraci,at cerebrum dum producit ſenſum,& motum,illud facit ope vitæ, quam cordi acceptam refert,& ita dicendū eſt de iecore,quod producit ſanguinē virtute vitę,quā habet a corde. *Reſponſio.*

Non eſt igitur par principalitas horum trium, ideo cogitur ſæpe Gal. vt 7. meth. cap. 13. aſſerere, maximam eſſe cordis officij dignitatem, atque ægrotantibus, adde & bene valentibus, maxime omnium neceſſariam.

Idem habet 9. eiuſdem cap. 13. dum ait, maxima igitur dignitas ipſarum eſt virium, quando viuere ipſum nobis ex harum cuſtodia conſtat, vt pote cum vitam, aut ipſas eſſe vires, aut earum actiones ſit neceſſe, at vita ipſa nihil eſſe prius in animantis corpore poteſt, & 13 de vſu part. cap. 10. ait, cor vero eſt totius vitæ principium, modo ſubinfero ego, ergo eſt principium vitæ cerebri, hepatis, eſtq; prius, & dignius cæteris partibus, ergo cor eius ſubiectum eſt membrorum princeps & ſedes animæ.

*Regula perpetua pro cognoſcenda parte principe.*

Sed dimiſſis cæteris, illud tantum quod 6. de vſu part. cap. 7. Gal. habet, mihi prætereundum non videtur, vbi dans perpetuã regulam ad cognoſcendam partem principem in animalibus ait, principatum ex vtilitate partis deſumendum eſſe, quæ vtilitas cũ ſit triplex genere, aut enim refertur ad vitam ipſam, aut ad vitã commodiorem, aut ad horum duorum conſeruationem, quę ſane ad vitam conferunt particulæ, hæ principes ſine dubio ſunt habẽdę, reliquorum vero duorum generum a primi generis præſtantia diſcedentium, ea minus alijs diſcedere ſunt putanda, quibus hæ principes facile compatiuntur, magis vero, quibus minus facile.

Cum igitur cor caloris natura, quo animal regitur, quaſi fons quidam, & focus ſit, omnis eo modo ipſius pars principatum teneat, ac magis hæ, quarum vtilitas toti animali vitam conſeruat.

Hæc formaliter Gal. quibus quod aperte principatum in corde ponat quo ad vitam, omnibus compertum facile eſt; ſed ſi eſt princeps quo ad vitam quod ſit abſolute, & omnibus modis, etiã non eſt arduum intellectu, quia ſi eſt fons caloris natiui, quo animal regitur, ergo a corde requiritur cerebrum, & iecur, ergo cor eſt rex membrorum & animal omnino dependet ab eo, cum nulla ſit pars, neque particula, quæ ſine calore cordis cõſiſtere poſſit, igitur animal & quo ad eſſe, & quo ad omnes eius operationes & regitur, & dependet à corde, merito igitur cor ſtatuendum eſt inter membra princeps, & ſedes animæ.

*Multæ facultates ſunt in corde.*

Sed animaduertendum eſt, quod in corde multæ ſunt facultates, quas omnes ſupra retulimus, cor non dicitur obtinere principatum,

patum,quo ad aliquas,vel omnes eius facultates,ſed quo ad vitalem tantum,igitur non quia calefacit, aut pulſat,neque quia ſpiritus generat, aut iram, aut fortitudinem, aut gaudium producit,fit princeps in animali,ſed tantum dignitatẽ principatus poſſidet,quatenus viuificat,nam quia eſt fons,& origo caloris innati, quo animal regitur,& cuius ope cerebrũ,iecur, teſtes, & reliquæ partes viuendo,ſenſationem & voluntariam motionem,ſanguificationem,procreationem,& nutritionem & augmentationem abſoluunt, ideo principatum in animali obtinere, & ſedes animæ eſſe dicitur.

*Non penes omnes facultates cor eſt prĩceps.*

Quod expreſſe ſignificauit Gal. ſub illis verbis dum ait, cum igitur cor caloris natiui, quo animal regitur, quaſi fons quidã,ac focus ſit, omnis eo modo ipſius pars principatũ teneat, dixit omnem cordis partem principatum tenere, at non omnibus modis, ſed eo modo tantum,ſcilicet,vt eſt organũ facultatis vitalis, quæ calore,cuius eſt fons & focus,vtitur.

Si igitur hoc modo cor, vt fons caloris innati, inter membra principatum obtinet, non erant vice verſa ſtatuenda tria equiualentia principia,quorum neutrum alterius auxilio, & ope indigeret,cũ ſatis appareat,cerebrũ,iecur,teſtes, & reliquas animalis partes indigere calore cordis, atque quod nulla eorum propriæ operationis pars princeps,& author exiſtat, cũ nulla pars per ſe, & ſine ope caloris cordis propriam operationem exercere,aut inchoare poſſit.

Nam eſſe vnũ,& eſſe tria reſpectu vnius,& eiuſdem impoſſibile eſt,ſi igitur cor obtinet principatũ inter membra,cętera dependent ab eo,ſi vero ſunt tria,quæ principatum obtinent, penes illud,propter quod ſunt principia, neutrum pendet ab altero, nec ab alijs,ſed potius cætera fiunt ab illis, quemadmodũ proprium principiorum eſt.

At cum haſce conditiones de corde,modo affirmauerit, modo negauerit Gal.(vt ſatis ſupra oſtenſum eſt per ea,quæ varijs in locis de ipſo animaduerſa ſunt)palam fit Galenum parum tenuiſſe, (quod pace tanti viri dictum ſit) aut ſaltem diſſimulaſſe dignitatem,& præſtantiam cordis,atque principalem eius vſum,& vtilitatem,& functiones parum accurate pertractaſſe.

*Galeni hæſitantia.*

## *COR SEDEM ANIMAE, ET MEMBRORVM principatum eſſe contra Galenum, ſeruatis tamen innatis viribus aliarum partium contra Ariſtotelem, opinio propria. Caput Vigeſimum.*

*Ariſt. de corde exceſſus.*

CVM igitur Ariſtot. ſtatuens cor principium primi ſanguinis, ſenſus, & motus, venarum, arteriarũq; nimium cordi ipſi tribuerit, atque longius, quam conditioni eius competat, ſermone prouectus fuerit.

*Galeni de corde defectus.*

Gal. autem ex altera parte primam, ac potiorem ab eo dignitatem demendo, ac ideo tria æqualia, primaque principia in animali ſtatuendo, multum de iuſta illius menſura detraxerit, ac nimius eius vires infirmauerit, ſibique in proprijs ſententijs parum conſtans viſus fuerit.

*Propria de corde ſententia nulli cognita exponitur*

Nobis onus, neque (vt videtur) perarduum, incumbit hanc litem dirimendi, quod vt præſtemus, & veritatem nemini (quem adhuc viderim) exquiſite perſpectam hac in re aperiamus, Ariſtotelem ducem, & philoſophorum principem, qui primus glaciẽ ſecuit, quique prima ſapientiæ vera ſemina a ſe iacta excoluit, & auxit, viamque nobis aperuit, licet non omnia abſoluerit perfecte, aſſumamus, exordio a definitione animæ ab ipſo tradita ſumpto, vt inde primam animæ facultatem (ſi quæ ſit) & eius domicilium contemplemur, atq; vna innoteſcat, an in animalibus ea facultas ſit cęterarum omnium principium, quia ſi aliqua reperitur, quæ reliquis dominetur, tunc eius ſubiectum primas partes obtinere, ac membrorum principatum eſſe dicetur, vt ait Gal. de conſt. art. med. cap. 4. & 2. de plac. cap. 3.

*Anima eſt actus corporis phyſici potentia vitam habẽtis.*

Igitur anima eſt actus corporis phyſici potẽtia vitam habentis, in qua definitione accipitur actus, quod eſt genus (vt dicunt) analogum, ſeu quid cõmune ab vno, dicitur enim primo de ſubſtantijs ſeparatis, inter quas Deus, cum ſit actus nedum immaterialis, & incorporeus, ſed ſimpliciſſimus, omnem vſquequaque cõpoſitionem, & realem, & rationalem excludens, abſolutiſſimus actus vocatur.

Anima non eſt hic actus, ſed corporis, nec tamen ſimpliciter

anima

animá eſt omnis áctus corporis,quod eſt proprium omnium formarum materialium,tam naturalium,quàm artificialium, ſed eſt actus corporis phyſici, ac tandem illius, quod eſt potentia vitam habens.

*Anima qualis actus ſit.*

Igitur anima eſt actus, ita per differentias contractus, vt propriam animæ naturam, & quidditatem exprimat, atq; declaret, cuius ſumma eſt ( vt paucis omnia complectar ) vitalis actus corporis.

*Anima eſt actus vitalis corporis.*

At ecce facultatem, quam per definitionem animæ venati ſumus,nempe facultatem vitalem,& hanc ſolam,quia ipſa ſola totam animę eſſentiam complectitur, ideo Ariſt. eam communiſſimam animæ vocauit,& eam eſſe venandam. 2.de anima t. 1.aſſerit,& per eam ſolam. 2. eiuſd. t. 13. tanquam per differentiam eſſentialem animatum ab inanimato diſtinxit,& ibid. t. 16.& alibi dixit viuere per hoc principium omnibus viuentibus ineſſe.

Ergo anima continet vnam quandam primam facultatem,ſecundum quam vitalis dicitur, quæ & communiſſima eius quidditas eſt.

*Anima cõtinet vnam quandã primã facultatẽ, quæ vitalis dicitur.*

Quod non ſolum Ariſt. ſed poſteriores omnes philoſophi, & medici aſſeruerunt, ideo Gal. lib. de vtil. reſp. cap. 1. ait,reſpirationem ad nullam particularem actionem pertinere,ſed ad vitã, ex quo aperte demonſtratur vitam non eſſe particularem actionem,cum ab ea contradiſtinguatur,ergo neque eius facultas erit particularis.

Sed ne quis arbitretur,vitam, dum in aliquo indiuiduo accipitur, eam non eſſe actionem particularem, & vnam numero per indiuiduationem ſubiecti, vt cæteræ omnes,ſed dicimus eam nõ eſſe particularẽ,quatenus producit omnes alias actiones, & earũ dicitur eſſe caput, atq; principium,ideo vniuerſalis actio in cauſando, non autem in prædicando, (vt Logici aiunt) vitá dicenda erit.

Rectè igitur Ariſt. eam communiſſimam vocauit,idem apertẽ manifeſtat Gal. referens animæ actiones dum ſolius vitalis meminit, reliquis omnino poſthabitis dicens, ſi quidẽ igitur actio animæ eſt vita, atque ipſa à reſpiratione magnopere iuuari videtur, &c. tamquam retulerit illam, quæ totam animæ facultatem conſequitur.

*Rectè Ariſt. rationẽ animæ communiſſimam vocauit.*

Quod

Quod cum ita ſit, videndum eſt, cuiuſnam corporis anima ſit actus vitalis, ſcilicet quodnam ſit ſubiectum iſtius facultatis vitalis, ſi memoria tenemus illa, quæ ſupra capite 2. de mẽte Hipp. & Galen. ſed præcipuè Ariſt. demonſtrata ſunt, anima in calore conſiſtit, atque prima eius participatio eſt generatio viuentis, & permanſio in eo eſt vita eius.

*Duplex virtus vitalis in viuente reperitur.*

Si igitur anima manet in calore, ergo totum corpus viuens, cũ ſit ſubiectum caloris debite diſpoſitum, erit commune ſubiectũ, & communis ſedes iſtius facultatis.

Bene igitur Xenocrates arbitratus eſt, ſedem animæ eſſe totũ corpus viuens. Niſi forte in toto viuente reperiatur aliqua pars, quæ calore cæteras antecellat, quæque multo excellentior fons, & origo caloris ſit, quàm totum, & quod ab eius calore cæterarum viuentis partium calor dependeat, quia tunc illa pars dicenda erit prius, & principalius vitalis facultatis ſubiectum, & ideo membrorum princeps, & animæ ſedes.

Sed non minus clarum eſt apud omnes Philoſophos, & Medicos, in animalibus adeſſe partem, quæ ſit vberrimus fons, & origo euidentiſſima caloris, a quo cæterarum partium calor dependet, & eſt cor, ergo in eo præcipuè animam reſidere dicendũ eſt, ergo patet animam præcipue in hac parte, nempe corde, vt in fonte caloris reſidere, ac eius primo, ac præcipuè actum eſſe, quod nunc a nobis quærebatur.

*Cor fõs vitæ & caloris dicitur.*

Optime igitur ab Ariſt. ſtatutum eſt, cor eſſe ſedem animæ, & membrorum principatum, cum cor ſit fons, & origo illius caloris, quo principaliſſima eius facultas vitalis vtitur, & quo cæteræ partes egent ad vitam, & anima in calore conſiſtat, & per calorem omnia operetur.

*Optima Ariſt. ſententia de membrorum principatu.*

Igitur dum Ariſtot. definit animam, quod ſit actus vitalis corporis, accipit animam, & actum vitalem in communi ad totum corpus, & accipit ambos vniuerſim ſumptos nulla habita differentia partium corporis animati, atque ita anima eſt in toto corpore, & eſt actus totius corporis, non tamen ſi partes viuẽtis corporis inter ſe conferantur, maximum, & latiſſimum ex omnium ſententia extet diſcrimen, quia datur quædam pars in animali, quæ ita in calore cæteris dominatur, vt per illum ſit tamquam principium cæterarum.

Igitur

Igitur actus vitalis poteſt conſiderari dupliciter,vel vt ſimpliciter ſumptus, & ita accipitur in definitione tradita ab Ariſt. in libris de Anima, quid ſit actus corporis ſimpliciter, & vniuerſim ſumpti, & vita viuentium, & principium viuendi ſimpliciter, & vniuerſim ſumpta, & formaliter eius actio eſt viuificatio corporis, cauſaliter vero eſt permanentia animæ in calore. *Actus vitalis eſt duplex, ſimpliciter.*

Alio modo actus vitalis poteſt conſiderari principaliter,vt acceptum fuit ab Ariſt. in lib. de part. anim. & de gener. anim. & de iuuent. & ſenect. & de motu anim. vbi ſtatuit cor eſſe membrum præcipuum,propter præcipuum actum vitalem eius, & ita nō eſt actus corporis potentia vitam habentis, ita cōmuniter acceptus, nec vita viuentium tantum,ſed eſt actus particularis partis,nempè cordis in habentibus cor,vel partis proportionalis in carentibus corde, & vt ſupra definitum eſt, eſt actus cordis, ſeu facultas animæ in corde reſidens viuenti potentiam viuendi tribuēs gratia vitæ animalium. *Actus vitalis principaliter.* *Primæ facultatis vitalis definitio.*

Vbi conſiderandum eſt, quod eandem proportionem ſeruat virtus vitalis in communi ad totum corpus accepta, comparata ad totum corpus viuens, ideo virtus vitalis cordis eſt cauſa primæ, & principalis vitæ, quæ reſidet in corde in triplici genere cauſæ, iuxta naturam,& conditionem formarum naturalium, vt de anima aſſeruit Ariſt. in 2. eiuſdem t. 36.

Ideo virtus vitalis eſt forma cordis & dans eſſe, & propterea eſt actus vitalis eius. eſt efficiens, ideo eſt principium viuendi primo,& principaliter, & eſt finis, propter quē natura inſtituit cor, ideo natura in animalibus excogitauit cor; vel proportionale ob præcipuam virtutem vitalem. *Actus vitalis eſt forma & efficiens.*

Si igitur virtus vitalis eſt principium vitæ operationum; ergo prima virtus vitalis eſt principium primæ,& principalis vitæ, ergo non ſolum vita erit operatio virtutis vitalis, ſed prima,& principalis vita, quæ ad cor attinet, erit prima & principalis operatio cordis.

Valeant igitur qui negant eam eſſe operationem, quia in reſpectu ad animam,quæ eſt actus corporis, & principium viuendi eſt totius viuentis operatio ſimpliciter, at in reſpectu ad virtutē vitalem, quæ eſt facultas cordis, & præcipuū principium viuendi, eſt præcipua operatio cordis,ac formaliter eſt viuificatio cor- *Contra negantes vitam eſſe operationē.*

dis

dis non nutrificatio, vt putarunt Peripatetici, & mediante corde eſt viuificatio totius viuentis corporis.

*Formalis primæ virtutis definitio.* Ideo definitur quid ſit actio cordis, vitam viuentis corporis perficiens, vitæ animalium gratia, nō autem mutationem viuentis corporis perficiens, cum alia ſit nutritio, alia vita. Cauſaliter vero eſt permanentia vitæ in calore cordis, quia in tantum animal viuit, in quantum cor viuit, & vita animalis pendet a vita cordis. *Cauſalis primæ virtutis & vitalis definitio.*

Confirmatur autem duplex illud vitæ ſignificatum, totius ſcilicet corporis viuentis, & partis principis, vt cordis, quia licet totum corpus animalis ſit viuens, viuit tamē ope, & fauore cordis.

Quod aſſerit Ariſtot. in ſupra allegatis locis, idem confirmat Gal. 5 de loc. aff. cap. 1. & Auicē. lib. 1. fen. 1. doc 5. cap. 1. & vita vt eſt in corde perficit vitam, vt eſt in toto viuente corpore, dum ſpiritus eius viuificos per vniuerſum corpus diffundit, ideo ibid. Gal. ait ſemper mortem ſequi ad immodicas cordis intemperantias, quibus ſi adnectitur tumor, neceſſario animal mori cogitur, & ſimul cum cordis vitio ſemper vitiari omnes partes, non e contra, niſi vitium per multum tempus perderet, vel ſit maximū, vel vtraque ratione lædat, vt tandem communicetur cordi, vt ibid. & 3. de ſimpl. medic. facult cap. 18. ait Gal. & Auicen. ibid. ait, in cerebro nāque, & hepate omnes tenuerunt Medici, quod vnumquodque eorum virtutem recipit, & calorem naturalem, & ſpiritum a corde, nam calor cordis implantatum ſingularum partiū calorem mediante influente fouet, & auget, ad actumque è potentia deducit, ob illam communitatem, quam Gal. 11. Meth. cap. 8. ait, corporis partes cum eo habere.

*Dubitatio.* At ſi quis dixerit animam non minus eſſe actum vitalē, quam nutritiuum, ſenſitiuum, intellectiuum, & ſecundum locum motiuum, & ideo vitam non videri eſſe communiſſimam animæ rationem, vt ſupra ex Ariſt. ſtatutum eſt.

*Solutio.* Huic ita reſpondeatur, quod vtique anima eſt actus vitalis, & nutritiuus, & ſenſitiuus, & intellectiuus, & motiuus, differenter tamen, quia actus vitalis eſt cauſa, per quam ſit nutritiuus, ſenſitiuus, intellectiuus, & motiuus, niſi enim mēbra viuerent, tunc nec nutrirentur, nec ſentirent, nec cæteras actiones complerent, ideo vita eis aſſiſtens communiſſima earum cauſa, & animæ ratio

tio dicta eſt,& hæc eſt ratio, propter quám Ariſt.definit ánimam per actum vitalem tantum poſt poſitis cæteris actibus.

Male igitur Gal. & qui eum ſequuti ſunt, vitalem,naturalem, & ánimalem ſub eodem principalitatis gradu collocarunt,& qui cum Gal.iuxta iſtas tres facultates tria æqualia principia in animali poſuerunt,válde hallucinati ſunt. *Praua Galeni ſententia refellitur.*

## *A NATVRA REI SVMPTO EXORDIO clarius probatur cordis principalitas. Caput Vigeſimum primum.*

QVOD vt dilucidius páteát á rei natura ſumámus exordium,quod tantum Galenus amauit, nám demonſtrationes ( áit) 2. de plac. cap.4. á rei natura ſumptæ ſcientiam pariunt,non autem quæcumq; ab hominum opinionibus, uel vulgárium, vel Poetarum, vel Philoſophorum etymologiá áliqua, ſiue aſsenſibus ſumuntur, quod maximá exparte video ab his fieri,qui de membrorũ principatu, & ſede ánimæ pertractant, rei natura ferè penitus deſpectá.

Igitur ab ea exorſi , conſiderantes, quarum in animalibus cor facultatum fons exiſtat,ac quid animali cor communicet , quod nihil áliud eſt quam,vt 2 de pla.cap 3.& 8. conſiderare án principatus rátionem obtineat. *Cor quarũ facultatũ fons exiſtat, perpenditur.*

Dicamus,cum cor ſit ſubiectum virtutis vitalis, quæ mediánte calore totum corpus viuens viuificat,ergo eius operatio nihil aliud erit,quam viuificatio , cor igitur per virtutem vitalem vitã tribuit, quæ morti opponitur , ſed hæc viuificatio , neque nutritio ,neque ſenſatio , neque intellectio , neque motio ſecundum locum dici poteſt,vt bene notat etiam Galen.5.de loc.aff cap.1. quia nutritio eſt reparatio ſubſtantiæ deperditæ ob actionem caloris innáti.

At viuificatio non eſt repárátio,at bene cauſa eius , quia non poteſt fieri reparatio deperditi,vbi non eſt vita,ſed vice verſa poteſt vita ſine reparatione ſubſtántię deperditæ interdum conſiſtere, quod frequenter experimur in ægris corporibus , quæ ob de- *Viuificatio quid ſit. Reparatio quid ſit.*

fectum

fectum caloris innati non ſolum non nutriuntur,ſed etiam aliquã do adhuc vita ſuperſtite atrophia contabeſcunt; nec tamen eodem momento,vel ita repente moriuntur,vt teſtatus eſt Gal. 2. in 2. Hippoc. de rat. vict. ac. t. 47.

*Virtus p̄parãsquid ſit.* Et confirmauit Auicen. lib. 1. fen. 1. doct. 6. cap. 4. dicens,& præparans (per quam intelligit vitalẽ) non eſt virtus nutriendi tantum, ita vt dicamus,quod quamdiu virtus nutriendi affuerit, viuum erit animal, & cum illa deſtruetur erit mortuum, quoniam hoc ipſum verbum virtuti offeremus nutritiuę,fortaſſe.n.plerumque in aliquo operatio eius deſtruetur,& membrum viuum remanebit,& fortaſſe plerunque remanebit eius operatio, & membrũ tendet ad mortem.

Et paulo poſt ait, Reſtat igitur vt ſit præparans alia res, quæ propriam ſequatur complexionem,quæ vocatur virtus vitalis, & ipſa quidem eſt prima virtus,quæ in ſpiritu prouenit.

Apparet igitur quomodo nutritio, & eius facultas diſtinguatur à vita,& vitali facultate,quod non ſit ſenſatio,intellectio, & motio clarum eſt,cum omnes in plantis ſeparentur a vita,nam ſi illæ relatæ eſſent vita, cum non ſint in plantis, tunc nec plantæ viuerent.

*Dubitatio* Et ſi quis diceret, plantæ viuunt alio modo vitæ, & ideo ſi illi modi viuendi non ſunt in plantis, adeſt diuerſus ab his viuendi modus,qui ſufficit.

Sed hæc eſt illa deceptio,qua aliqui irretiti iure,& merito irridendi ſunt, quia fateor eſſe plures modos viuendi,ſed modum viuendi quis vitam dixerit?

*Deceptio inſignis et reſponſio.* Sed ad primum,quod vita ſeparetur à relatis operationib. cõfirmatur ab Auicen. ibid. dum ait, & hic ſpiritus cum ſecundum complexionem prouenit, quam debet habere, præparatur ad hãc virtutem recipiendam,quæ præparat omnia membra ad recipiẽdum alias virtutes animalis,& etiam reliquas: virtutes quidẽ animales in ſpiritu quidem,& in membris non proueniunt,niſi poſtquam hæc vitalis prouenit virtus, &c. quibus verbis non ſolum differentiam ponit inter illas operationes,ſed etiam aperte declarat vitalem eſſe dominam reliquarum.

Hoc dominium ſimiliter confirmauit 11. 3. t. 1. cap. 6. dum dixit,cor eſſe membrum principale prius omni principali, & ſublimius,

mius,vbi manifeſtè apparet Auicen. aliquam,nec obſcuram principatus imaginē in corde vidiſſe, ex quo mihi mirari ſubit, quomodo poſtea in tria illa principia cum Galeno impegerit, niſi id ob magiſtri reuerentiam factum ſit. *Auic. vidit cordis principalitatem, ſed ſub nube.*

Quibus ſic expoſitis,non eſt arduum reſpondere, ſi quis quæ-rat vna cum Auerr.enixè ſcrutante,quid ſit iſta virtus vitalis, dicens cum Auicen. quod ea eſt virtus præparans alias virtutes, quæ ſanè miror quomodo ab Auerr.viro perſpicaciſſimo non fuerit animaduerſa,cum multis in locis Auicen. aperte vocet eā virtutem præparantem alias virtutes, quod facit per vitalem calorē vniuerſo corpori communicatum,vnde ſingulæ potentiæ propriā vim agendi recipiunt,ideo nulla illarum eſt vita,ſed alia vegetatiua,alia ſenſitiua,alia intellectiua,alia motiua,per vitalem. *Auerrois oſcitantia.*

Et licet Ariſt. diuiſerit vitam in vegetalem, ſenſitiuam,intellectiuam,& motiuam,& ideo vita videatur de omnibus prædicari, tamen ea non eſt diuiſio generis in ſpecies,ſed accidentis (vt Logici dicunt) in accidentia, quia nulla illarum eſſentialiter eſt vita,ſed accidentaliter tantum,& modus(vt dictum eſt)viuendi. *Vita non prædicatur de animæ potentiis in recto, ſed in obliquo.*

Hac igitur facultate præparante, partes viuentis ita præparantur,vt propria munera,quæ ab illis exerceri debent,abſoluant,& dico propria munera abſolui ab eis, quia fateor & ego libentiſſime cum Gal. aduerſus Ariſt. iecur eſſe membrum principale, & principium ſanguificationis,& cerebrum ſimiliter principiū ſenſus, & motus, & ideo vtrique natura elargita eſt proprios canales,& ductus per vniuerſum corpus diſperſos,vt veris facultatum principijs competit.

Diſſentio tamen ab eo, quia ipſe cerebrum, & iecur paria cordi principia ſtatuit,quod faciendum non eſt,exempli gratia,iecoris facultas ſanguificatrix non ſanguificat ſine calore,modo cum non contineat ſufficientem eius copiam in proprio organo, ideo communi quodam calore, vt reliquæ corporis partes eget ad operationes edendas, quæ virtus communis nihil aliud eſt,quam calor vitalis cordis præparans alias virtutes,cor autem ad proprias operationes edendas nulla aliena virtute eget, ſed ita ex ſe eſt vitæ principium,& fons caloris innati, vt & ſibimet, & alijs partibus viuificando ſatisfacere valeat. *Diſſenſus authoris à Galeno.*

Ex his igitur ſatis conſtat, tria hæc membra cor,cerebrum, & iecur,

*Cor, cerebrum, iecur, et teſtes non ſunt æqualia principia.*

iecur,quibus addantur teſtes, non eſſe paria principia in animali,verum cor inter hæc obtinere principatum,& eſſe ſedẽ animæ.

Sed vt rem adhuc magis particulatim tractemus, conſideremus os,carnem,neruum,ceteraſque partes ſimplices,quæ dũ nutriuntur,alimentum in propriam ſubſtantiam conuertunt mediãte propria,& innata ui, qua reguntur, non enim aliud eſt, quod nutrimentum deſiderat,& aliud, quod ipſum conficit, ſed quod nutriendum eſt ipſum ſibi & nutrimentum attrahit, & mutat, & cõcoquit,& adiungit,vt Gal.ait,lib.art.medic.cap.9. & 7.meth. cap.6.per proprias, & ſibi innatas vires,quibus regitur & gubernatur.

Sed hæc uis innata eſt propria partis facultas proprio calore operans,hic autem calor proprius ex ſe inſufficiens eſt,requiritq; vberiorem caloris copiam, quam accipit a corde,igitur ſtatim cũ calor partis proprius vnitur cum calore cordis,tunc facultas partis fit ſufficiens ad operandum proprias operationes,ergo illas exercet virtute propria actuata à calore cordis calorem ſufficientẽ ſubminiſtrantis, ergo quicquid pars agit, propria virtute agit,at propria hæc virtus eget robore,quod habet mediante cordis calore vitali.

*Neceſſaria eſt virtus oſſifica, vt os generetur.*

Igitur neceſſaria eſt facultas oſſifica ad hoc,vt os generet os,& carnifica,vt caro carnem,at quamuis os,& caro hanc facultatem ſibi ſimilem ſubſtantiam generandi contineant, non tamen eam in lucem promere valent ſine cordis auxilio,quia ad hoc, vt conſtituantur,& operentur, requirunt in ſui eſſentia intenſiores caloris gradus,quam pars poſſideat,& eos tandem requirit, qui energia vitales ſunt, quos nulla pars ex ſe habet, verum à corde tantum eos recipit.

Sine corde enim ſanguineorum animalium calor, vt Gal. ipſe ait,lib.de for.fœt.cap.3.perſimilis eſt caliditati,quæ in domibus æſtatis tempore ſentitur, ſed quemadmodum domus incenſo in ipſa igne calidior redditur,ita animalium corpus ex corde caliditatem maiorem acquirit,quam ea ſit, quæ in venis, & iecore inſita eſt.

Neceſſaria eſt igitur cordis caloris affluẽtia,vt os per proprias vires inſitas generet os, & caro carnẽ, & quod dictum eſt de hac facultate nutritoria,quæ propriam operationem mediante calo-

re

rẽ cordis abſoluit, cum proprius ſit inſufficiens, idem dicendum eſt de reliquis omnibus facultatibus, ſi quæ aliæ in ea parte repe-riantur.

Vt in ventriculo non ſolum reperitur facultas reparandi, quod diffluit per actionem caloris, ob conuerſionem alimenti in propriam ſubſtantiam, ſecundum quam vim pars ſuipſius conſeruationem tantum reſpicit, ſed etiam in eo reperitur facultas chylificandi, quæ eſt facultas ventriculi, ſecundum quam reſpicit totũ corpus, nec ſibi ſoli inſeruit, vt ait Gal. 7. meth. cap. 13 & ideo ſubit rationem membri principalis, cum producat opus vniuerſo corpori neceſſarium.

*Ventriculi virtus duplex ꝓpria, et cõmunis, & vtraq; eget auxilio cordis.*

Modo vtraque facultas operandi eſt ipſi ventriculo innata, vt aſſerit Gal. 3. de ſympt. cauſ. cap. 1. non tamen operatur, niſi ventriculus ſit pars viuens, ſed eſt pars viuens non mediante proprio calore, qui imbecillis eſt, ſed mediante calore cordis, qui innatũ auget, & viuificum reddit, ergo quicquid operatur ventriculus, virtuti principaliſſimę acceptum referendum eſt, & quod dictum eſt de ventriculo, aſſeratur etiam de cęteris partibus, ita vt nulla ſit pars viuens in animali, quæ calore cordis non egeat.

Cum igitur calor cordis, prout partium viuentis corporis calorem auget, & viuificat, ſit cauſa cõmunis, & remota functionis, vt proxima, & immediata eſt propria facultas partis cum ſuo calore imbecilli, ita hic auctus, & ad menſuram idoneam redditus efficit, vt os generet os, & caro carnem, & vt ventriculus nutriatur, & propterea etiam chylificet.

*Cauſa cõmunis, & remota, cauſa propria, et ꝓxima.*

Similiter cum idem calor cordis ſit cauſa remota nutritionis, & ſanguificationis, & vt iecur per propriam facultatem & calorẽ, vt per proximam cauſam nutriatur, & augeatur, & præter hæc etiam ſanguificet, ſecundum quam operationem iecur eſt pars princeps, ita calor cordis, proprium calorem partium augens in vniuerſo corpore obtinet dominium, & cor eius principium erit membrum principale inter omnes corporis partes, eſtque ſedes animæ.

Et ſi quis inſtaret quod ille eſt princeps, qui contribuit facultatem agendi, non qui contribuit inſtrumenta, ergo cor contribuens inſtrumenta, nempe calorem, non facultatem agendi, quã cordi inſitam ſtatuimus, nullo pacto princeps dici poterit.

*Inſtantia.*

*Solutio.* Huic facillime reſpondetur, quod cor contribuens calorem eo modo diſpoſitum, ac vitalibus qualitatibus inſignitum, non dicitur contribuere calorem tantum, ſed vnà cum eo etiam facultatẽ agendi, quia contribuit inſtrumentum, at inſtrumẽtum eſt illud, quo mouens mouet, ergo contribuit calorem a facultate motum, nec dicimus, quod facultas vitalis, quæ contribuitur, vnquam cor deſerat, permeetq; per ſpiritus, ac ità ad ſingulas partes peruadat, quia ſemper in corde reſidet.

Sed dum vtitur ſpiritibus, hos hac, àtq; illac proprio nomine perfluit, ac vti propria inſtrumentà diffundit, ergo hi quicquid agunt, virtute facultatis vitalis, a qua mouentur, agunt, & operantur, dat igitur cor calorem à facultate vitali motum, ergo non calorem tantum, cum calor ſecum ferat facultatem agentis ſuperioris. Merito igitur cor princeps membrorum, & ſedes animæ dici debet.

*Proportio inter cor cũ cæteris partibus, & inter cerebrũ, cũ ſenſorijs.* Hanc eandem proportionem mihi videntur ſeruare corporis partes comparatæ ad cor, quam ſeruant ſenſus omnes relati ad cerebrum, quod cõmunem vim ſingulis ſenſibus ſubminiſtrat, quod Gal. 7. de plac. cap. 6. confirmauit dicens, nam primum ſenſoriũ, qualecumq; id fuerit, ſingulis ſigillatim omnibus commune eſt, vt Plato etiam tradidit, cum in alijs quibuſdã libris, tũ in Theotheto, eo præcipuè loco vbi in hunc modum ſcribit:

So. Abſurdum quippe eſt, ò filij, vt multi in nobis, quaſi in ligneis equis, ſenſus inſideant, & non vnà quædam ſit ſpecies, & idea, ſiue anima, ſiue quomodocumque appelles, in quam omnes hi concurrant, qua vtique per hos tãquam per inſtrumentà, omnia, quæ ſenſibus repoſita ſunt, ſentiamus.

Igitur quemadmodum quælibet ſentiendi potentia in proprio ſenſorio reſidens non poteſt ſenſationem producere, niſi per communem quãdam virtutem a cerebro trãſmiſſam per ſpiritus, quos animales vocant, actuetur, ità à pari, nulla corporis viuentis pars vitalem operationem vmquam exercebit, niſi per vitalem virtutem à corde manantem adiutà viuificetur, multo minus exercebit cæteras operationes, quæ illis propriæ ſunt, vt ſenſatio, & motio cerebri, ſanguificatio hepatis, & chylificatio ventriculi, quæ nec ſunt in corde, nec ab eo dependent.

*Hallucinãtur recentiores.* Vt propterea hallucinẽtur illi, qui credunt ſenſus radicaliter

reperiri

reperiri in corde, manifeſtatiue vero in cerebro,nam eſſe radicaliter in aliquo,nihil aliud eſt, quàm eſſe in ſuis cauſis, in quibus aliquid dicitur reſidere in virtute, ſeu in potentia, quemadmodũ tempore hiemis roſa dicitur eſſe in radice ſuæ plantæ, a qua tandem oritur.

At cum a corde nihil aliud fluat, quàm calor vitalis,& a calore vitali vita, igitur calor,& uita ab eo fluxura antequam fluat, ibi in uirtute reperitur,& radicaliter ab eo pendet, non ſenſus,ſecus ubi calor uitalis,inde ſenſus fluerent,quod eſt falſum, ut in plantis fit conſpicuum,quæ uita præditæ ſunt,nec tamen ſentiunt.

Igitur ſenſus valde diſtantes a calore vitali, non poſſunt radicaliter reperiri in corde.

Quare tutius eſt vt dicamus, vitam cerebri, & manifeſtatiue, & formaliter eſſe in cerebro, ita radicaliter, & in potentia reperiri in corde, quia fluit ab eo, ſenſus autem radicaliter, & in potentia reperiuntur in cerebro, quia fluunt ab eo manifeſtatiuè, & formaliter in proprijs ſenſorijs, vt viſus in oculo, auditus in aure. *Dilucidatio problematis.*

Sic itaque corporis noſtri partes continent proprias & innatas vires, ſiue communes, vt nutritiuam, qua vnaquæque pars ſibi ſimilem ſubſtantiam reſarcit, ſiue proprias, quæ vel principales ſunt, vt ſanguificatrix in hepate, ſenſitiua, & motiua in cerebro, & procreatrix in teſtibus, ſiue non principales, vt oſſifica in oſſe, carnifica in carne, neruifica in neruo. *Viriũ innatarum, & aduentitiarũ diſtributio.*

Attamen vt ſenſus ad ſui abſolutionẽ requirunt virtutẽ quandam communem a cerebro defluxam, ita quælibet facultas communiſſimam ſupra ſe facultatem viuificantem expoſtulat, & eſt ſpiritus vitalis, vt eſt inſtrumentum facultatis vitalis, quæ in corde reſidet, ideo per propriam quidem facultatem cerebrum ſenſum & motum, hepar ſanguinem, ventriculus chylum abſoluit, ſimiliter caro generat carnem, & os generat os, attamen quælibet pars ita operatur, quatenus vitam habet. Nam ſine vita nulla harum quicquam proficere poteſt, quare ſi ope vitæ proprias functiones exercent,& hæ pendent a corde, ergo ope cordis omnis actio perficitur.

Maxima igitur eſt cordis officij dignitas, & præſtantia, vt exclamauit Galen. ſeptimo Met. cap. 13. quæ nedum ægrotantibus, *Cordis dignitas qualis, et quanta.*

ſed & beneualentibus maximè neceſſaria eſt, cum omnis inde eorum & operatio, & quod maius momentum habet, eſſe, & conſeruari dependeat.

*Conuenientia facultatũ in vnũ, & differẽtia earundem in operatione*

Conueniunt igitur iſtæ omnes facultates, quod operantur auxilio, & ope vitæ; differunt tamen quod aliæ ſunt inſitæ, aliæ aduentitiæ, aliæ principales, aliæ non, & principalium aliæ magis, aliæ minus.

Facultatum enim, quæ in animalibus reperiuntur, aliæ ſunt inſitæ, vt vitalis in corde, animalis in cerebro, naturalis in hepate, procreatrix in teſtibus, chylifica in ventriculo, ſpirituifica in pulmonibus, oſſifica in oſſe, carnifica in carne, & ſic de ſingulis huius generis.

Aliæ ſunt aduentitiæ, & ſunt, quæ à corde, hepate, cerebro, & teſtibus, omnes per proprios ſpiritus, vel quomodolibet ſingulis corporis partibus communicantur.

*Facultatũ principalitas qualis ſit.*

Quarum omnium aliæ ſunt principales, aliæ non principales, principalium aliæ ſunt ſimpliciter principales, vt vitalis, cui ſoli conuenit hæc dignitas, aliæ ſecundum quid, quarum adhuc aliæ ſunt magis, aliæ minus principales.

Nam vitali excepta principaliores ſunt animalis, naturalis, & procreatrix, quæ dicuntur principales, quia gubernant corpus; nec ſibi ſoli inſeruiunt, verum reſpiciunt vltra partem, in qua ſunt.

At quia inſeruiunt ſuperiori, vt cordi, & ab eo depẽdent, ideo cadunt ab illo ſimpliciſſimo principalitatis gradu, in quo conſtituta eſt vitalis, ſunt tamen altioris gradus, quam chylifica, quæ ventriculo, & ſpirituifica, quę pulmonibus ineſt, quoniam animalis, naturalis, & procreatrix reſpiciunt vniuerſum corpus, chylifica vero ſoli hepati materiam alimentalem ſubminiſtrat, & ſpirituifica, quæ pulmonibus ineſt, ſoli cordi materiam ſpiritus vitalis ſuppeditat, adhuc inferior eſt facultas renum, lienis, & vtriuſque veſicæ, quoniam licet reſpiciant vltra partem propriam in qua ſunt, vt Galen. ait 7. Meth. cap. 13. tamen non materiebus vtilibus, & alimentalibus, ſed excrementitijs tantum deſtinatæ ſunt.

PRIN-

## PRINCIPALITATIS SIGNIFICATIO *diſtinguitur, ac quænam cordi ſuper reliqua membra competit, explanatur. Caput Vigeſimum ſecundum.*

SEd animaduertendũ eſt, quod principalitas in præſenti poteſt eſſe duplex, vel enim penes vnde principiũ motus exiſtit, vt ait Ariſt. 2. de gen. an. cap. 4. & Gal. 2. de pla. cap. 3. & 4. & ita principalitas attinet ad cauſam efficientem, illud igitur quod penes hoc erit principale, erit illud, a quo vt ab efficiente principali cætera oriuntur, in qua conſideratione virtus vitalis cordis obtinet principatum, eſt enim illa, à qua omnes in corpore viuente facultates dependent. *Principalitatis differentia.*

Vel principalitas attenditur penes illud, cuius gratia cætera fiũt, vt Ariſt. ait 2. phyſ. t. 31. & Gal. lib. de cauſ. procatart. cap. 1. & ita illud, quod hoc modo erit principale, erit etiam vltimus finis, in cuius gratiam cætera diriguntur, in qua ſignificatione, virtus vitalis, quæ in corde reſidet, non obtinet principatum, ſed illa tantum, quæ reſidet in toto corpore, cum vitalis facultas cordis ordinetur in gratiam illius, quæ in toto corpore reperitur. *Qua principalitate virtus vitalis ſit principalis.*

Ad quod reſpiciens Gal. 1. in Hipp. de rat. vict. ac. t. 44. dixit ob eandem ſane facultatem ſaniedimus, & bibimus, aliaque omnia vitæ munia exequimur, propter hanc eandem etiam ægrotãtes ad cibos, potuſque procedimus, idem 9. meth. cap. 13. confirmans ait, vita ipſa nihil prius in animantis corpore reperiri, propterea quod nec ſanos eſſe citra vitam licet, virtus ergo omnium prima cuſtodienda hominibus eſt.

Igitur in genere cauſæ finalis principatum obtinet in viuente virtus vitalis, vt eſt facultas toti viuenti communis, quia cæteræ omnes facultates ordinantur ad eam, corpus enim viuens habet cor vt viuat, non autem econtra viuit vt cor habeat, vt inſinuauit Ariſt. 1. de part. anim. cap. 5.

Sunt poſtea in vita animalium nobiliores, & ignobiliores vitæ gradus, quemadmodũ eſt ſenſitiua, & intellectiua, quæ omnium nobiliſſima eſt, ſed nos non conſideramus nunc gradus vitæ, qui ſunt magis animi, ſed qui ſunt magis corporis, in qua conſidera- *Gradus vitæ animalium.*

tione,omnia ordinantur ad vitam ſimpliciter, & vniuerſim ſumptam,vt ad finem vltimum.

Eſt igitur facultas vitalis vt toti viuenti competit in hoc genere principalitatis omnium principaliſſima,at in genere cauſæ efficientis virtus vitalis,vt eſt in corde, eſt omniū principaliſſima, de qua principalitate nos loquimur, ideo merito in corde eius ſubiecto erit membrorum principatus,& ſedes animæ.

*Virtutes inſitę partibus quæ.* Inſitæ autem non principales ſunt oſſifica in oſſe, carnifica in carne,ita vt facultas, quæ carnem in corde generat, & carnem in hepate producit, ſit inſita nō principalis, non ſecus, ac membranifica in membrana,& neruifica in neruo, & ſic de ſingulis iſtius ordinis, quæ ideo non principales dicuntur, quia reſpiciunt ſolū regimen illius partis,cuius ſunt.

*Conuenientia facultatum in ſubiecto.* Omnes tamen iſtæ facultates coincidunt in idem ſubiecto,ſed diuerſimode,quoniam cor continet facultatem inſitam principalem ſimpliciter,vt vitalem,continet etiam non principalem inſitam,qua proprijs viribus gubernatur,vt carnificam,continet aduentitias principales non ſimpliciter, dum vim ſentiendi a cerebro,& a iecore ſaltem alimentalem materiam ſuſcipit.

Cerebrum autem, & iecur contiuent, vt cæterę partes influxā principalem ſimpliciter,vt vitalem a corde,continent ſimiliter alterum ab altero influxam, vt iecur a cerebro vim ſentiendi recipit,cerebrum vero ſaltem materiam alimentalem a iecore mutuatur,continent ſimiliter non principales inſitas, quibus,vt dictum eſt,quælibet pars propria,& innata vi gubernatur,idem de cæteris dicendum eſt.

*Cor antecedere cæteras partes in ratione dominij.* Quibus ita conſtitutis patet cor vti ſubiectum principaliſſimę facultatis,vitalis nempe,eſſe principem regemque membrorum, & ſedem animę, cerebrum vero eſſe quidem principium ſenſus & motus,vt etiam hepar ſanguinis,& teſtes procreationis, nō tamē in eodem gradu principalitatis cum corde incedere, quia vnumquodque cognoſcit vitam a corde, ſine qua necoperantur, nec ſunt,niſi æquiuocè,cor autem vim viuendi, & operandi recipit à nemine.

Ac mihi quidem frequenter ſubit in mentem,cerebrum,iecur, & teſtes principibus aſſimilandos eſſe,ita tamen,vt Regem ſupra ſe in ſolio reſidentem, a quo dependent, agnoſcant,& ideo illi in-

ſer-

ſeruiant,tale autem eſt cor,quod vt viuat,& operetur, nihil ab a-lijs,vt alia ab illo recipiunt, imò alia membra illi famulantur, vt cerebrum ob ſenſationem ſubminiſtratam,iecur autem ob mate-riam alimentalem communicatam, & ideo cor princeps, & rex principum merito appellari poteſt,quod tamen intelligitur, quo ad opus illud perarduum,& regium,quod exercet,viuificandi.

Quia non penes omnes eius operationes cor eſt rex, ſed inter-dum ſublimi illa ſede relicta,in qua magni cuiuſdam regis inſtar ſedere ſolet, alijs,quaſi illius oblitus,inſeruit,dum ſpirituum ani malium materiam cerebro præparat, modo fortitudinem, modo iracundiam,modo gaudium producit, tanquam princeps minus principalis,& iugiter priuati perſonam agens,& ſe ipſum tantum reſpiciens nutritur,& augetur. *Nõ penes oẽs actiones cor eſt Rex.* *Cor ſeruit alijs partibus.*

Non igitur dicendum eſt vt bonus Galenus noſter, in quo cer te non poſſum non maiorem ſolertiam deſiderare, dum ait 2. de plac.cap.4. quemadmodum enim motiones hæ diuerſæ ſunt, ita neutra alterius principio indiget, eſtq; cor procul dubio pulſuũ, cerebrum voluntarij motus fons,atque origo, neque vlla ratio af ferri poteſt,quæ omnium in animali functionum,atque operatio num vnum tantum eſſe initium cogat. *Galeni oſcitantia.*

Similiter ibid.cap.6. dum ait,ex his itaque ſenſui expoſitis ra-tiocinari facile poſſumus, neque cor ad pulſuum motum cerebri opera aliqua indigere,neque cerebrum cordis,vt & ſentire,& per voluntatem fungi officio ſuo animal queat.

Et 3.eiuſd.cap.6.dum ait,mox oſtendimus etiam neutrum al-teri ſupradictas facultates,neque cor cerebro,vel ſenſitiuam, vel motiuam agitationem,ſcilicet voluntaria,neque cerebrum cordi pulſuum incitatiuam ſuggerere,ſed viſcera hæc ſuæ vtcumque fa cultatis quendam quaſi fontem exiſtere.

Idem repetit alibi pluries vt ſupra dictum eſt, quod nullo pa-cto admittendum cenſeo, quia cerebrum per principium ſenſus & motus,quod continet,non cõcurrit ad pulſationem cordis mo liendam,neque ad ſpiritus vitales formandos,non enim per vim ſentiendi à cerebro acceptam cor fit principium vitæ.

Similiter licet motus muſculorũ inſeruiat reſpirationi, & per conſequens conſeruationi caloris eius, non tamen eo mediante cor pulſat, quia eius pulſatio non eſt motus voluntarius, nec eo

mediante generat ſpiritus vitales, vt de for. fęt. cap. 5. ait Gal. ſed id fit per motum naturaliter cordi inſitum, & ab eo valde diſtinctum, vt etiam ipſemet demonſtrat dum vulnerato cerebro, & ſenſu, & motu voluntario læſo adhuc arteriæ pulſant, at læſo corde ſimul cum ipſo omnes partes vitiantur, vt idem ait 5. de loc. aff. c. 1. ſupra allegato. Falſum eſt igitur quod neutra alterius principio egeat, & quod vnaquæque vti a proprio fonte pari independentia emanet.

*Obiectio.* At ſi quis aduerſus ea, quæ dicta ſunt, obijceret, non minus vitam cordis à cerebro pendere, quam cerebri vita à corde pēdeat, quia nō minus ad cordis lęſionem lęduntur cętera membra, quā lędantur ad læſionem cerebri, vt in forti apoplexia contingit, muſculis pectoris facultate animali omnino priuatis.

*Reſponſio.* Fatemur vtique & nos ita ſe habere hoc tamen diſcrimine, qđ læſo corde animal per ſe, & primo interit, at lęſo cerebro, nec per ſe, nec primo animal interit, ſed tantū interit quatenus lęſio cordi communicatur, muſculis pectoris (vt dictum eſt) facultate animali omnino priuatis, vnde reſpiratio omnino perit, ideo cor non recipit miniſterium ſibi debitum à ſuis famulis.

*Duplicis fauoris intellectus dominij, et famulationis.* Igitur dupliciter contingit aliquid alicui fauere, vel. n. ei fauet vt eius dominus, vel vt miniſter, & famulus: concedo cerebrū conferre ad vitam cordis, & per conſequens totius animalis, vt miniſter, & famulus, quia cerebrum functionis motiuæ principium, dilatando, & comprimendo pectus conſeruat calorem innatum cordis.

Idem etiam dicere debemus de ventriculi, iecoris, pulmonis, miniſterio, quia niſi per hæc membra ſubſtantia alimentalis ſubminiſtretur, vita deficeret, ſed de hoc miniſterio nos non loquimur, ſed de altero, vt de officio principis, a quo vt a cauſa principali, & primaria actiones proueniunt, quod attinet ad cor, vt ſupra ſatis manifeſtum eſſe puto.

Vbi Gal. 5. in 6. de morb. vulg. t. 1. conferens actiones animalis inter ſe, ait, atqui inter ipſius naturę facultates nonnullæ quidē primariæ ſunt, per quas ſcilicet animal in vita ſeruatur, ſummam nobilitatem ad optimam corporis vitam poſſidentes, optimam autem uitam omnino, quæ in ſanitate videlicet agitur, praua enim in morbis uita eſt; alteræ ſunt uero iſtarum mini-

ſtræ

ſtræ facultates, deinde aliarum aliæ.

Si igitur facultas vitalis primaria eſt, & eſt ea, per quam animal in vita ſeruatur, ergo cor eius ſubiectum erit princeps membrorũ, & ſedes animæ, merito igitur cæteræ partes corporis ei vti miniſtræ famulantur, ac ſi aliqua in parte famulari deſinant, cogitur cor pro ratione conſenſus, & defectus miniſterij pati detrimentum.

Ex quo patet quantum hallucinẽtur illi, qui aiunt, cor nõ poſſe conſtitui principalius, propterea quod det calorem vniuerſo corpori ſine quo vita conſiſtere nequit, quia tantum conſtitueretur (aiunt) principalius, ſi principaliſſimam animæ facultatẽ contineret, & ab eo ipſa emanaret. *Turpis error multorum oſtenditur.*

Cõfirmant, quia in aula regia non eſt principalior coquus, neque piſtor, aut architriclinus, qui cibum, potum, & epulas parãt, licet ſine his rex conſiſtere nequeat, ſed principalior eſt rex, a cuius imperio cæterorum miniſteria pendent.

Hi (inquam) grauiter hallucinãtur, quia in corde præter calorem alia quædam virtus principalis (vt ſupra dictum eſt,) reperitur & eſt illa principaliſſima animæ facultas, cuius inſtrumentum eſt calor, qui & ab ea dirigitur, & quam ipſi deſiderant, ad hoc, vt cor principalius conſtituatur. *Cor nõ dat calorẽ tantum, ſed vitalem, & vt inſtrumentum a facultate vitali motum.*

Sed eam non cognouerunt iſti alioquin doctiſſimi viri, nec potuerunt vnquam attingere facultatem vitalem, vt præparantem alias virtutes, quæ eſt prima cordis virtus, & vtitur calore vt eius inſtrumento.

Quare ſi calor non operaretur virtute illius principaliſſimæ facultatis, quam ipſi deſiderant, quia cor calorem tantum contineret, & opus eſſet opus ſolius caloris, non facultatis vitalis, quia vel otioſa eſſet, vel alibi reſideret, non in corde, vtique fateremur eorum ſententiam eſſe veram.

Verum nullibi reſidet prima facultas vitalis, præter quam in corde, atque ea vtitur calore pro inſtrumento ad elargiendam vitam, ideo quicquid calor operatur, illud totum eſt opus facultatis vitalis, cum calor operetur ope & auxilio facultatis vitalis, & propter illud opus tantum cor dignatur nomine ſublimiori, & prius omni principali, & regio.

Igitur ieiune ſatis poteſtates vitalis facultatis explicarunt illi,

qui

*Vita non pro ſale tātum, ſed pro dignio ri virtute data eſt.*

qui aiunt pro ſale animalibus datam facultatem vitalem fuiſſe, ne putreſcant, ac pernitiem interitus omnẽ retundant, & arceant, cum ne dum hoc tantum animalibus præſtet, verum calorem omniũ corporis partium viuificet, ac omnium functionum principium, & author fiat, quod ſane maximum omnium opus eſt.

## DRVSIANVM ERRASSE IN ASSIGNANDA connexione caloris influentis cum implantato pro cordis principalitate ſtabilienda demonſtratur.

### Caput Vigeſimum tertium.

*Solis cōparatio bona cum virtute uitali.*

PROXIME autem huic noſtræ opinioni videtur accedere Druſianus Monachus, dũ dicit, ſicut Sol eſt fons luminis, vitæ, generationis, & corruptionis, in vniuerſo per motum, & lumen, ita cor in animali eſt principium vitæ, & omnium facultatum per motum, & emiſſionem ſpiritus viuificantis totum.

Et quemadmodum non ſufficit lux Solis, ſed opus eſt illam recipi in alijs Planetis, ita ſpiritus cordis debet recipi in omnibus membris, & ita inducere nouam complexionem conuenientem ſingulo generi operationum, & capere peculiarem complexionẽ in ſingulis membris, quod deſumpſit ab Auicen.

*Primus error Druſiani.*

Defecit tamen & Auicẽnas, & quicumque eum in hoc ſequuti ſunt quam plurimum, nam ſpiritus cordis non inducit nouam complexionem in ſingula membra, quoniam cum ſpiritus vitalis cordis ſit extra cor virtus communiſſima, vt ex Ariſtotel. viſum eſt.

Ideo non poteſt ad plures, & diuerſas operationes immediatè, & particulariter producendas concurrere, hoc enim eſt opus diuerſarum, & particularium facultatum, ſed debet, vt Sol, ſeruare rationem agentis communiſſimi, vitali ſcilicet calefactione calefaciendo tantum, & ea mediante viuificare calorem particularium agentium.

Et dum dicit, quod capit particularem complexionem in ſingulis membris, & fit particularis, tunc ego quæro, à quo agẽte ad

eſſe

eſſe particulare contrahitur, vt capiat particularem complexionem in ſingulis membris, forſitan a facultate partis? at nihil abſurdius excogitari poteſt, quia ſi capit peculiarem a parte cõplexionem, igitur hic ſpiritus nihil plus præſtare poteſt, quam pars ipſa, a qua complexionem capit.

Imò ſi ad viuum vſque res reſecetur, fatendum eſt ſpiritũ multo minus, quam partem ipſam præſtaturum eſſe, quia quælibet virtus fortior eſt in agente, quam in recipiẽte eam, at virtus actiua per te tranſit a parte in ſpiritum, ergo fortior eſt in parte, quam in ipſo ſpiritu, ergo actio cognoſcenda eſt a parte potius, quàm a ſpiritu, quia pars eſt ſuperius mouens, & fortius.

Præterea ſi facultas vitalis reciperet peculiarem complexionẽ à parte, tunc facultas vitalis non ſeruaret rationem agentis, nec eſſet forma deducens calorem in partibus inſitum, & implantatum de potentia ad actum, ſed potius eſſet patiens, & ad materiam reduceretur.

Quam abſurditatem cupiens euitare Auerr. 4. coll. cap. 2. ac ſeruare in corde rationem cauſæ agentis, dixit quod hepar & cerebrum non habet calorem proprium, niſi quem partium conſimilium dicimus, ideo calor, cum quo vnumquodque (ait) membrum operatur artes ſuas, eſt de neceſſitate calor cordis, qui per arterias trãſmittitur eis, & iſte calor eſt in eis ſicut forma, & calor, qui eſt in membris eſt ſicut materia.

In quibus verbis licet Auerr. optime ſeruet in calore a corde influxo rationem agentis, decipitur tamen grauiter, nec minus ignorare videtur officia, & modum coniunctionis caloris influxi cum implantato, quam cæteri omnes ignorent, a cuius notitia vniuerſa iſtius problematis de principatu membrorum dependet. *Auerrois lapſus.*

Concedimus igitur nos, hepar, & cerebrum, & cæteras omnes corporis viuentis partes nullum alium calorem inſitum habere, niſi quem partium conſimilium vocamus, at dum ſubiũgit Auer. ergo calor, cum quo vnumquodque membrum operatur artes ſuas, eſt de neceſſitate calor cordis, inanem conſequentiam deducit.

*Calor conſimilium partiũ operatur virtute caloris cordis.*

Quia clarum eſt vnumquodque membrum operari artes ſuas virtute illius caloris, quem conſimilium partium vocamus, nam calor carnis generat carnem, & calor oſſis generat os, vt ſupra dictum

ctum eſt,ideo has virtutes ingenitas rectè vocauit Galen. lib. art. Med.cap.9.

Igitur calor partium conſimilium,vt eſt inſtrumentum formæ ignis,operatur operationes ignis, vt inſtrumentum formæ miſti, operatur operationes miſti, & vt inſtrumentum formæ corporis viuentis operatur operationes animę,& propterea Ariſt.in lib. de anim.non animam, vt perperam eum vocauerunt antiqui, at bene animæ inſtrumentum illum ſtatuit.

*Differentia calorũ.* Hoc tamen inter vtrumque calorem intereſt, quod calor corporum inanimatorum vbique eſt æquè potens,& validus, ad formæ operationes edendas,at calor corporum animatorum,quamuis validior, eſt tamen ad opera animæ (vel ſaltem animalium, niſi in plantis veritatem habeat) imbecillis,& impotens,ideo natura fontem caloris in corde conſtituit, quo calor conſimiliũ partium in animalibus vegetior fiat.

In his verò, quæ corde carent, ad eundem finem partem cordi proportionalem fabricata eſt, ideo calor iecoris proprius, vt pars conſimilis eſt ſanguificat, (quod fortaſſe mirũ videretur Auerroi) dum augmentum tale a calore cordis recipit,vt ſit vitalis.

*Calor conſimilium partiũ agit calore cordis.* Igitur membra operantur artes ſuas mediante proprio calore robur,augmentum,& perfectionem paſſo a calore cordis, non ſecus ac plantæ per proprium calorem generant fructus, Sol autem nihil aliud in planta præſtat quam quod calorem plantę potentiâ viuificum facit actu viuificum.

Igitur calor cordis, vel proportionalis facit calorem partium conſimilium actu viuificum, cum talis eſſet in potentia tantum. ideo calor cordis ſeruat rationem agentis, calor autem partiũ conſimilium reſpectu caloris cordis ſeruat rationem paſſi, at reſpectu operationis, non minus ſeruat rationem agentis, quia operatur vt inſtrumentum animæ,ideo eſt efficiens, quare os generat os,& caro carnem, per earum innatas vires, & pars principalis ſupra quamcumque ſimplicem poſita exercet operationes principes, *Quid ignotũ fuerit Ariſtoteli* ideo hepar propria virtute ſanguificat. & cerebrum propria virtute ſenſationem,& motionem proficit, quod ignotum fuit Ariſtoteli, & his qui eum ſecuti ſunt.

Quod niſi ſit opus partis conſimilis,cuius quæſo erit?& ſi quis dicat cum Peripateticis, & præcipuè cum Auerr. qui mirificè Peripateticam

ripateticam diſciplinam coluit, quod ſit opus ſpiritus vitalis, tūc ego quæro, qua ratione hic ſpiritus vitalis in hepate generat ſanguinem, & in cerebro ſpiritum ſenſitiuum, & motiuum, non autem vtrumque in vtroque, cum ſit vbique idem ſpiritus vitalis?

Profectò differentia, & diuerſitas operationis editæ circa idē ſubiectum non poteſt pendere niſi a diuerſitate agentis, quæ cum non reperiatur in vitali ſpiritu, qui virtus communiſſima, & vniformis eſt, ac eodem modo vbique ſemper ſe habens, & in vitali calefactione conſiſtit, nec vllo pacto particularem complexionē capere poteſt, vt ſupra oſtēſum eſt, at bene reperiatur in partibus corporis, quæ per earum innatas vires ſibi ſimilem ſubſtantiam generant.

*Hepatis actio cerebri actio, cordis actio quales ſint & à Galeno ignorata.*

Igitur illę ſunt agentes, ac hepatis actio ſtatuēda eſt generatio ſanguinis, & cerebri pariter ſenſus, & motus, cordis vero actio erit vitalis calefactio cuiuslibet partis viuentis corporis, quæ calorem potentia tantum vitalem ante cordis actionē continebant.

Quod optime cognoſcere debebat Galenus, poſtquam lib. de for. fęt. cap. 3. & alibi frequenter ſtatuit, cor eſſe originem, & fontem caloris perennem, ac ab eo confluere ad vniuerſas corporis partes, vt ignis, qui in domo poſitus eam vniuerſam alioquin tepentem calefacit, ac calefaciendo viuificat, qua actione mediante ſingulæ partes propria munia exercent, quod nihil aliud eſt quam cor principem, & regem membrorum in viuente conſtituere.

*Quid per caloris cōtractionē ſit intelligendum.*

Igitur ſi per illam contractionem caloris vitalis, qui à corde cō fluit, Auicen. & eius ſectatores intelligant nouam caloris particularem complexionem adeptam in parte, ad quam confluit, & penetrat, in qua cum ſufficienter permanſerit, ibi adipiſcatur complexionem particularem, & propriam, ita vt in cerebro complexionem acquirat, qua diſponitur ad receptionem virtutum ſenſus, & motus, idem cōtingat in hepate, & teſtibus, toto (vt aiunt) cęlo aberrant, ob rationes ſuperius adductas, quas iterum ex parte repetere non grauabor.

Igitur ſi calor cordis comparatus ad implantatum cæterarum partium habet (vt ipſi fateri videntur) rationem formæ, non ſibi conſtarent, aſſerentes contrahi, & permutari ab eo, ac nouam complexionem acquirere, dum cum eo coniungitur.

Sed

Sed ſi per illam contractionem, ac nouam complexionem acquiſitam nihil aliud (vt cenſeo) intelligerent, niſi receptionem caloris per modum recipientis, quia exempli gratia, ſi lumen recipitur in vitro, non ita fulget vt in cryſtallo, adhuc magis micat in adamante, & cęleſtibus corporibus, quæ differentia oritur à modo recipientis, tunc aſſentimur eorum dictis, quòd omne acceptum per modum recipientis recipiatur.

*Receptum per modū recipientis recipitur.*

Quod licet ita ſit, non tamen ob hoc aſſerere poſſumus calorē, vel aliam virtutem in diuerſa ſubſtantia per eorum modum receptam poſſe diuerſas genere operationes producere, ita vt diuerſitas modi recipiendi eius ſit cauſa (vt in propoſito noſtro) quòd cordis calor receptus in carne generet carnem, in oſſe vero os, & in neruo neruum.

Quia vt lumen receptum per modum recipientis non variat naturam & ſpeciem, ſed tantum accidentariam quandam mutationem, modumque agendi ſecundum magis & minus, ita effectus eius productus debet eſſe idē, ſola differentia modi ſeruata.

Sic itaque calor cordis in varias partes receptus, in hac quidē parte intēſius, in illa vero remiſſius recipietur, & eius effectus gradui illi reſpondebit, atque vt calor naturam non permutauit, ſic nec effectus ab ea natura degenerare poterit, vt calor hic quidem carnem, illic vero os generet.

Cum igitur differentia effectus non oriatur à modo caloris recepti, ſequitur aliud quęrendum eſſe agens, quod nihil aliud erit, quam proprius cuiuſcunque partis calor per proprias, & innatas vires.

*Obiectio.*

Et ſi quis aduerſus ea, quæ dicta ſunt obijceret, quòd idem calor calefacit, emollit, indurat, rarefacit, congregat, diſgregat, ergo ab eodem agente varia, & contraria etiam operari poſſunt, & proinde poterit calor cordis in viuente producere carnem, os, & neruum, prout in diuerſam materiam agere contigerit.

*Reſponſio.*

Huic difficultati reſpondendum eſt, quod aliud eſt quærere an ab eodem agente plures operationes produci poſſint, cui ſupra c. 2. reſponſum eſt, dum ex Ariſt. & Gal. authoritate demonſtrauimus, ex numero operationum neceſſario colligi debere numerum facultatum.

Et aliud eſt quærere, an cor poſſit per ſpiritum vitalem ab ipſo manan-

manantem eſſe author ſenſus & motus, ſimiliter an poſſit producere ſanguinem, & quãcunque partem ſimilarem, vt carnem, os, neruum, vt ei Auerroes, Ariſtot. authoritate fictus imponit dicens, calorem, cum quo vnumquodque membrum operatur artes ſuas, eſſe de neceſſitate calorem cordis.

Vnde poſſumus conſiderare calorem dupliciter, vel vt ſimplex qualitas, ac agens principale eſt, vel vt inſtrumentum eſt animæ, ſi primo modo conſideretur, tunc calor in viuente & calefacit, cõgregat, diſgregat, indurat, dũ fęces exiccat, humores adurit, eoſq; vertit in naturam humoris melancholici, & excrementa vertit in calculos, ſimiliter habet uim eliquandi, ideo eliquat, dum adipem, & teneras carnes conſumit, atque diſſoluit, vt in febribus ardentibus, & colliquatiuis. *Caloris duplex conſideratio abſoluta.*

Si vero calor cordis conſideretur, vt vitalis eſt, & inſtrumentum formæ, tunc hic calor ſimiliter bifariam accipi poteſt, vel.n. conſideratur, vt eſt in corde, & tunc cum ſit inſtrumentum formæ viuificantis, nutrientis, augentis, poteſt vtique & calefactionem, & nutritionem, & augmentationem operari, & ita producere ſubſtantiam viuentem, vt carnem, neruum, ligamentum, & cęteras ſubſtantias, quæ cor integrant, iſtæ enim ab anima mediante calore, vt eius inſtrumento, fiunt in ipſo cordis corpore. *Caloris in corde duplex conſideratio.*

At ſi calor cordis conſideretur extra cor, & vt diffuſus per vniuerſas corporis partes, hic nihil aliud operatur quam calefactionem vitalem, non autem generationem ſubſtãtiæ, quæ eſt operatio requirens formam operantem, nec ſufficit calor tantum, qui eſt purum accidens, qui licet ſit in ſpiritu, ille tamen eſt eius vehiculum, non principale agens ad operandum concurrens.

Et ſi quis diceret hunc calorem eſſe inſtrumentum facultatis vitalis, & ideo eſſe operans virtute facultatis animæ, concedimus & nos ita ſe habere, ideo, vt inſtrumentum facultatis vitalis vitã operatur extra cor, quòd non præſtaret niſi ab anima dirigeretur.

At quod per illum, vt ſimplex qualitas eſt ſeiuncta a forma generante, poſſit generare ſubſtantiam, vt ſpiritus animalis, qui generantur à ſolo corpore cerebri, vel ſanguinem qui a ſola iecoris carne producitur, vel os, & carnem, quæ ab oſſe, & carne generantur, hoc nullo pacto aſſerere audendum eſt. *Spiritus animalis generatur in corpore cerebri.*

Igitur cor extra ſe nihil aliud operatur niſi vitalem calefactionem,

*Cor extra ſe nihil operatur pter vitalẽ calefactionem.* nem, per illam enim tanquam per inſtrumentum facultatis vitalis calefaciendo viuificat totum corpus viuens, non ſecus ac ſol ſuo calore vniuerſum viuentium genus fouet, & recreat calefaciẽdo plantas,& animalia,ac ſua virtute promouens,atque perficiẽs omnium viuentium procreationem.

*Sol per ſe non producit plantas viuentes.* Quod licet ita ſit, non propterea ſol producit plantas viuentes,eorumque fructus perficit, animaliaq; procreat per ſe ſolus ſine ſemine prolifico, quicquid ſit de his,quæ ex putri materia naſcuntur,ac ſine ſemine procreantur,quod nũc,vt ab inſtituto noſtro alienum,perquirere non intendimus,ideo ſol viuentium calorem innatum roborat,& auget tantum,hoc autem opere peracto, poſtea vnumquodque viuens ſibi ſimile generat,ac propria virtute procreat,atque producit.

*Sol proxime non generat hominem.* Vt igitur non eſt ſol,qui proxime generat hominem, ſed tantũ viuificando calorem innatum hominis mediante homine proxime generante generat hominem,ita a corde emanat vitalis calefactio, quæ calorem ſingularum partium auget tantum, illæ vero per proprium calorem auctum proprias operationes producunt, & hac ratione cerebrum exercet ſenſum & motum per ſpiritus animales proprijs & innatis viribus genitos, & iecur generat ſanguinem, teſtes vero ſemen.

Similiter ventriculus hoc modo chylificat, ac tandem vnaquęque corporis viuentis pars ſuas ipſas operationes producit.

Requiritur igitur forma carnis ad hoc,vt generetur caro, & requiritur caro hepatis ad hoc,vt generetur sãguis,& caro ſeu ſubſtantia cerebri ad hoc,vt generetur ſpiritus animalis,per quẽ ſenſus & motus abſoluitur.

*Calor cordis extra cor non generat.* Quare iam cõſtare arbitror,calorem cordis non poſſe extra cor generare carnem,os,membranam, vinculum, tendinem,neruum cartilaginem,aut aliam corporis partem,quæ in viuente animali reperitur, vt arbitratus eſt Auerroes, aſſerens calorem, cum quo vnumquodque membrum operatur artes ſuas,eſſe de neceſſitate calorem cordis.

*Alius error Druſiani.* Defecit præterea Druſianus deſtruens innatas vires aliarum partium,dum inſequens Auicennam ſtatuit ſpiritum cordis inducere nouam complexionem in ſingulis membris, qua mediante vnumquodq; membrum operatur, quia ſic nullum membrũ ope-

raretur

rāretur, per proprias, & innatas vires, ſed per vim cordis contractam.

Præterea calor influens comparatus ad calorem implantatum concurreret paſſiuè, quòd ſimiliter eſt falſum, vt ipſi etiam fatentur, dum aiunt ipſum ſe habere vt forma, implantatum vero, vt materia.

Ideo facultas vitalis eſt virtus actiua, quæ actiuitas perpetuo in eo ſeruari debet, ſiue comparetur ad calorem implantatum, quem de potētia deducit ad actum, ſiue comparetur ad ipſas operationes, quas omnes in corde ipſo, vt earum cauſa particularis producit.

Facultates autem quæ in cæteris corporis partibus reperiuntur, ſunt actiuæ tātum computatæ ad ipſarum operationes, vt ſanguificatrix ad ſanguificationē, & chylificatrix ad chylificationē, at comparatæ ad facultatem vitalem a corde manantem, omnes ſunt virtutes paſſiuæ, quia omnes patiuntur augmentum, & perfectionem a calore cordis, quòd a facultate vitali dirigitur.

Defecit tādem Druſianus dum accipit, quod in corde ſit principium omnis ſpiritus, non.n. cor eſt principium omnis ſpiritus, ſed principalis ſpiritus tantum, præterea dato ꝙ illud eſſet verū, vt placuit Ariſtoteli, tamen non minus eſſet ignotum, quam ꝙ in corde ſit principium omnium actionum, non magis igitur debet haberi pro dato, quam pro quæſito. *Vltimus error Druſiani.*

## PERPERAM DEMONSTRASSE GALENVM *primam originem facultatum in corde non eſſe, oſtenditur. Caput Vigeſimum quartum.*

SED reliquum eſt modo, vt multis in pauca coniectis perpendamus illam Galeni demonſtrationem, quam 2. de plac.cap.6. affert, ad probandam primam originem facultatum cerebri in corde non eſſe, ac eam in hunc modum conficit.

Si principio in animalium diſſectionibus diligenter explorauerimus, quot, & quæ ſint ea, quæ cerebrum cordi coniungunt, *Perpenditur ratio Galeni.*

( ſunt autem arteriæ carotides, venæ iugulares, & nerui his adnexi ) palam fiet, an cerebrum, & iecur ſint diſtincta principia, an alterum ab altero pendeat.

*Corporis partium coniũctio duplex.*

Verum obiter animaduertendum eſt, dupliciter poſſe coniungi aliquam particulam cum altera, vel enim coniungitur quo ad ductus, vel quo ad influxus, vt elicitur a Gal. 2. de cauſ. pulſ. cap. 12.

Quo ad ductus hæc tria principia cor, cerebrum & iecur coniunguntur ad inuicem, quia nerui, arteriæ, & venæ, omni ex parte in omnem deducuntur, addamus & teſtes.

*Coniunctio per influxũ duplex.*

Similiter coniunguntur quo ad influxum, qui eſt duplex, vel naturalis, vel præter naturam, vt ibid. habet Galen. quo ad influxum naturalem cor iungitur cerebro, dum per neruos cor ſpiritualiter affectum ſentit, vt ab infeſtis ſe tueatur, ac vt mandata rationis perficere valeat, ſimiliter cerebrum iungitur cordi dum per arterias vitales ſpiritus cerebro tranſmittuntur.

Altera ex parte cor cerebro, & cerebrum cordi viciſſim præter naturam coniunguntur, dum alterum alterius præſertim per communicata vaſa læſionis particeps fieri poteſt.

*Obſeruatio coniunctionum.*

Exploratis igitur his, quæ cerebrum cordi coniungunt, & ſingulatim his ſectis, non omnes iunctim, obſeruandum eſt, quid animali accidat, & dicit ſingulatim, ne forte id, quod ex neruorum ſectione ſequitur, attribuatur ſectioni arteriarum, vel venarum, quia ſi ſectis omnibus vaſis ſimul animal fieret mutum, poſſet quis ſuſpicari, illud non ſequi ob ſectionem neruorum, ſed vel arteriarum, vel venarum, at ſi ſectis neruis tantum, videmus animal tantummodo mutum reddi, & ſectis arterijs tantum, non fieri mutum, ſed tantum amitti pulſationem in ſuperiori arteriarum parte, tunc ſine dubio concludemus, neruos tantum, & per conſequens cerebrum inſeruire voci, atque arterias tantum, & per conſequens cor inſeruire pulſationi, at ſatis conſtat neruis ſiue colliſis, ſiue ſectis, aut laqueo ĩterceptis animal fieri mutum tantum, arterijs autem ſectis pulſationem tantum perdi, ergo ſequitur vocem facultatis animalis operationem pendere per neruos à cerebro, pulſationem vero vitalem operationem per arterias pendere à corde tantum, non à cerebro, venis autem ſectis nullum neque in pulſu, neque in voce detrimentum ſequi,

ergo

ergo diſtincta ſunt operationum principia, vt ex illis ita ſenſui ex poſitis ratiocinari facile poſſimus, neque cor ad pulſuum motum egere cerebro, neque cerebrum ad ſenſum, & motum voluntariũ egere corde.

Sic igitur argumentatur Galen. in quo diſcurſu mihi multa cã ſtiganda vidẽtur, quod vt liquido conſtet, videamus primum, an cerebrum aliquo pacto egeat corde, & cor aliquo pacto egeat cerebro, at iam demonſtratum eſt cerebrum egere corde ad vitam, ad quam in ratione principij cor neque cerebro, neque alia parte eget, ſed tantum in ratione miniſterij, & famulationis, ergo non eſt verum, quod vt cor ad pulſus motum non eget cerebro, ita cerebrum ad ſenſum, & motum voluntarium non egere corde, & ita aduerſus Galeni collectam concluſionem ſtrenue (vt arbitror) ſupra argumentati ſumus. *Praua Galeni argumentatio.*

Sed quia ad ſtabiliendam veritatem hoc non ſufficit, ſed etiã ſoluenda ſunt argumenta, quibus hęc ipſe probat, ideo videamus vbi fallacia conſiſtat.

Dico igitur, dum Gal. probat cor ad propriam functionem nõ egere cerebro, ſecat neruos, vt inde ſeparetur cor a cerebro, quia licet cor iungatur cerebro per multa vaſa, tamen non recipit à cerebro virtutem niſi per neruos, & ait, cor enim ad propriam motionem cerebro non egere, vel inde perſpicuum eſt, quod ſi antedictæ venę, arteriæ, & nerui, laqueis intercipiantur, nihilominus tamen adhuc cor ipſum pulſat, quod eſt ſignum euidens pulſationem pendere a corde, nõ autem a cerebro, & bene argumẽtatur.

Ideo dum vult videre, an cerebrum egeat corde ad ſenſum & motum celebrandum, debet inſequi eandem methodum, ac ſeparare cerebrum a corde, & ita ſecare arterias, per quas ſolas cerebrum recipit virtutem a corde, at ipſe ſecat ſimiliter neruos, dicens, quin etiam cerebri facultatum primam originem non eſſe in corde, cognoſcere ex eo licet, quod cum ijdem nerui, vel præciduntur, vel laqueis comprimũtur, mutum animal tãtum redditur. *Error Galeni.*

Ideo corrumpit methodũ, nec in hoc bene argumentatur, quia dum ſecans neruos, videt illam partem, cui neruus inſeritur, motu priuari, ex hoc colligit neruum ſectum, & per conſequens cerebrum eius principium, eſſe principium ſenſus & motus volũtarij, non autem colligit cor non conuenire ad ſenſum & motum. *Galeni corruptio methodi arguendi.*

Quia dicam ego per integras arterias diffundi a corde virtutē ad cerebrum, ope cuius cerebrum fiat principiū ſenſus & motus, vt re ipſa fit, dum vita cerebro cōmunicatur a corde per arterias.

*Galeni ratio vi caret.*

Ideo Galeni ratio necunde vim accipit, niſi ex falſo ſuppoſito, ſcilicet ab hoc, quod cum diſtinxerit principia, concludit, ergo ſi principia ſunt diſtincta, motus, & ſenſus pendens à cerebro non poterit pendere à corde, at falſum eſt, quod ipſe ſupponit, quia nō ſūt principia diſtincta, ſed ſubordinata, quãtū attinet ad vitã.

Bene ſunt diſtincta, nec ſubordinata quantū ad pulſationē, & iracundiã, & quantum ad cęteras cordis operationes dēpta vitali.

*Clarius demonſtratur error Galeni.*

Præterea ad clariorē intelligentiã Galenus proponit in capite ſui diſcurſus vniuerſalem illam venandam dicens, videndum eſt neutrumne alteri, an alterum alteri facultatem aliquã impertiat, ideo Gal. quærit vniuerſaliter de omnibus facultatibus, quæ ſunt in corde, ideo etſi cor quaſdam facultates contineat, quarum merito non magis eſt princeps, quam cerebrum, vt eſt facultas pulſatilis, & iraſcibilis, & reliquæ iſtius ordinis, reſpectu quarum non magis cor eſt princeps in animali quam ſit cerebrum producens ſenſum & motum.

Tamen cor aliã quandã vim, ſiue facultatē continet, merito cuius in animali ſit princeps virtutū cerebri, iecoris, & totius corporis, hæc autem eſt vitalis, a qua facultates totius corporis depēdēt.

Ideo dum Gal. quærit neutrūne alteri, an alterū alteri facultatē aliquã impertiat, debebat aduertere, quid contingat de vitali, & ita coactus fuiſſet ſtatuere, cor impertiri cerebro, iecori, & vniuerſo corpori vitã, per quã quęlibet pars operatur, quod ſtatui nō pōt de cerebro, iecore, & reliquis corporis partibus, quod reſpectu cordis rōnem principij habeãt, ſed quãtū attinet ad cerebrū, & iecur iuuant cor in rōne miniſterij, & famulationis (vt dictū eſt) tantū.

*Quæſitum Galeni de omni, reſoluit de aliquo.*

Verum Gal. propoſitum quæſitum de omnibus cordis facultatibus, & vniuerſaliter, vel reſoluit de quibuſdam tantum, vt de ſola pulſifica, cuius ſolius meminit, vel male reſoluit, quorum vtrumque damnandum eſt, quia cōcedo pulſum ita fieri a corde, vt non a cerebro; & ſenſum, & motum ita fieri a cerebro, vt non a corde, vt cor eſt principium pulſationis.

At vt cor eſt principium vitæ, vtique ſenſus, & motus fit a cerebro, ſed ope, & auxilio cordis, quia quælibet pars in tantū ope-

ratur in quantum viuit, viuit autem à corde, ergo ſenſus, & motus in tantum exercetur a cerebro, in quantum cerebrum recipit a corde vitam,& facultatem exercendi illos, quod conſtituit cor principem membrorum, & ſedem animæ.

Conſtat igitur læſis neruis vocalibus male Galenum colligiſſe ex permanentia reſpirationis locutionem non pendere à corde, quia poteſt immediatè pendere à cerebro, mediatè vero etiam a corde.

Neque mirum videri debet,quod ſectis neruis vocalibus vox tollatur, reſpiratio autem maneat,quia cum quælibet functio expoſcat in animali partem aliquam,per quam tamquam per proximum organum celebretur, ideo quid mirum ſi ablata ea parte, per quam proximè functio celebratur, tollitur ipſa functio? nam cum vox per neruos vocales celebretur, igitur neruis vocalibus læſis, neceſſario vocem lædi neceſſe eſt, reſpiratio autem nequaquam, quia ipſa per illos neruos nō celebratur, ſed per alios,quibus nulla læſio, aut affectus communicatus fuit.

*Hallucinatio Gal.*

Perperam igitur credidit Gal. probando vocē pendere à neruis vocalibus, & per conſequens a cerebro, a quo originem ducunt nerui, ſatis ſuperque ſe demonſtraſſe, nullam aliā voci poſſe conuenire cauſam, quaſi neſciat in rerum generatione dari eſſentialem ordinem cauſarum ſubordinatarum,quarum altera deficiente effectus neceſſario fruſtratur.

Concedimus igitur vocem oriri à neruis vocalibus, & per conſequens a cerebro virtutum motiuarum proximo principio depēdere,& hæc eſt cauſa vocis proxima, adhuc muſculi immediatius concurrant, at datur modo alia ſuperior cauſa, quæ etiam vt ſuperior maiorem cauſæ rationem obtinet, magis enim mouet primus motor, quam ſecundus, vt habetur in Phyſicis. Igitur ablata hac ſuperiori cauſa,vocem perire neceſſe eſt,hęc autem eſt virtus vitalis.

*Proportio cerebri ad ſēſoria, & cordis ad cæteras viuentis facultates.*

Simili penitus argumentandi modo nos quoque poſſemus demonſtrare hominem non pendere à Sole,quia ſine homine nō generatur homo, vel demonſtrare poſſemus aduerſus ea,quę euidentiſſima ſunt,ſenſationem non pendere a cerebro, quia ablatis oculis, vel auribus, nec videmus, nec audimus.

Igitur quotieſcumque in cauſis eſſentialiter ſubordinatis ali-

qua earum tollitur, licet ea omniũ poſtrema ſit, nihilominus neceſſario tollitur effectus, ideo ſine homine Sol non generat hominem, & ſine potentia propria videndi, quæ cryſtallino humori hæret, virtus communis a cerebro, prolapſa viſionem producere non poteſt, ideo ſectis neruis vocalibus, qui voci inſeruient deferendo facultatem communem a cerebro, vox perit; quæ non minus periret vnà cum cæteris omnibus functionibus, ſi deficeret in corde virtus vitalis.

Non igitur inficiendum eſt, hanc virtutẽ, quæ perit per ſectionem neruorum, non pendere a corde, vt a communi omnium virtutum promptuario, cuius actio præcipua & principalis eſt vita.

*Vitalẽ virtutem præparantem nunquã potuit exprimere Auerr.*

Quam actionem dum magnus Auerr. ſcrutaretur, numquam exprimere potuit, ideo dicebat 3. de part. anim. cap. 4. & 2. collig. cap. 9. vtinam ego ſcirem propriam actionem illius virtutis vitalis, quam ponit Galen. eſſe ſitam in corde, nam ſi daretur tertia virtus, daretur etiam de neceſſitate tertia actio, quæ neque erit vegetatio, neque ſenſus, neque motus.

Neque vir ille potuit vnquam attingere naturã actionis illius communiſſimæ, quæ viuificatio vocatur, a cæteris actionibus inferioribus diſtincta, vt ſupra oſtenſum eſt, & ideo 2. collig. cap. 9. dicebat, et ſi dixerint, quod iſta non det hepati niſi virtutẽ vitalem, dicemus quid eſt virtus vitalis, quę eſt in mẽbris? eſt ne aliá virtus, quam virtus nutritiua, aut ſenſitiua, & nec nomen vitæ intelligitur, niſi ſuper has duas, licet accidat, vt nomen vitæ attribuatur magis ſenſibili, & hoc eſt contrarium ei, quòd intelligitur ex verbis hominis, quem ſcis, nec aliud certificatum eſt ex iſtis virtutibus, niſi propter earum operationes, nec ſunt hic aliæ operationes, niſi iſtæ duæ, hoc eſt nutribilis, & ſenſibilis, hæc Auerr.

*Ignorantia operationis uitalis dederit Auerr. ad ignorãtiã virtutis.*

Qui cum ignorauerit operationem vitalem coactus fuit ignorare etiam vnà cum ea eius facultatem, quæ vitalis vocatur, ſed vt facultas vitalis non eſt nutritiua, ſenſitiua, intellectiua, & ſecundum locum volutarie motiua, ſed præparatiua illarum (vt rectè vocauit Auicennas) ita neque eius functio eſt nutritio, ſenſatio, intellectio, & motio, ſed viuificatio, vel cæterarum præparatio tantum, quæ actuat, & præparat cęteras, nam quæ vegetant, quia vitalis eorum calor proprius, vt perfectus perficitur per præpara-

tio-

tionem a calore viuifico, cuius fons, & origo eſt cor, ideo virtus vitalis cordis eſt cauſa communis omnium operationum, quod tantopere latuit Auerr.

Ideo ibid. repetit, & ſi dixerit, quòd iſte calor non det hepati niſi virtutem vitalem, dicemus quid eſt virtus vitalis, quæ eſt in membris? nec potuit vnquam reſpondere vna cum Ariſt. eſt principium viuendi, ſeu eſt actus corporis potentia vitalis, vel vt eſt in corde eſt actus, ſeu facultas animæ in corde reſidens viuenti potentiam viuendi tribuens vitæ animalium cauſa, vel cũ Auic. eſt virtus præparans alias virtutes, & ita apertè cognouiſſet eam vti virtutem diſtinctam a nutritiua, ſenſitiua, intellectiua, & motiua, quarum nulla poteſt vocari facultas animæ reſidens in corde, tribuens viuenti potentiam viuendi, ſed tantum facultas animæ per hanc actum recipiens.

Sed cauſa tãtæ cæcitatis fuit, quia Auerr. nimium fuerit Ariſt. addictus, nam Ariſt licet cognouerit actum vitalem eſſe communiſſimam animæ rationem, tamen in progreſſu non potuit eam a vegetatiua diſtinguere, quam ſi diſtinxiſſet, numquam ſolam vegetatiuam vocaſſet communiſſimam animæ rationem, & vitalẽ, modo vegetatiuam, modo nutritiuam, a quo ne latum quidẽ vnguem receſſit Auerr. ideo 3. de part. anim. cap. 4. dicebat, in viuentibus nõ dari aliquam actionem omnibus membris communem, niſi mutationem. *Cauſa cæcitatis Auerr. quæ fuerit.*

At fallitur, quia ſi nutritio eſt toti viuenti communis, & nutritio non ſtat ſine vita, ergo cum vbi eſt nutritio, ibi ſit & vita, ſequitur vitam pariter omnibus membris eſſe communem, non igitur ſola nutritio erit actio communis, verum Peripatetici aſſerũt, vitam, & nutritionem eſſe vnum, & idem, ideo ſatis proprijs eorum principijs congruit iſta aſſertio, ſcilicet quod ſola nutritio ſit actio omnibus membris communis.

Sed quia dictum eſt vitam in calore conſiſtere, ideo dubitatio inſurgit, quia ſi in calore vita conſiſteret, ergo quodlibet corpus calore prẹditum viueret, prẹſentibus enim in ſubiecto diſpoſitionibus forma ſtatim introducitur, quòd non videtur verũ, nam in lapide & ferro quomodolibet calefacto non introducitur anima. *Dubitatio*

Nec ſufficit, ſi quis dicat, ad vitam requiri determinatos caloris gradus, quia etiam cum maxima caloris latitudine ſtat vita,

non ſolum in tota viuentium latitudine, quorum innumeræ propemodum ſpecies ſub vegetabili, ſenſibili, & rationali genere comprehenſæ; verum etiam in quacumque ſpecie reperiuntur, igitur a quocumque ferè caloris gradu viuentia conſtitui poſſunt.

*Solutio.* Propterea dicamus, quod vti que anima in calore cōſiſtit, & calor eſt immediata, & ſola diſpoſitio ad animationem, non tamen quilibet calor, ſed ille tantum, qui eſt in ſpiritu viuifico, & eſt animæ inſtrumentum, ideo hic ab anima directus, & in proportionatam materiam agens generat animal.

## *FACVLTATEM VITALEM a naturali re, & eſsentia diſtinctam eſſe.*

### *Caput Vigeſimum quintum.*

EX his quæ ſupra demonſtrata ſunt facilè colligere poſſumus determinationem illius quæſtionis, quę tantopere mentem illuſtrium Philoſophorum, & Medicorum torſit, & eſt, an virtus vitalis, ad facultatem naturalem redigatur, vel potius ipſa per ſe ſeparata conſiſtat, ſitque facultas animæ a cæteris diſtincta.

*Platonis opinio de triplici animarum genere.* Et quoniam Plato arbitratus eſt, concupiſcibilem, iraſcibilem, & rationalem (has naturalem, vitalem, & animalem, facultates Medici vocant) eſſe tres animas natura, & ſubſtantia inter ſe diſtinctas, ideo quæſtio triplicem partem habere poteſt.

*Triplex quæſtionis ſenſus. Primus.* Primò enim quæri poteſt, an iraſcibilis, ſeu vitalis, (quæ ſubiecto vnum, & idem ſunt, ideo etiam nunc pro vno, & eodem ſupponantur, alias demonſtrauimus, quantum inter ſe differant) ita diſtinguantur a cæteris animabus, vt conſtituant diuerſum animatorum genus, quemadmodum vegetatiua plantarum, ſenſitiua brutorum, intellectiua vero rationalium genus conſtituit, & ita detur quartum animatorum genus iraſcibilium, ſeu vitalium diſtinctum a cæteris tribus generibus.

*Secundus quæſtionis ſenſus.* Vel ſecundo quæri poteſt, an eadem virtus vitalis, ſeu iraſcibilis, ita ſit tertium genus animæ a cæteris diſtinctum, quod licet non conſtituat particulare, & diſtinctum animatorum genus, con-

ſtituat

ſtituāt tamen in vnico indiuiduo particulare genus animæ, ſede, natura, ſubſtantia, facultatibus, & functionibus a cæteris diſtinctum, vt Plato arbitratus eſt, quod genus modo animæ partem, modo ſpeciem appellat, quem inſecutus eſt Galen. ſexto de plac. capit. 2.

Vel tertio quæri poteſt, ſi virtus iraſcibilis, ſeu vitalis neque conſtituat tertium animatorum, neque animarum genus, vt prima, & ſecunda quæſtio ambigit, quæri tamen poteſt an ipſa conſtituat tertiam animæ facultatem, vel potius ad aliquam earum reducatur, ſitque ſolo nomine, non autem re, & eſſentia a cæteris diſtincta. *Tertius q̃o nis ſenſus.*

Nam cum apud Medicos tres ſint generales animæ facultates in vnoquoq; indiuiduo humano, ſcilicet naturalis, vitalis, & animalis, ideo quæritur, an iſtæ facultates ſint realiter, & eſſentialiter inter ſe diſtinctæ, vt Medici ſtatuunt, an potius vitalis ad naturalem reducatur, vt Peripatetici arbitrati ſunt.

Pro reſolutione iſtarũ diſtributionũ ponenda eſt iſta cõcluſio, quod virtus vitalis, quomodocumque accipiatur, licet re, & eſſentia à cæteris facultatibus diſtincta ſit, non tamen vllo pacto poteſt aliquod animatorum genus conſtituere, & hoc quantum ad reſolutionem primæ quæſtionis, quia ſi virtus vitalis diſtinctam animatorum genus conſtitueret, daretur corpus viuens ſine vita, quia cætera viuentia, a quibus diſtingueretur, carerent virtute vitali, quod implicat contradictionem. *Concluſio pro reſolutione primæ q̃onis.*

Si enim vitalis ſepararetur à reliquis animæ ſpeciebus, ſiue ſit vegetatiua, ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua, vnaquæque haberet vitam ſine vitali virtute, & vita, at cum omnis anima ſit corporis actus vitalis, ſi aliqua illarum eſſet a vitali diſtincta, tunc illa eſſet, & non eſſet actus corporis vitalis, eſſet quidem, quia eſt anima, quæ eſt actus corporis vitalis, non eſſet autem, quia vitalis ab illis per datam hypotheſim diſtincta eſſet.

Non igitur poteſt vitalis diſtinctum genus animatorum conſtituere, cum cæteræ poſſint ab ea ſeparari.

Sed neque etiam ipſa virtus vitalis per ſe ſola cõſiſtere poteſt, quoniam nullum viuens inter mortales reperitur, vt 2. de anim. t. 14. & 3. eiuſd. t. 59. ait Ariſt. quod ſine nutritione ad minus conſiſtere poſſit, (& hinc fortaſſe propter earum naturalem cõnexio-

nem decepti Peripatetici vtramque naturam confuderunt) igitur ſaltem habebit virtutem vegetalem adnexam,& ita cõſtituetur genus plantarum,quod ſi etiam ſenſus accedet , conſtituetur genus animalium , ſi vero ratio & intelligentia acceſſerit, præſto erit homo.

Ideo licet re,& eſſentia uirtus vitalis ſeparetur à cæteris omnibus facultatibus animæ , nunquam tamen eſſe & ſubiecto ſeparabitur a vegetabili,& e conuerſo.

*Ratio probans vitã ſine nutritione conſiſtere.*

Quod autem viuens ſine nutritione conſiſtere nequeat patet , ſi conſideremus , quod nullum corpus animatum inter mortalia varijs atque diuerſis actionibus , ſibi pro vitæ conſeruatione neceſſarijs addictum,ut Gal.ait.2.de nat.facult cap.3.poteſt ea mole,& magnitudine in hanc lucem edi,qua prædictis actionibus ſatisfacere poſſit, ſiue ſit planta , quæ ex paruo quodam ſemine ab eius genitrice planta producitur,ſiue ſit animal,quod non minus ex parua ſeminis mole,quam etiam quod & in paruo, & anguſto conceptaculo coniectam procreari ſibi neceſſe ſit,ideo,vt propriç eius actiones neceſſariæ ad vitam perficiantur, ſagax, & prouida natura conſtituit,vt vnumquodque eorum mediante augmentatione debitam magnitudinem, ac corporis firmitatem nanciſceretur,hæc autem ſine nutritione, vt ibid.ait Gal. quæ ſit per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, fieri non poteſt, ergo ſine virtute nutritiua viuens conſiſtere nequit.

Præterea,ſed neque etiam poſt debitam,ac ſibi connaturalem molem acquiſitam,viuens ſine nutritione conſiſtere poteſt, quia continue a viuẽte corpore ob actionem caloris innati aliquid defluit,vt prima aph.15.& 12.meth.c.5.& in 1. Hipp.de rat.vict.t. 44.& 1.de tuen.val.cap.2.ait Gal.vt igitur debita eius magnitudo vna cũ vita ſeruetur , neceſſaria eſt deperditi inſtauratio, hæc autem nutritio eſt , igitur hac ratione etiam debita viuentis magnitudine data,adhuc neceſſaria eſt nutritio.

*Nutritio quæ ſit.*

Patet igitur quam ob cauſam vitalis facultas á nutritiua minime ſeparari poſſit,ideo vt viuens calore viuit,ita eodem calore viuifico,intercedente tamne facultate nutritiua,& augmentatiua, & nutritur,& augetur.

Præterea iraſcibilis data eſt animalibus,vt ratio eam adiutricem aduerſus concupiſcentiam haberet,vt Gal.ex ſententia Platonis

tonis 6.de plac.cap.2.retulit, modo ſi ira eſt acceſſoriū rationis, ergo neceſſe eſt vt in rationalibus reperiatur, & quibus animalibus ratio non ineſt, his ęſtimatiua rationis loco inſeruit; erit itaq; illis in adiumentum æſtimatiuæ iraſcibilis elargita, quæ pro reſolutione primæ quęſtionis, a nemine vnquam in dubium reuocatæ, dicta ſufficiant.

Quod autem ſecundo loco quæritur, ſcilicet an eadem virtus vitalis, ſeu iraſcibilis, ſit tertium genus animæ, ita vt anima diuidatur in tres partes, ſeu ſpecies, quarum vnaquæque proprio organo aſſignetur, & ſint inter ſe ſede, natura, ſubſtantia, facultatibus, & functionibus diſtinctæ, vt Plato credidit, hoc (inquam) ab Ariſt. primo de anima cap.7.reiectum eſt. *Reſolutio ſecundæ q̄ſtionis.*

Quia cum quodlibet indiuiduum ſit vnum, ergo eius anima ſi trina eſt, debet per aliquod copulari, & in vnum redigi, vel igitur illud copulans erit corpus, & hoc non, quia rectius eſt, quod corpus ſit vnum, quia eius anima eſt vna, quàm e conuerſo, anima.n. continet corpus, non corpus animam, & ideo ſeparata anima corpus marceſcit, igitur per animam illæ tres partes copulantur, & ita non tres illæ partes vnitæ, & per eam copulatæ, ſed illa vniens erit anima, quæ ſi non vna eſt, ſed plures ponantur eſſe, de ea ſimiliter quærendum erit, quodnam ſit vniens, & ſic in infinitū, quod eſt abſurdum. *Rationes Ariſt. contra Platonem.*

Præterea ſi diuerſæ animæ ſint in diuerſis, & diſtinctis mēbris, tunc quemadmodum tota anima totum corpus cōtinet, ita quælibet ſpecies, aut pars animæ partem determinatam continebit, at hoc eſt falſum, quia arduum eſt, & graue aſſignare quam partē corporis contineat intellectus.

Similiter ſi diuerſæ operationes animæ ſint in diuerſis partibus, tunc quælibet propriam cum corpore operationem habens, non contineret plures operationes ſimul iunctas, quod apparet eſſe, quia in vna, & eadem parte corporis reperitur nutritio, ſenſatio, & motus, nec omnes partes viderentur habere eandem ſpecie animam, quemadmodum videntur habere plātæ, & animalia anuloſa, quæ reciſa viuunt.

His igitur tribus rationibus Ariſtot. opinionem Platonis de triplici animarum genere ſedibus, & natura diſtincto in indiuiduo humano euertit, & nos alibi rationes, quibus idem

Plato

Plato aſtruere nitebatur, facillime diſſoluimus.

*Reſolutio tertiæ quæſtionis.* Altera autem quæſtio maximum faceſſit negotium, ſcilicet an in eodem indiuiduo virtus vitalis diuerſam animæ facultatem conſtituat, an vero ad aliquam aliarum facultatum reducatur, vt cum in Socrate detur virtus vitalis, naturalis, & animalis, quæritur an virtus vitalis ad aliquam iſtarum reducatur, & præcipuè ad naturalem, quemadmodum Peripatetici arbitrati ſunt, vel potius tertiam animæ facultatem, re, eſſentia, ſubiectoque diſtinctã, vt medici ſtatuunt, ipſa conſtituat.

Et hoc eſt illud, quod inter philoſophos, & medicos tantopere controuerſum eſt, non autem illud, de quo ſecunda quæſtio ambigit, ſcilicet an virtus vitalis diſtinctam animę ſpeciem conſtituat, vel ad illarum alterum reducatur, & ideo non poſſum ſatis mirari quorundam virorum alioquin doctorum oſcitantiam, qui trãſferunt quæſitum à facultatibus animæ ad earum ſpecies, illudq; idem & Auicen. & alios quæſiuiſſe, ac de eodem aduerſus Ariſt. terminaſſe tradunt; *Oſcitantia maxima.*

Cum non de ſpeciebus ãnimãrum, de quibus nullus vnquam inter Peripateticos dubitauit, ſed de ſolis eius facultatibus ſit cõcertatio inſtituta, quia Ariſt. arbitratus eſt virtutem vitalem nequaquam à naturali re & eſſentia diſtingui, & viuẽtiã viuere per calorem, quem vitalem vocat, ita tamen, vt nullam uim, quæ à naturali diuerſa ſit, contineat, & ideo definit animam per manſionem animæ nutritiuæ in calore.

Similiter enumerans animæ facultates vegetrãtricem, ſenſitricem, intellectricem, appetitricem, & ſecundum locum motricem, de vitali nullam mentionem fecit, eo quia ſub naturali eam comprehenſam intellexit, quam alibi nullo nominum diſcrimine modo vitalẽ, modo naturalem, modo altricem vocauit, & poſitã, atq; ablata vitali voluit naturalem ſimiliter poni, & auferri, ideo viuens tamdiu viuit, quamdiu nutritur, & alimento vtitur, atque vt vitalis, quæ in calore conſiſtit, in corde ſuam ſedem obtinet, ita & nutrix, quæ ab ea non differt, in eodem reſidere dicitur. Et ideo ex Ariſt. ſententia, cor eſt principium ſanguinis, & venarum.

*Reprobatio opinionis Ariſtotelis.* Quæ opinio reſolute accipienda non eſt, quia vt optime notat Gal. 5. de loc. aff. cap. 1. & Auicen. p. 1. d. 6. c. 4. quæ abinuicem ſe parari poſſunt, ita vt aliud interdum prorſus perierit, reliquo con-

ſtante,

ſtante, & illæſo, illa natura, & eſſentia diſtincta ſunt, at in oſſe, exempli gratia, & cartilagine ſenſus non reperitur, & in membro ſtupido, ſeu paralyſim patiente, neque ſenſus, neque motus reperitur, attamen viuit, quod autem viuat patet, quia non putreſcit quemadmodum membra mortua, fieri enim nequaquam poteſt, vt membrum aliquod vita deſtitutum, non quam primum putreſcat.

Conſpicua præterea eſt vita, quia cæteras operationes exercet, vt nutritionem, & augmentationem, quæ ſemper vitam ſubeſſe demonſtrant.

Quod autem Peripateticos ſtatuentes nutritionem eſſe vitam redarguit, illud eſt, quod ſi in puero per aliquod tempus nutritio ceſſaret, non tamen vita deficeret, cum ſatis conſtet, eam poſſe ſeruari ſub inferiori caloris gradu in ſene, ſi igitur ſeparantur, ergo non ſunt idem. *Ratio aduerſus Peripateticos.*

Quare illa virtus, quæ membra ſine ſenſu, & motu, & nutritione præſeruat a putredine, ac eorum calorem potentia viuificum actu viuificum facit, eſt virtus vitalis, quæ cum a relatis ſeparatur, ab illis differre conſtat.

Et hæc, vt ibid. ait Auicen. eſt quæ cum in membris recepta fuerit, præparat illa ad recipiendam virtutem ſenſus, & motus, & cæteras operationes, quæ a vita dependent, quia virtutes animales (ait ipſe) in ſpiritu quidem, & in membris non proueniunt, niſi poſtquam hæc vitalis prouenit virtus.

Idem aſſerit Gal. 5. de loc. aff. cap. 1. ſupra allegato; confirmatur, quia virtus vitalis eſt principium viuendi, at virtus vegetatiua eſt principium vegetandi, & virtus nutritiua eſt principiũ nutriendi, quæ omnes diſtinctæ ſunt, & ſimiliter virtus vitalis eſt virtus communiſſima, in ratione principij, & affectionis, at virtus vegetandi, ſeu nutriẽdi nullo modo eſt virtus communiſſima, ſed eſt particularis vis vegetans, & nutriens tantum. *Diſtinctio virtutum.*

Neque vegetatio, ſenſatio, intellectio, & motio poſſunt dici differentiæ eſſentiales vitæ, ita vt de illis per ſe, aut in primo, aut in ſecundo modo vita prædicetur, ſed ſunt differentiæ accidentales vitæ, & gradus viuentium tantum, ſcilicet, quatenus vnaquæq; vitæ accidit, ac cum ea nectitur, vt eſſe muſicum cum riſibilitate inſimul nectuntur in homine.

Omnes enim ſunt animæ facultates in viuente, differenter tamen, quia vitalis eſt facultas communiſſima, tum quia omnibus viuentibus ſemper ineſt, quod eſt eſſe communiſſimum in ratione affectionis, tum etiam quia cæteræ omnes facultates pendent ab ea, nam cęteræ nō adueniunt corpori, niſi vitalis antecedat, quod eſt eſſe communiſſimum in ratione principij.

Ex quo colligimus quantum errent illi, qui probare conantur virtutem vitalem non diſtingui a cæteris animæ facultatibus, & ideo ad naturalē (aiunt) reduci, dicētes anima eſt principium viuendi, ergo virtus vitalis, quæ eſt facultas animæ, viuendi principium erit, cum autem ipſius viuere plures ſint gradus, & differentiæ, vt nutriri, ſentire, intelligere, & moueri ſecundum locum, ergo virtus vitalis alicuius ſpeciei ſub illo genere cōprehenſæ principium quinetiam erit.

*Ratio deprauate allata.*

Aut igitur virtus vitalis nutritionis principium erit, aut ſenſationis, aut intellectionis, aut motionis, iam verò ſi nutritionis principium erit, vegetalis erit, ſi ſenſationis ſentiens, ſi intellectionis intellectiua, ſi verò motus, cum hæc a ſenſitiua, & intellectiua non diſtinguatur, cum motus ſecundum locum in animalibus appetitum, & cognitionem obiecti, propter quid ſit motus, neceſſario præſupponat, igitur vel vna, vel altera iſtarum erit, quamobrem (concludunt) virtus uitalis a reliquis animæ ſpeciebus re, & eſſentia diſtincta non eſt, ergo ad naturalem reducenda eſt.

*Multiplex error oſtēditur, & primo.*

Sed iſti multipliciter errant, & primo dum aiunt, cum anima principium uiuendi ſit, igitur uirtus uitalis, cum facultas animæ ſit, uiuendi principium erit, decipiuntur, quia tranſeunt ab anima ad facultatem animæ, non enim uerum eſt, quod aliquid ſit principium uiuendi, quia facultas animæ ſit, quia eſſe principium uiuendi non competit facultati animæ, niſi ut uitalis.

Non enim facultas animæ nutritiua eſt principium uiuendi, ſed nutriendi, & ſenſitiua ſentiendi, & intellectiua intelligendi, & motiua mouendi, ſed ſola uitalis uiuendi principium eſt, & anima per eam.

*Secundus error.*

Similiter dum ſubiungūt, cum autem ipſius uiuere plures ſint gradus, & differentiæ, decipiuntur intelligendo, ut ſub ipſo uiuere, tamquam ſub genere contineantur plures ſpecies uitę, de qui-

bus

bus genus vitȧ prædicetur in quid,quia vitȧ non prędicatur de illis in quid, vt de ſpeciebus, vt dicatur nutritio eſt vita, ſenſatio, intellectio, & motio ſimiliter eſt vita, quia hoc eſt falſum,cũ prædicetur tantum in obliquo, vt ſuprȧ oſtenſum eſt,dicendo,nutritio eſt cum vita, vel ȧ vita, vel non ſine vita conſiſtere poteſt; eſt enim vita præparans alias virtutes, igitur nutritio, ſenſatio,intellectio, & motio ſunt gradus, & differentiæ accidentales vitæ, non ſpecies.

Tandem dum concludunt ex datis ab ipſis,igitur vita,vel vna, vel altera illarum ſpecierum erit, ſimiliter decipiuntur, quiȧ debebant concludere, ergo vnaquæque iſtarum cum vitȧ eſſe, & ȧ uita dependere debet, non autem quod vita, uel una, uel alterȧ illarum eſſe debeat, neque tȧmdem concludere quod debeat eſſe naturalis. *Tertius error.*

Ideo pro ueritate cõcludendum eſt iſtȧs,quȧtuor operationes, nutritionem, ſenſationem, intellectionem, & motionem ſecundũ locum, quiȧ nectuntur cum uita,& ab eȧ dependent,ab eȧ etiȧm re, & eſſentia diſtingui, & conſtituere quȧtuor gradus uitæ, non ſpecies; conſtituit autem eos quȧtenus uita iungitur cum omnibus illis in eodem ſubiecto, nullȧ tamen eȧrum eſt uitȧ, ut male ipſi arbitrati ſunt.

## *COR MAGNVM CALIDIVS PARVO, & frigiditatem temperamenti, non autem cordis magnitudinem, vt male cenſuit Ariſtoteles, timiditatis cauſam in animalibus ſtatuendam eſſe demonſtratur. Caput Vigeſimum ſextum.*

NEC minus ex his, quæ ſupra habita ſunt, intelligere poſſumus, quanam ratione timidioribus ȧnimalibus cor maius a natura elargitũ fuerit; Ariſt. 3.de part.ȧnim.cap.4.aſſerit pauida eſſe animalia illȧ,quibus cor grandius, ȧudentiora autem, & fidentiora, quibus minus ineſt,aut mediocre.

Et rationem aſſignat,quoniȧm, quæ cor magnum hȧbent, calorem proportione corporis non habent, cum igitur frigidius cor

habeant,

habeant,ideo timidiora ſunt,& quod calorem proportione corporis non habeant, probat, quia in magno conceptaculo calor exoleſcit.

*Tria ex Ariſt. diſcurſu habentur. Et primo.* Ex hoc Ariſt. diſcurſu tria habemus,primum eſt,quod animalia timida cor magnum habent,& audentiora paruum.

*Secundo.* Secundum quod habetur eſt, quod magnum cor eſt minus calidum paruo, paruũ vero eſt calidius magno, ex quo patet Ariſt. loqui de intenſione caloris,ſecus ſi loqueretur de extẽſione eius, non eſſet verum,quò d magnum cor ſit minus calidum paruo,paruum vero calidius magno.

Similiter patet Ariſt. determinatam quandam caloris quantitatem in corde ſtatuiſſe,ſiue cor ſit magnum, ſiue paruum.

*Tertio.* Ideo ex hoc ſequitur tertium quod habetur, ſcilicet,vt cauſa timiditatis in animalibus ſit cordis magnitudo,audacię vero paruitas,quia magnitudinem ſequitur minor caliditas,paruitatem vero maior, ſi enim, exempli gratia, in corde ſint tres partes caloris,iſtę fortiores,quas ſequitur audacia,erunt in paruo corde,quã in magno, quia virtus vnita eſt fortior ſe ipſa diſperſa, ergo magnum cor habentia timidiora,paruum vero audentiora erunt.

*Primi problematis veritas.* De veritate primi problematis non eſſe dubitandum docet ſenſus ipſe,conſpicimus enim lepori,ceruo,muri,hyænę,aſino,pãtheræ, muſtelæ, ac reliquis ferè omnibus, quæ aperte timida ſunt, aut propter metum malefica, cor magnum per proportionem corporis a natura elargitum fuiſſe.

*Secũdi problematis ambiguitas.* At de veritate ſecũdi problematis, nempe quòd magnum cor ſit frigidius paruo,non iniuria dubitari poteſt propter Auerr. authoritatem 4. collig. c. 2. vbi ait,ideo animalia,quæ ſunt calida, & humida ſunt maioris cordis quam cętera.

Similiter Gal.lib.artis med.cap.33. ait,cordis caliditatem, & ſiccitatem,vel humiditatem efficere pulſus magnos,modo ſubinfero,pulſus magnus,qui attenditur penes longitudinem,latitudinem,& profunditatem,expoſcit arteriam, vt confirmat Gal. 2.de temper.cap.6.& 6.de vſu part. cap.7.ſecundum omnes dimenſiones magnam, & expoſcit etiam magnum os,a quo exoritur, huic autem debet proportionaliter reſpondere ſiniſter ventriculus cordis,cum quo os arteriæ iungitur,huic autem totum cor,in quo vẽtriculi ſiti ſunt.

Igitur

Igitur calor cordis expoſcit magnum pulſum, hic magnam arteriam, hæc magnum os, hoc magnum ventriculum, qui non poteſt in paruo corde reperiri, non enim paruo ſtipiti magni rami iunguntur, ergo nec paruo cordi magnus ventriculus, aut magnũ os, aut arteria magna adnectitur.

Sed magna arteria quo propior fit cordi, eo etiam maior conſpicitur, ex quo deduxit Gal. arterias a corde oriri, non igitur cor magnum erit minus calidum paruo.

Sed vt veritas dilucidior adhuc euadat, conſiderandum eſt, quod cum calor, cuius vis modo remiſſior, modo intenſior efficit animalia modo magis, modo minus audacia, ſit qualitas in ſubiecto exiſtentiam habens, ideo iſta qualitas propriæ naturæ conditionem ſeruans, dupliciter conſiderari poteſt. *Qualitas dupliciter conſiderari poteſt.*

Vel enim eſt virtus innata ſubiecto, cui hæret, tanquam paſſio à propria ſubiecti forma fluens, nec vllo pacto ab aliquo agente, extra ſubiectũ exiſtente pendens, inducitur, (ſeu mauis educitur.)

Vel e contra ab aliquo extra ſubiectum exiſtente generatur, extrinſecuſque accedit, nequaquã ab intrinſeco principio fluens, exempli gratia, calor ab igne receptus in lapidem, vel ferrum dicitur aduentitius, quoniam extrinſecus ab igne generatur in lapide, vel ferro, odor vero, & ſapor in pomo, aut calor in pruna dicitur congenitus, quia hæ ſunt qualitates proprio ſubiecto innatæ, cum nemo extrinſecus odorem, aut ſaporem in pomo, aut calorẽ in pruna induxerit, ſed ſingulæ ab eorum forma fluxerint, ſtatim enim cum pomum, aut pruna in rerum natura prodierunt, congenitæ eorum paſſiones eodem momento ſimul prodierunt.

Confirmatur autem iſta diſtinctio per Ariſt. 4. meteor. cap. 8. dicentem, exiccantur autem quæcũque ſunt aquea, aut aquæ ſpecies, aut aquam contineant, ſeu aduentitiam, ſeu natiuam, aduentitiam dico, qualis in lana, natiuam, vt quæ in lacte, idem confirmat in definitione putredinis, quod ſit deſtructio propriæ, & naturalis caliditatis, ab aliena caliditate. *Diſtinctio qualitatis confirmatur p̃ Ariſtotelem.*

Quem locum annuit Gal. 1. de temper. c. 5. dum ait, quin etiã Ariſt. quod aliquid ſuo & naturali, aut alieno, & acquiſititio calidum ſit, non eſſe idem indicauit, idem repetit 2. eiuſd. cap. 6. clarius 2. de diff. feb. cap. 9. & 1. de diffic. reſp. cap. 21. & 3. de ſimp. med. fac. cap. 2. & 4. eiuſd. c. 7. & 11. idem cognouit Hippoc. ideo *Eadem cõfirmatur per Gal.*

*Eadem cō firmatur per Hippocratem.*

dixit 1.aphor. 14.qui creſcunt plurimum habent caloris innati, diſtinguens illum ab aduentitio; ſic itaque de veritate iſtius diſtinctionis haud quaquam dubitandum eſt.

Hac igitur ſtante, videndum eſt cuius conditionis ſit calor in corde exiſtens, an ſcilicet extrinſecus ab aliquo agēte in ipſo corde producatur, vel cordi ipſi ſit per naturam innatus.

Profecto nihil magis vbique apud omnes philoſophos, & medicos ita notum, & euulgatum eſt, quam hoc, quod cor ſit origo, & fons caloris innati, & quod cordi a nullo confluat calor, ſed alijs partibus potius ab illo, vt Gal. de vſu pulſ. in capitis ſecundi calce ait, & ideo calor in corde exiſtens, non ſolum ſubiectiue, ſed etiam efficienter pendet ab eo, quod cum ita ſit, ergo non poteſt augeri ſubiectum, cum ſit cauſa caloris, & productiuū eius, quin etiam augeatur & calor, quia omnis virtus innata tātum creſcit, & imminuitur, quantum creſcit, & imminuitur eius ſubiectum, à quo dependet, ideo dicitur, vbi plus materię adeſt, ibi plus formę reperiri, & in maiori quanto maiorem virtutem, & in minori minorem eſſe, & cuilibet parti magnitudinis ſemper partem virtutis inſitæ proportionaliter reſpondere.

*Nulla magnitudo aut virtus in magnitudine potentiā habet infinitam.*

Et propterea Ariſt. huic innixus fundamēto in 8. phy. t.78. deduxit, quod nulla magnitudo, aut virtus in magnitudine potentiam habet infinitam, quia cum quælibet magnitudo ſit finita, & conſtet ex partibus finitis, igitur vel eius partes continent virtutem infinitam, vel finitam, quod contineant ēt virtutē infinitam, dici nequit, quia ſic pars cōtineret virtutem toti æqualem, quod dici non poteſt. totum enim ſemper eſt maius ſua parte; ſi autem continerent virtutem finitam, cum tota magnitudo componatur ex partibus finitam virtutem continentibus, ergo tota virtus erit finita, quia ex partibus finitis, & finitam virtutem continētibus, non conſtituitur infinitum.

Quæ Ariſt demonſtratio eo loci nititur huic veritati, quod virtutis innatæ quantitas reſpondet quantitati ſui ſubiecti, & ideo magna virtus in magno quanto, & tota in toto, & pars in eius ſubiecti parte conſiſtit.

*Calor cordis duplex augmētū ſuſtinet, & primū.*

Quod cum ita ſit, ergo calor cordis ad augmentum ſui ſubiecti augetur ſecundum extenſionem, & intenſionem, quod augeatur ſecundum extenſionem, oſtēditur; quia cum calor cordis pēdeat

à ſub-

à ſubſtantiá cordis, igitur quo magis extenditur ſubſtantiá cordis, eo magis extenditur calor ab ea emanáns, & in eo reſidens, tanta enim eſt albedo, quantus eſt paries albus.

Quod autem augeatur ſecundum intenſionem, ſimiliter oſtenditur, quia quemadmodum ſi ſupra partem viuētis corporis, quæ ſuppurationem puris molitur, vt Gal. ait. 5. de ſimpl. med. fac. c. 8. & 9. aſſidue quis adhibitas manus ſeruauerit, hic celerrimè ſuppurationem abſoluet, caloris ſubſtātiá, & quantitate potius, quā qualitate adaucta, ita in propoſito; ſi per poſſibile ſupra cordis corpus manus admouerentur, non minus calor eius ſubſtantia, & quantitate augeretur, quod ſi hoc, ergo multo vberiorē credēdum eſt redditum iri, ſi cor non a manibus adhibitis foueatur, ſed á propria cordis ſubſtantia congeminata, quæ inſitū calorem, cuius eſt author, duplicem reddit, hoc autem accidit, ſi cor maius factum fuerit, nam, vt ibid. ait Gal. a partibus circumambientib. penitiorū calor prohibetur, quin in halitus diſſoluatur, ac euolet. *Secūdum augmētū.*

Sed aduerſus ea, quæ dicta ſunt, poſſet quis inſtare, quia non videtur verum, quod ad augmentum ſubiecti qualitas eius intenſiue augeatur, non enim intenſior reperitur albedo in palmo niuis, quam reperiatur in centum, aut in centenis millibus palmorum, ſimiliter, vt Gal. ait, non magis, aut minus eſt flaua drachmá auri, quam ſint centum, ergo nō eſt verum, quod qualitas creſcat ad accretionem ſubiecti. *Obiectio.*

At facillime reſpondetur, quod ſufficit in propoſito noſtro, quod calor ad augmentum ſui ſubiecti non imminuatur, ſic. n. ablata erit Ariſt. conſequentia, quod calor in maiori quanto exoleſcat, cum igitur ex prædictis conſtet calorem cordis ob dependētiam naturalem, quam habet á ſubſtántia cordis, non poſſe nō augeri ſecundum extenſionem, ſecūdum intenſionem autem nullá ratio probat imminui, igitur hoc ſufficit ad infringendam Ariſt. conſequentiam, vbi deducit, quod in magno conceptaculo calor imminuatur. *Solutio.*

Præterea probatur, quod augeatur, quia qualitates ſunt in duplici differētia, nā alię ſunt actiuæ, & paſſiuæ, aliæ non, albū enim nō agit in nigrū, nec patitur ab eo, ideo nec alterū intenditur, aut imminuitur ab altero per actionem, ſed tantū poſſunt augeri quatenus ſubiecta earum permiſceri poſſunt, & ſic de cæteris huiuſ- *Qualitatū duplex differētia.*

modi qualitatibus dicendum eſt, quod non contingit de calido, & frigido, quarum potentior agit in alteram infirmiorem, ac eam in ſibi ſimilem naturam ob actiuitatem tranſmutat.

Quod cum ita ſit, igitur caliditas in corde exiſtens, fouebitur, atq; augebitur magis in magno conceptaculo, quam in paruo, nõ igitur ſtatuere poſſumus, quod in magno corde, quod eſt propriæ virtutis, & ſubiectum, & efficiens cauſa, ſit pauca virtus, atque in eo ob eius magnitudinem exoleſcat.

*Reſolutio difficultatis exẽplo ignis.* Sed dicendum eſt, quod calor maior ſit, quo cor maius eſt, vt clariſſimè patet exemplo ignis, qui, dum maior redditur, proportionaliter etiam eius calor creſcit, & parte aliqua eius ablata, pars etiam caloris ad portionem aufertur, & actio eius remittitur, ideo centeſima pars ſcintillæ ignis non calefacit.

*Exemplo odoris pomi.* Idẽ de odore in pomo dicẽdũ eſt, qui magnitudinẽ pomi ſequitur, quod ẽt clariſſime cõfirmat idẽ Ariſt. 4. mete. c. 2. vbi reddens rõnem, quare multũ minus putreſcat, quã paucum, ait, quo maius eſt ſubiectum, eo maior eſt eius innata vis putredini reſiſtens.

Sed de alijs qualitatibus, quæ extrinſecus ſubiecto adueniũt, nõ ita ſtatuendũ eſt, quia ſi quatuor gradus caloris ab aliquo agẽte in alienũ ſubiectũ producantur, nõ eſt dubiũ, qđ in paruo quanto erũt fortiores, in magno autẽ imbecilliores, quia vt magis vniũtur in paruo, ita diſperguntur in magno, nec intendi, aut multiplicari poſſunt, ad ſui ſubiecti multiplicationem, quia generationẽ non habent ab eo, cum extrinſecus ab alio agente aduenerint.

*Galenus fauet. propriæ ſentẽtiæ.* Ideo Gal. 1. de cauſ. morb. c. 2. huic ſententiæ fauens, dũ euentũ, qui pupillæ accidit, refert, ſic ait, ſi amplior reddita eſt pupilla, ſiue ex prima ſtatim formatione, ſiue poſtea cõtigerit, parũ commode tota animali ſpiritu impletur, quoniam, cum hic a cerebro delabatur, ideo minus ſpacium plus, maius vero minus implet.

At ſpiritus vitalis non aliũde in cor influit, vt animalis in oculũ, ſed eius fons, & origo cor ipsũ eſt, ideo quo maius erit, eo vberiorẽ ſpiritus quãtitatẽ producet, nec in maiore corde diſpergetur

*Ariſtot. error.* Non igitur bene aſſerit Ariſt. quod innatus calor in magno corde exoleſcat, ideo ruit ẽt altera eius conſequẽtia, quod animalia, quæ cor minus habent, audentiora ſint, quia ſi leoni cor minus eſſet, cũ in minori quanto ſit minor virtus, minoris caloris eſſet particeps, & minus audax eſſet, niſi quis in cordis ſubſtantia imminu

ta eandem ſeruari caloris magnitudinem pertinaciter cõtendat,e contra ſi cor adhuc maius haberet,calidior, & audẽtior eſſet propter relatas rationes,& ita dicendum eſt de cæteris animalibus.

Quod niſi ita eſſet,non poſſemus reddere rationem, quare natura tribuerit animalibus timidioribus cor magnum,nec natura ſaluari poſſet, quin improuida videretur, eligendo magnitudinẽ cordis,quæ,quòd eſſet cauſa timiditatis,eſſet etiam deterior paruitate,quia ſi cor paruum calidius, & audentius reddit animal, quare natura illud magnum fecit,eligendo,quod eſt deterius? *Deducens ratio ad inconueniens.*

Dicendum eſt igitur,quod natura cor magnum tribuit animalibus,propter melius,& præcipue,vt plus caloris participarent,eo tum extenſiue,tum intenſiue multiplicato, cui magnitudini nihilominus tantum frigiditas temperamenti obſtitit,vt euitare frigiditatem,& timiditatem mediante ea cordis magnitudine non potuerint. *Reſolutio.*

Vt igitur paruus ignis parum,& multus multum caloris continet,ita cor paruum minus,magnum vero magis calidum eſt,ideo animalia, quæ ratione temperamenti frigidi continent parum caloris , ſi cor paruum nacta fuiſſent viuere præ caloris inopia non poſſent,vt igitur maiori caloris copia fruantur, & viuant, natura cor magnum illis elargita eſt.

Sed vt clarior res fiat ſciendum eſt,naturam in generatione animalium frigidorum,quales ſunt lepores,& cerui, quorum ſubſtantia eſt melãcholica,& terreſtris,non potuiſſe ex eorum ſemine frigido,& terreſtri producere cor tanto calore præditum,vt vitæ ſufficeret,niſi vel aliam illis elementationem induceret, & ita tunc mutata leporis,& cerui natura,lepus nõ eſſet lepus,nec ceruus eſſet ceruus. *Explanatio naturę in animaliũ generatione.*

Vel aliam quantitatem , & menſuram præcipuarum partium excogitaret, & ita cor maius produceret, vt vitæ neceſſitati ſufficere poſſet,ideo ſagax,& prouida natura,quæ vnicuique ſemper, quod melius,& conducibilius eſt, contribuere conſueuit, poſterius conſilium eligendo ſine interitu naturæ eorum, voluit tantã frigiditatem corrigere,ac eis magnitudine, ac mole corporis cordis compenſare, ideo magnum cor dedit animalibus frigidioribus,& timidioribus,vt magnus ille focus,& ignis,quãuis ob ſubſtantiæ , in qua accenſus eſt, improbitatem, caloris remiſſi eſſet,

vniuerſum tamen corpus viuens ſat calefaceret.

*Exemplo lienis idē confirmatur.*

Quemadmodum idem omnino in lienis conſtructione mihi excogitaſſe videtur, cui plurimas arteriarum productiones indidit, vt earum calore, Galeno teſte. 4. de vſu part. cap. 15. frigiditati, & craſſitiei eius ex frigido, & craſſo, ac pene lutulēto humore, quo alitur, comparatæ, compenſaretur.

Cum igitur caliditas cordis ſit virtus ei innata, non pendens ab extrinſeco inducente, ſed a determinata menſura, & proportione quatuor primarum qualitatum inuicem permiſtarū, quatuor primas elementorum ſubſtantias conſequentium, ſit vt caliditas cordis neceſſario tanta ſit, quantum eſt corpus cordis, in quo eſt, & quo magis augetur, aut imminuitur cor, eo magis augetur, & imminuitur illa virtus in eo inſita, & innata generandi ſubſtantiam illam calidam, quæ ſpiritus influens vocatur.

*Caliditas cordis tanta eſt quātū eſt corpus cordis*

Ergo cor magnum multum illius ſubſtantiæ calidi innati continens multam etiam ſubſtantiam ſpiritus influentis generat, & per corpus viuens communicat, atque diffundit, & hac ratione audacia, & fortia, intrepidaque animalia reddit.

E contra vero cor paruum penitus contraria operans timida, frigida, & imbellia animalia reddit; quare ſi leporibus, & ceruis, quæ ſunt animalia timida, cor minus natura tribuiſſet, cum ſint melācholici, terreſtris, ac frigidi temperamenti, tunc cauſa frigiditatis eorum duplicata, tum ea, quæ ſecundum intenſionem, quia frigida, tum & ea, quę ſecundum extenſionem, quia parui cordis, ita exilis, & imbecillis caloris eſſent, vt ſat ad vitam eorum non ſufficeret, & ita viuere nequaquam poſſent.

Ideo iuſtiſſima natura, ſine interitu propriæ eorum naturæ, vt ſupra dictum eſt, paruitati caloris magnitudine cordis ſatisfecit, & ita aucto cordis corpore, in quo neceſſario eſt maior virtus, neceſſitate vitæ eorum ex æquo retribuit, non tamen, quin pauida eſſent, efficere potuit.

*Concluſio ꝑpetuæ veritatis pro reſolutione tertij problematis.*

Concludendum eſt igitur perpetuo, & ſimpliciter verum eſſe, cor maius plus caloris eſſe particeps, atque pro reſolutione tertij problematis colligo, male Ariſtotelem pro cauſa timiditatis in lepore, & ceruo, ac ſimilibus aſſignaſſe magnitudinem cordis, cum potius tota referenda ſit in eius frigiditatem, quæ vt fuit cauſa timiditatis, ita fuit etiam occaſio naturæ ad molem cordis augen-

dam

dam frigiditatis imminuendæ,& caliditatis augendæ gratia.

Quare dicamus magnitudinem cordis potius eſſe ſignum timiditatis, quam cauſa,ſignificat enim cordis temperamentum frigidum quod eſt cauſa timoris, propter quod natura auxit molem cordis.

Cæterum animaduertendum eſt, quod dum quæritur, quæ nã animalia ſint calidiora,& per conſequens audentiora,duplex poteſt fieri animalium inter ſe comparatio. *Multiplex comparatio animalium inter ſe proponitur.*

Vel enim comparantur animalia eiuſdem ſpeciei inter ſe, vel comparantur animalia diuerſarum ſpecierum inter ſe.

Si fiat comparatio inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, dicendum eſt quod quo maius erit corpus cordis eorum,eo audentius erit animal, & è contra, quoniam in maiori quanto ſtat maior virtus, & econtra, ideo in maiori corde erit maior calor, & maior copia ſpiritus inſiti,vnde maior etiam quantitas ſpiritus influentis emanabit,& contrarium accidet in minori. *Comparantur animalia eiuſdẽ ſpeciei inter ſe.*

At ſi fiat comparatio inter indiuidua diuerſarum ſpecierum, tunc quo maius erit eorum cor ſeruata proportione eorum, eo etiam illud indiuiduum erit frigidius, quod accidit propter vniuerſale,& ſpecificum temperamentum frigidum totius ſpeciei. *Comparãtur indiuidua diuerſarum ſpecierum inter ſe.*

Ideo animalia illius ſpeciei erunt timidiora,quam ſint animalia alterius ſpeciei,licet ſint maioris cordis, quia cum illa animalium ſpecies ſit ſua natura melãcholica,& terreſtris,& hac ratione frigidior, ideo natura magnitudine cordis eius caloris paruitati compenſando,effecit,vt calor amplior exuberet,qui tamẽ adeo excreſcere non potuit, vt ſpecies illa extra naturam timidiorum animalium exiliat, plus enim poteſt illorum temperamentum frigidum ad timorem inducendum, quam cordis magnitudo calorem augens ad excitandum animum.

Ea tamen indiuidua eiuſdem ſpeciei,quæ in numero timidorũ continentur,ſi comparentur inter ſe,tunc quo cor grandius habebunt,eo minus timida erunt, & propterea inter lepores illi erunt minus timidi,quibus cor erit grandius,quoniam magnitudo cordis eorum tantum frigiditatis, & timoris detrahit, quantum de paruitate detractum eſt,quia in maiori quanto eſt maior virtus. *Comparãtur indiuidua timidiora eiuſdem ſpeciei inter ſe.*

Idem aſſerendum eſt de eiſdem indiuiduis, quæ attinẽt ad ſpeciem animalium audentium, hæc enim ſi comparentur inter ſe,

quo cor grandius habebunt,eo audentiora erunt,& propterea in ter leones,qui cor grandius habent,illi audentiores ſunt.

Ad quod fortaſſe reſpexit Auicen.11.3.t. 1.cap.1.dum dixit, verum illa animalia,quæ ſunt plurimum audacia,ſunt etiam magni cordis.

*Ratio diuerſitatis aſſignatur*

Ratio autem huius diuerſitatis eſt,quia magnitudo cordis animalium diuerſarum ſpecierum, & magnitudo cordis animalium eiuſdem ſpeciei, pendet a diuerſis cauſis, nam magnitudo cordis animalium diuerſarum ſpecierum pendet a frigiditate temperamenti, vt à cauſa excitante naturam ad producendum cor maius gratia maioris caloris, cui temperamentum cum ſit natura frigidum per ſe ſatisfacere non potuit, igitur quod natura per temperamentum facere non potuit, eadem magnitudine corporis cordis compenſare ſtuduit,in maiori enim quanto ſtat maior virtus.

*Duplex cordis magnitudinis cauſa, & prima.*

*Secunda magnitudinis cordis cauſa.*

Secunda autem magnitudo cordis,quæ conſpicitur in animalibus eiuſdem ſpeciei,non pendet a frigiditate temperamenti,ſed a multitudine,& bonitate materiæ,ex qua cor conflatum eſt,quæ ſi ſit cum concinnitate,fortitudo,& robur virtutis formatricis, eã vti obedientem probe diſpoſuit,atq; formauit,vt Gal.ait lib.art. med. cap. 11. & ideo vtramque cauſam agentem, & patientem validam argumentatur.

Quod autem paruitas cordis frigiditatem eius teſtetur,aperte aſſerere videtur Gal.dum 3.in 6.de morb. vulg.t. 18. ait, cor ipſum exiguum ob virtutis vitalis potentiæ infirmitatem creari,cu ius potentiæ eſſentiam ingenitum calorem eſſe dicimus. Quando igitur imbecilla hęc alicui natura fuerit hoc eſt ab initio,a prima formatione,& cor,& pectus parua generari neceſſe eſt.

*Finis Libri Primi.*

HAN-

# HANNIBALIS ALBERTINII CAESENATIS

Medici, & Philoſophi,

## DE AFFECTIONIBVS CORDIS LIBER SECVNDVS.

## DE PALPITATIONE CORDIS.

### *ENVMERANTVR GENERA MORBORVM Cordis, & quare de omnibus non ſit inſtituta tractatio, demonſtratur. Caput Vigeſimum ſeptimum.*

SVPERIORI Libro omnes naturales cordis affectiones ſufficienter (ni fallor) ſumus complexi, reliquum eſt modo, vt de præternaturalibus agamus. Sunt autem, vt ſcribit Auicen. 11. 3. tract. 1. cap. 2. tot numero, quot alijs etiam particulis contingere poſſunt, quas optimè cognoſci poſſe tradunt doctiſſimi quidam ſuperioris ætatis Medici, cõſiderando diſpoſitiones corporum compoſitorum, ab Ariſt. 2. de part. anim. cap. 1. enumeratas, quæ ſunt tres.

*Morbi cordis tot sũt, quot alijs partib. contingere poſſunt.*

Primam aiunt eſſe, quæ fit ex qualitatibus primis, ſcilicet elementorum.

Secunda, quæ fit ex ipſis elementis, & eſt compoſitio partium ſimilarium.

Tertia eſt compoſitio ex partibus ſimilaribus, ſcilicet partium inſtru-

*Cõpoſitiones corporum ſunt tres. Prima. Secunda. Tertia.*

inſtrumentalium, quibus tandem addunt quartam totius corporis ex ipſis inſtrumentis.

Sed iſti grauiter errant, dum enumerant pro prima compoſitione illam, quæ fit ex primis quatuor qualitatibus, & pro ſecunda illam, quæ fit ex elementis, quia Ariſt. ibid. vtramque primam, & vnam tantum facit, dicens:

Cum itaque triplex ſit compoſitio prima ſtatui poteſt ea, quæ ex primordijs conficitur ijs, quæ nonnulli elementa appellãt, terram, dico, aquam, aerem, & ignem, ſed melius fortaſſe dici poteſt ex virtutibus confici elementorum.

Quod addit Ariſt. quia quatuor iſtæ ſubſtantiæ, quæ elementa vocantur, in miſtionem veniunt ope, & virtute quatuor primarũ qualitatum, quas hac ratione virtutes appellat.

Ex horum igitur miſtione oriuntur partes ſimilares, vt caro, os, & neruus, & eſt prima compoſitio.

Ex ſimilaribus verò ſimul coniunctis oriuntur diſſimilares, vt facies, manus, & caput, & eſt ſecunda compoſitio.

Ex diſſimilaribus verò, nempè ex membris, & ex facie, manu, & capite, oritur tertia compoſitio, quæ eſt totius corporis.

Huius triplicis compoſitionis frequenter meminit Gal. vt 5. de ſimpl. med. fac. cap. 1. & lib. de diff. morb. cap. 3. & 8. de plac. cap. 4. & 6. de tuen. val. cap. 9. nullibi igitur reperitur quarta compoſitio Ariſtoteli (vt ipſi putant) addenda, niſi ante omnes enumeretur ea, quæ fit ex materia & forma, vt turpiter fecit Auerr. ibid. Ariſtoteli aduerſans, qui vt conſeruaret numerum ternariũ compoſitionum ab Ariſt. propoſitum, cogitur labi ſecundo prætermittens eam compoſitionem, quæ oritur ex partibus diſſimilaribus, & eſt compoſitio totius corporis.

*Quarta cõpoſitio non datur.*

Sed hanc morborum diuiſionem omnibus numeris abſolutam adduxit Gal. lib. de occul. par. 3. cap. 3. in idem tamen recideret, ſi diceremus nos, triplicem eſſe morbum iuxta triplicem ſpeciem compoſitionis corporis.

*Alius cõpoſitionis modus.*

Quia vel compoſitio attinet ad partes eſſentiales compoſiti, & ita morbus attinet ad partes ſimilares, vt ad carnem, os, & neruũ, quæ componuntur tamquam ex partibus eſſentialibus ex virtutibus elementorum, & ita ex hoc oritur, primum genus morborũ in complexione, vel ſimplici, vel compoſita penes caliditatem

frigi-

frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem.

Vel compoſitio attinet ad partes integrales,& hæc eſt duplex, vel competit parti diſſimilari tantum, & oritur ſecundum genus morborum in compoſitione penes numerum,magnitudinem, figuram, & ſitum; vel compoſitio æqualiter competit ſimilaribus, & diſſimilaribus,& eſt vnitio, ſeu connexus omnium partium, & oritur tertium genus morborum in ſoluta vnitate.

Nobis vero,vt morborum nō ſolum ſumma genera,ſed & cordis, atque etiam cæterarum omnium partium inueniantur, alia methodo vtendum videtur, ac ea prorſus, quam docet Galen. 2. Meth.cap.3.& 4.vbi ait,cauſam actionis inueſtigãdam eſſe, eius enim læſio morbus eſt, vt, ſi lingua percipere deſinat, vel vitiosè percipiat ſapores,vt cognoſcamus quid ſit læſum in lingua debemus inueſtigare per quid actio guſtatus perficiatur, an per ruborem, an per lęuorem, an per calorem, an per frigiditatem, an per ſymmetria momnium primarum quattuor qualitatum. *Rectior Methodus inueniẽdi sũma morborum genera.*

Quia eo, per quod lingua guſtatum percipit vitiato, guſtum vitiari neceſſe eſt,qui nec reuocari poteſt, donec reuocetur illud, quod actionis cauſa erat, hoc autem nihil aliud eſt quã morbus, qui neceſſario ignoratur, dum ipſam facultatem ignorari contingit, quia ſi ipſum,quod ſecundum naturã eſt non noſti, nec,quod egreſſum a natura eſt, cognoſcere fas eſt. *Morbus quid.*

Si igitur vt ſtatutum eſt 2.Meth. cap. 6. & primo de tuen.val. cap.5.partes ſimilares per probã quatuor primarum qualitatum ſymmetriam actiones ſuas perficiunt, ergo lingua in calidi, frigidi, humidi, ac ſicci ſymmetria conſiſtens ſapores percipit, & receſſus ab huiuſmodi ſymmetria erit cauſa vitiati guſtatus, & per conſequens morbus linguę,ergo morborũ tot prima genera ſunt, quot ſunt prima genera facultatum, quia morbus nihil aliud eſt, quam facultas læſa,2.Meth.3. ſunt autem tot numero prima genera facultatum,quot ſunt numero prima genera actionum læſarum,quia relatiuorum idem eſt numerus. Cum igitur duo actionum prima genera reperiantur, aliud attinens ad motum alterationis, aliud ad motum localem,vt Gal.ait 2.Meth.cap.3.primo de natu.facul.cap.2.& primo de loc.aff.cap.3. ſequitur neceſſario duo prima genera facultatum tantum reperiri, nec plura, cũ ſint relatiua, ſi ſunt duo prima genera facultatum nō plura,ergo duo *Tot ſunt morborũ prima genera, quot prima genera facultatum.*

ſunt.

ſunt ſumma genera morborum,nõ plura; morbi enim nihil aliud ſunt, quã facultates læſæ quomodocumque lædantur,vt teſtatur Gal. primo de loc.aff.cap. 2.

Si igitur fruſtretur primum genus facultatum, quod ad alterationem attinet, & quod in parte ſimilari conſiſtit, oritur primum genus morborum in complexione penes caliditatem frigid. hu- mid. & ſicc.

Si vero fruſtretur ſecundum genus, quod ad motum localem attinet, & quod in parte organica, & diſſimilari conſiſtit, oritur ſecundum genus morborum in compoſitione penes numerum magnitudinem,figuram, & ſitum.

*Tertiũ genus facultatũ nondum creatum eſt.*

At tertium genus morborum quando generabitur? Quando fruſtrabitur tertia facultas.Quænam eſt hæc? Nõdum creata eſt. Non igitur datur tertium ſummum genus morborũ donec a Deo Opt.Max.producatur tertium genus facultatum,in quo poſt eius generationem læſio cadat.

*Soluta cõtinuitas ẽ morbus, ſed nõ ſummũ genus.*

At dicet quiſpiam, nonne ſoluta continuitas eſt morbus communis partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus? vtiq; ergo adeſt tertium genus morborum:libentius hæc agitarem,niſi pro homine ingenuo,vel videri, vel ſaltem in ſuſpicionem hominis contentioſi, & qui veterum receptiſſima placita euertere,vt quorundam mos fuit, contendat,facillimè haberi poſſem, at Medicæ rei candidati æqui bonique conſulant.

Dico igitur,quod ſi ſoluta continuitas eſt morbus ſimilarium partium,ergo actiones ſimilarium partium fiunt ab vnitione,non a ſymmetria quatuor primarum qualitatum,quod eſt falſum.

Si igitur actiones ſimilarium partium, non fiunt ab vnitione, ergo ſoluta continuitas etiamſi millies ſit alterata, nocere profecto actioni ſimilarium partium non poteſt, vt 2.Meth. cap.3. ait Galenus,nec eſt morbus, ſed eſt de numero eorum tantum, quæ partibus ſimilaribus temere accidunt.

At quæret quiſpiam, quid igitur erit ſoluta continuitas, forſitan non erit morbus? nemo vnquam ſane mentis hoc inficiabitur, at bene negatur, quod conſtituat tertium ſummum genus morborum, & quod poſſit eſſe morbus partium ſimilarium ob rationes adductas.

*Soluta continuitas eſt morbus partiũ inſtrumẽtalium.*

Igitur ſtatuamus eſſe morbum partium diſſimilarium tantum,

quæ

quæ vitium contrahunt in compoſitione penes numerum, mag. fig. ſitum,& connexionem.

Nec quiſquam miretur,quod ſolutio etiam in parte ſimilari fa ćta ſit morbus attinens ad partem diſſimilarem in corpore vno,& continuo, quia quælibet minima eius ſolutio non conſiderata in eo, vt in eius partibus, ſic enim competeret ei per accidens, quia quod competit alicui per partes, competit ei per accidens, vt aſſerit Ariſt 4. Phyſ. t. 32. ſed conſiderata in eo, vt in vno toto, & continuo, & inſectili, dicitur eius affectio per ſe ei competens, quod cum ſit totum corpus diſſimilare, dicitur etiam affectio corporis diſſimilaris.

Cum igitur cor ſit membrum ex quatuor elementis, vt cætera miſta conflatum, & per admiſtionem quatuor primarum qualitatum debitum temperamentum ſibi nactum ſit, & per debitam partium ſtructuram in numero, magnitudine, figura, ſitu, & connexione, orta ſit optima eius conſtitutio in compoſitione, hinc ſit, vt ſubire poſſit omnes morbos, attinentes tum ad complexionem,& ſimplicem,& compoſitam, & cum materia, & citra materiam, vt Auicen. ait. 11. 3. t. 1. cap. 2. ſaltem vt corpus animatum eſt, quia vt cor eſt, ac membrum principale, quidam arbitrati ſunt nullam læſionem per eſſentiã ſubire poſſe ſuperſtite animali. *Cor ſubire põt omnes morbos.*

At Galen. magis particulatim rem definiens aduerſus eos ait. 5. de loc. aff. cap. 2. cor proprio affectu laborare, vel ob ſimplicem intemperiem, ſiue æqualis fuerit, ſiue inæqualis, vel ob inflammationem, vel eryſipelas, ac intemperiem quidem, ſi ſit exigua, poſſe ſuperare, ob validiſſimas autem animal interire, non tamen ſubito.

Quod cum dictis Ariſtotelis etiam congruit, qui 2. de par. ani. cap. 2. ait, cor nullam grauem læſionem ſuſtinere poſſe, ideo Gal. ibid. ait, cor inflammationes, & eriſipelata incipientia ſuſtinere, verumtamen hæc antequam augeantur, neceſſe eſt animal corrumpi, quemadmodum etiam vulnerati in corde, vt ſecundo in primum prorrhe. t. 37. neceſſario moriuntur. *Cor null grauẽ læſionem ſuſtinere poteſt.*

Sed quicquid ſit de hoc, quod plenius infra diſquiretur, nos non de omnibus eius morbis agere ſtatuimus, verum cæteros imitati, quemadmodum agentes de naturalibus eius affectionibus, noluimus, niſi proprias, ac peculiares perſequi, relictis illis,

quas

quas cum cæteris partibus communes obtinet,ità de præternaturalibus agentes,ac eandem rationem ſeruantes, de proprijs tantum agemus,quæ affectiones licet conueniant in hoc, quod omnes attinent ad compoſitum,vt pars animata eſt.

*Affectiones cordis ſunt in duplici differentia.* Attamen ſunt in duplici differentiâ, nam aliæ magis ſunt animi,vt effręnis, & nimis concitata ira, ingens timor, puſillanimitas,profuſum gaudium,immenſa triſtitia,furioſa temeritas,& alię ſi quæ ſint.

Aliæ magis ſunt corporis, vt aſphexia, palpitatio, lypotimia, & ſyncope, ideò agentes de proprijs, quæ ad vitam,calorem naturalem ſpiritum inſitum, item de his, quæ ad pulſationem ſpectant prætermittemus illas,quæ magis ſunt animi, tanquam eas, quarum curatio proprie ad moralem Philoſophum attinet. *Animi affectiones attinēt ad moralem.*

Et dum verſabimur circa eas, quæ magis ſunt corporis, cogemur interdum tangere eas, quæ magis ſunt animi, vt de effręni ira,ingenti timore,profuſo gaudio, ac alijs huiuſmodi, quemadmodum dum verſabimur circa proprias cordis affectiones, cogemur ſimiliter tangere intemperantias, tumores, continuique ſolutiones.

Sed de his agetur non primario & per ſe,ſed ſecundario, & per accidens, quatenus cogimur agere de cauſis earum affectionum, quæ ad propoſitum noſtrum attinent.

Atque de morbis pulſationis præcipuè agendum eſt, nō quia ipſa ſit radix,& fundamentum cæterarum actionū cordis,vt quidam falſo opinati ſunt,ſed quia ipſa caloris cordis generationi,& conſeruationi maximè, & intimè inſeruit, dum bene, & ſecundum naturam fit, vice uerſa eius miniſterio quomodolibet fruſtrato, cæteræ cordis functiones læduntur, ideo ipſa pulſatio dicta eſt intima ancilla pro penetralibus cordis functionibus neceſſario obeundis perpetuo inſeruiens, cunctaque ei opportunâ probe adminiſtrans, cæteriſque eius nutuum ſatis obſcurorum conſcijs cunctas neceſſitates fideliter renūcians: hinc pulſatio,vt primo ad Glauc.cap.14.ait Gal. dicta eſt fidiſſimus præco diſpoſitionum cordis. *Errorū modernorū.* *Pulſus eſt præco diſpoſitionū cordis.*

Cęterum morbi cordis,& aliarum partium hoc diſcriminis inter ſe habent, quia morbi cordis pernitioſi per ſe enecant in quarto modo dicendi pet ſe (vt Logici dicunt) at morbi cęterarū par-

tium,

tium quantuncunque vehementes, nunquam mortem inferunt; niſi ab illis cor compatiatur, vt Gal. ait 5. de loc. aff. cap. 1.

Huius autem euentus ratio eſt, quia nulla pars eſt inſtrumentum vitæ, niſi cor, ideo vt vita pendet a corde, ita mors ab eodem male habente per ſe, & primo proficiſci debet, à ceteris autẽ partibus nequaquam, niſi quatenus cor cum eiſdem commertium habere poteſt; ideo dum ægrotant, pro ratione conſenſus ægritudinis offenſio contingit.

Plurimũ autem conſentit cor cum ventriculo, ideo Gal. 5. de loc. aff. cap. 2. & 2. de rat. vict. ac. t. 47. ait, atq; hos affectus cardiaca ſyncopa ſequitur, quemadmodum, quę ſtomachi vitio fiũt, ſyncope ad eos affectus, quibus os ventriculi, ſtomachum nonnulli appellant, infeſtatur, ſequi ſolent. *Præcipui conſenſus cordis enumerantur cum ventriculo.*

Verum hæ quoque conſentiente corde eueniunt. Et primo de cauſ. ſympt. cap. 7. cæterum nullum membrum aut ita exactum ſenſum haber, aut ita vtrũque principium, cor nempe, & cerebrũ vna ſecum afficit, ſicut os ventriculi, nominatus autem in conſuetudine non vulgo ſolum, ſed etiam a medicis ſtomachus, quæ nãque ſtomachicæ vocãtur ſyncopæ, huius particulæ ſymptomata ſunt, quemadmodum, & cardialgiæ, quę ab altera eius appellatione nomen ſunt ſortitæ.

Plurimum etiam cor conſentit cum thorace, & iecore, magis tamen iecori procliue eſt cor, quam thoraci, etſi remotius ſit iecur, quam thorax, propter vinculum venæ cauæ cum corde, vt 4. de præſag. cap. 4. ait Gal. *Cor cõſentit cũ thorace, & iecore.*

Et ibid. cap. 5. ait, cor magis conſentire cum ſepto tranſuerſo, quam cum alia thoracis parte, quod ex ipſa caua vena prope cor in hoc venæ inſeruntur. *Cum ſepto trãſuerſo*

Plurimum & maximè cõſentit cum cerebro, vt 2. de cauſ. pulſ. cap. 12. habetur, nempe quia arterias magnas cum cerebro vinculum ſocietatis tranſmittit, cerebrum neruos cordi, qui quamquam non ſint magni, mandatum tamen rationis poſſunt perficere, adhæc ſingulis arterijs fibræ a neruis deductæ ad ſocietatẽ veniuat, per quas ſe ſinunt mutuo in conſenſum venire, non modo actionum, ſed etiam & affectionum, nec iam quicquam habent admirationis, ſi, cum vniuerſum neruorum genus coniunctum cũ arterijs ſit, ſingulique eorum ramuli ſibi mutuo immiſti, prin- *Cum cerebro.*

cipia-

cipiáque, vt dictum eſt, inter ſe coniuncta ſint, communis appareat affectus.

*Cum vtero.* Cum vtero vero conſenſum cordis oſtendere hyſtericas mulieres ait Gal.6.de loc.aff.cap.5.& eod.2.de rat.vict.t.47.alias quidem ſine ſenſu immobiles iacentes,& cũ obſcuriſſimo,minimoq; pulſu,vel omnino ſine vllo pulſu apparentes,alias ſentientes quidem,& moueri potentes,atque integra ratione,ſed tamen animo deficientes,& vix ſpirantes, alias etiam crura, & brachia contrahentes.

*Cum pulmone.* At celerrimam cordi,& omnium maximam noxam infert pulmo,vt 4.de præſag.ex pulſibus cap.2.habetur,ſedem enim habet omnium cordi coniunctiſſimam,eiuſque vaſis, quam maxime affinis eſt, & confluxum habet per maxima oſtia in vtrumque ſinũ.

Cum igitur cor & per eſſentiam lędatur,& multis partibus affectis in conſenſum trahatur,illud, in quo noſtra diſquiſitio præcipue verſabitur,erit in inuentione facultatis, in qua læſio conſiſtit,& qualis ſit læſionis modus,quod licet priſcis medicinæ parẽtibus Hippocrati,Galeno,Auicennæ,cæteriſque de re medica optime meritis apertum fuerit, obſcure tamen, & ieiune, atq; quaſi data opera diſſimulantes,hanc partem occultarunt, cauſas tantũ morborum recenſendo, hinc poſtea factum eſt, vt poſteriores de ea multa in dubium reuocauerint. *Hipp. Gal. Auicen. medicinæ parentes.*

Non enim more empyrico ſcire ſufficit,morbos ſtomachi,hepatis,vteri,cerebri, pulmonis, & cæterarum partium, cum quibus cor compatitur,trahere cor in conſenſum,& choleram,alui profluuium,difficultatem inteſtinorum,lięteriam, fluxum muliebrem, hæmorrhoidas,vulnera,ſanguinis excreationes, eiuſdẽ profluuiũ per nares,vel per vterum,vehementem cruditatem, & bulimum, ac alia huiuſmodi eſſe poſſe cauſas modo palpitationis,modo lypotimiæ,modo ſyncopis,& mortis.

*Idea morbi & cauſæ eorum ſpectanda ſunt.* Verum ad medicũ rationalem ſpectat dilig̃eter ſcrutari, quid vnaquæque pars in huiuſmodi affectuum generatione cordi vel addat,vel demat, vel quid,& quomodo cor immutet,vt ſyncopẽ ducat,quod eſt morbi ſpeciem,& propriam eius naturam, & cauſas intelligere,a quib. vera præſidia ex arte per indicationes hauriuntur.

Quare cum morbi ad vitam,ad calorem innatum, & ad pulſationem

tionem attinentes his præcipuè tribus capitibus complectantur, de palpitatione nempe lypotimia, & ſyncope, igitur de his tribus tantum agemus, ac primum de palpitatione, tum quia eſt via ad alios relatos affectus, tum etiam quia eſt ſignum prognoſticum eorundem.

Sed quia palpitatio cordis eſt motus cordis deprauatus, & ſpecies læſionis eius, ideo prius de læſa cordis pulſatione in genere agendum eſt.

## LAESAM CORDIS PVLSATIONEM ESSE *exturbationem motus dilatationis, & conſtitutionis cordis e naturali ſtatu pendentem à cauſa præternaturali. Caput Vigeſimum octauum.*

PER læſam pulſationem, vt à nomine exordiar, nihil aliud intelligimus, quam eiuſdem exturbationem à naturali ſtatu, quomodocunque contingat, non tamen in præſenti exturbatio accipi poteſt, vt quidam putant, eo modo, quo accepit Gal. 6. de plac. cap. 1. vbi ait, maiorem enim quam naturalis conſtitutio patiatur, velociorem, aut tardiorem, frequentiorem, aut rariorem, aut quouis alio modo exturbatum pulſum, nullo modo appellare operationem poteris in ſecunda ſignificatione: quia Gal. ibi ſupponit in exturbatione cor ex ſe ipſo moueri, non tamen ſecundum naturam, ideo per illam exturbationem intelligit cordis motum imminutum, & deprauatum tantum. *Nomen* *Error quorundã modernorum*

Illi autem, & nos, qui de læſa pulſatione cordis quomodocunque lædatur, nunc agere propoſuimus, preter illos complectimur etiam motum ablatum, & tandem qui fieri poteſt ab errore externo.

Generatur autem iſta exturbatio dum cordi occurrit aliquid præternaturale, vitio cuius fruſtretur pulſatrix cordis, ergo definitur quòd ſit fruſtratio pulſationis cordis dependens a cauſa præternaturali, forma eſt fruſtratio pulſationis, ſubiectũ eſt cor, cauſa efficiens eſt quid præternaturale, & iſta pulſus exturbatio interdum eſt motus illegitimus, vt 2. de cauſ. ſy. cap. 1. ait Gal. qui *Generatio Definitio. Forma. Subiectũ. Cauſa efficiens.*

*Duplex pulſatio-nis extur batio.*

tamen ad vnum genus ſymptomatũ reduci non poteſt, quia quã-tenus eſt opus naturæ, quæ a morboſa quapiam cauſa moueri ſit coacta, eſt ſymptoma pertinens ad actionem læſam, ſiue læſio ſit imminuta, ſiue deprauata, vt vero morboſos conſequitur affe-ctus natura ad eius generationem ſuppetias minimè ferente, eſt qualitas mutata, nam cum deberet cor quantum ad illum motum præternaturalem attinet quieſcere, de quiete mutatur in præter-naturalem motum dilatationis. Interdum eſt motus ablatus.

Dictum eſt autem cordis, quia licet arteriæ eodem motu, & ab eodem motore moueri poſſint, attamen nos nunc loquimur de motu cordis tantum, & pendet a cauſa præternaturali, quia ſiue ſit flatus dilatans, ſiue facultas pulſatilis fruſtrata, vtrumque con uenit in hoc, quod eſt præternaturale, & quantum attinet ad flatũ craſſum, eius generatio infra apparebit.

Quantum vero attinet ad facultatem pulſificam fruſtratã, hæc vel fruſtratur ob morbum, vel ob errorem externum: ſi ob morbũ, vel labefactatur, vel impeditur, labefactatur autem dum labem contrahit proprium, & proximum principium actionis, quod eſt cor, hoc enim vt pars corporis animati per probam ſuarum partiũ compoſitionem in numero, magnitudine, figura, & ſitu actionem pulſificam perficit.

Cum igitur anima ſit principium pulſationis, ſed remotum, cor vero vt pars corporis animati probe compoſiti, ſit idem prin-cipium, ſed proximum, & immediatum, igitur merito & labefa-ctari, & corrumpi hæc facultas poteſt, quia componitur, & com-pletur ex parte alterabili corruptibilique: mortalis eſt enim cum omnibus ſuis diſpoſitionibus pars corporea, quæ vnà cum parte immortali, anima nempe, in homine concurrit ad compoſitionem adæquati principij pulſationis, ex quo illud inuentu perdifficile problema a Galeno propoſitum, ſecundo de loc. aff. cap. 9. facile ſolutum erit.

*Facultas mortalis vn̄a immor talis eſt. Problema Gal. diffi-cillimum.*

Si igitur cor male conſtituatur in compoſitione penes nume-rum, magnitudinem, figuram, & ſitum, & in vnitate penes partiũ connexionem, facultas pulſatilis eius labefactatur, quia male con ſtituitur, vt corpus diſſimilare eſt, & ideo eſt morboſum.

*Præclariſ ſimorum Moderno-rũ error.*

Ex quo probare non poſſum ſententiam illorum, qui volunt facultatem labefactari læſo tẽperamento tantum, læſa vero com-

poſitione

poſitione impediri ſolum,& ratio reprobationis eſt,quia facultas ſemper labefactatur, quotieſcumque in læſione tangitur illud, quod eius eſſentiam ingreditur, eamque conſtituit.

Sed vt determinatum temperamentum conſtituit eſſentiam facultatis alteratricis, ita determinata compoſitio, & partiū vnitas vt de conſt.art.med.cap.6. & primo de vſu part. cap. 5.6.7.9.& 14.& primo de tuend.val. cap.5. ait Gal. conſtituit eſſentiam facultatis motricis ſecundum locum proprie, ac proxime operationem reſpicientis, quia iſtæ duæ operationum ſpecies,ad alterationem ſcilicet, & motionem attinentes neceſſario requirunt diſtinctas facultates, & diſtincta inſtrumenta ad ipſarum perfectionem deſtinata.

Vt enim ſimilarium partium eucraſia, ita inſtrumentaliū forma, numerus, magnitudo, & poſitus, & partium connexio functionum ſunt cauſæ, non igitur vitiata compoſitione, nec vitiata vnitate partis, vt corpus diſſimilare eſt, facultas ſecundum locū motrix dicitur impediri, ſed labefactari, cum tāgatur illud, quod ingreditur eſſentiam facultatis. *Labefactio facultatis quomodo fiat.*

Similiter dicitur labefactari per morbum ſolutæ continuitatis partis ſimilaris,quatenus morbus vni toti,& indiuiſo,quod diſſimilare eſt,competit,quia ad actionem concurrit per probam compoſitionem,non autem per temperamentum, dicitur autem impediri per morbum eius in complexione, vti etiam ventriculi concoctio dicitur impediri per morbos eius malæ cōpoſitionis, quod docerē voluit Galen.3.de cauſ.ſympt.cap.1.nam vna facultas impeditur, ſi læſio ipſi contigerit ex parte alterius facultatis læſæ, eiuſdem partis, vt vitium in intemperie eiuſdem partis impedit functionem,quę ibidem,ſed per compoſitionem perficitur a facultate motrice, ideo crure laborante intemperie calida, vel frigida non fit probus inceſſus.

Non tamen vice uerſa, vitium in compoſitione impedit functionem a facultate alteratrice edendam, &ideo membra monſtruoſa nutriuntur, & augentur, niſi nutritio fruſtretur ob errorem externum,vt ob vitium alimenti. *Diſcrimen læſionum.*

Quod diſcrimen ideo accidit, quia temperamentum ingreditur eſſentiam partium ſimilarium, ex partibus autem ſimilaribus inſtrumentariæ componuntur,non è conuerſo,ideo inſtrumenta- *Cauſa diſcriminis læſionum.*

riæ ſine ſimilaribus probe conſtitutis conſtare non poſſunt, non è conuerſo; igitur intemperies partis impedit functionem eiuſdem ſecundum compoſitionem edendam.

Cum igitur cor vt eius facultas pulſatilis labefactetur, male conſtituatur in compoſitione, & vnitate, videamus primo penes quam partem malæ compoſitionis attendatur morbus, vbi conſiderandum eſt, quod cor accipitur vt inſtrumentum facultatis localiter mouentis, in pulſatione enim, quæ eſt cordis dilatatio, & conſtrictio, cordis partes localiter mouentur.

*In corde proba cōpoſitio penes cauitatem requiritur*

Ideo in corde requiritur proba compoſitio, & præcipuè penes cauitatem, quod expreſſe manifeſtauit Galenus primo de cauſ. pulſ. cap. quarto. dum quærens quale eſſe debeat pulſationis inſtrumentum, quod facultas pulſatilis, vti ſibi idoneum, appoſitum, & accommodatum parat, ait, illud cauum intus eſſe debere, ideo arterias huiuſmodi conſtructionem ait fuiſſe ſortitas.

Nec minus etiam particulis palpitantibus contingit, in quorum motu, vt Galen. ait ſecundo de cauſ. ſympt. cap. ſecundo, cernitur cutem exaltari, inflarique ad eum modum, quo arteriæ dilatantur.

Cum igitur tum in palpitationibus, tum etiam in arteriarum pulſationibus, qui non diſſimiles motus ſunt quantum ad formam, & quatenus ſunt dilatationes, & conſtrictiones, præcipuè cauitas deſideretur, ideo quemadmodum cordi, ad hoc, vt moueatur, ſufficit quod ſit corpus, omne enim corpus per ſe eſt mobile in ſecundo modo dicendi per ſe, ita ad hoc, vt moueatur ſpeciali motu dilatationis, & conſtrictionis, debet eſſe corpus cauum.

*Pulmonis cauitas ſimplex.*

Ita & pulmo plurimis leuium & aſperarum arteriarum fiſtulis excauatus dilatatur, & conſtringitur ad motum caui pectoris, quemadmodum quælibet alia noſtri corporis pars, ſi debet codē motu dilatationis, & conſtrictionis moueri, debet eſſe caua, ſuppoſita tamen ſubſtantia carnea, & molli, & ſua natura motui obtemperante.

*Nec oſſa nec cartilagines palpitant, & ratio.*

Et ideo Gal. ibid. & lib. de tremore, palp. con. & rig. cap. 5. ait, nec oſſa, nec cartilagines, nec neruos palpitare, non illa quidem, quia etſi caua ſint, tamē propter duritiem ſubſtantiæ virtuti mo-

uenti,

uenti, aut ventrem mollienti non obtemperant, non hæc autem, quia caua non ſunt.

Nec obſtat quod ſcribit Gal. 1. de cauſ. pulſ. cap. 4. dum loquẽs de arterijs, ait, erat hic accommodatum inſtrumentum, quod ſpiſſis tunicis, & cauum eſſet intus, vbi cauitati addit ſubſtantiæ ſpiſſitudinem, quia ibi Gal. quærit non ſolum motum, ſed etiam firmitatem, ſecuritatem, & continuitatem motus perennem, quemadmodum 6. de plac. cap. 8. idem quærẽs in corde propoſuit eius denſitatem, & duritiem, quæ requiritur, vt comparata viſceri firmitate minus afficeretur, & ex ſe moueretur, ad idem reſpexit D. Hipp. in lib. de corde, dum cor vocauit muſculum valde fortem. Quare ad hoc, vt cor moueatur motu pulſante, requiritur præcipue, quod ſit cauum, & cum cor præcipue per cauitatem concurrat ad motum dilatationis, & conſtrictionis edendum, quæ cauitas attinet ad figuram, penes quam læſioni ſubijcere poteſt, ideo mala conſtitutio cordis penes figuram pulſatilis facultas labefactatur, & erit morbus cordis, & cauſa pulſationis læſæ, quæ ſi fuerit per remiſſionem, dicitur pulſatio imminuta, ſi per exceſſum, dicitur deprauata, ſi per ceſſationem, dicitur ablata.

At ſi quis inſtaret, quod in corde poſſit etiam contingere morbus in magnitudine imminuta, non quidem partium carnoſarũ cordis, quia cor tantam calamitatem ſuſtinere non poſſit, attamẽ poſſe ſpiritus eius inſitos, quos ad cordis ſolida attinere alias oſtẽſum eſt, ita imminui, vt morboſus concitetur affectus, duplex. n. in omnibus entibus extraneum inuenire licet, vt Gal. ait 2. de dif. feb. cap. 11. & de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 8. alterum nãque ex ſui qualitate, alterũ quantitate tale eſt, quod & ſpiritibus inſitis etiam competere aſſerit Gal. *Dubitatio.*

Si igitur ſpiritus in corde deficere poſſunt, cordi cõtingit morbus in magnitudine imminuta, & ita non ſolum penes figurã facultas motrix labefactari cõtingit, ſed etiam penes magnitudinẽ imminutam.

Huic reſpondeatur, quod etſi hoc vitium incidere poſſit in reliquis partibus corporis ſuperſtite vita, attamen cordi vt viſceri nobiliſſimo, quod magnos morbos, vt eſt imminutio partium ſolidarum ſine interitu animalis ſuſtinere minime poteſt, multo minus hoc contingere poteſt, vt infra latius apparebit. *Reſponſio.* *Cor magnos morbus non ſuſtinet.*

Præterea cum cor,vt eius facultas pulſatilis perficiatur, requirat etiam bonã conſtitutionem in vnitate, ideo ſi aliqua occaſione cor vt vnum, & continuum eſt, lædatur, oritur mala conſtitutio cordis penes continui ſolutionem,vitio cuius facultas motrix labefactatur.

Si vero facultas pulſatilis a productione propriæ operationis impediatur tantum,illud accidit ob morbum cordis, quæ eſt conſtitutio præter naturam,cuius tamen oppoſita integritas non ingreditur eſſentiã facultatis motricis,& hæc nihil aliud eſſe poteſt, quam intemperies cordis.

Ideo quantum ad intemperiem cordis ſi hæc cordi incidat, cũ neceſſario communicetur ſpiritibus inſitis eius, qui ſunt corpora mediantia inter corpus, & animam, per quæ animæ operationes facillime tranſeunt in corpus,igitur communicata intemperie ſpiritibus inſitis,quorum motus ſubordinatur ad mouendũ cor, tũc impeditur cordis motus, quia ſpiritus deſinunt eſſe idoneum inſtrumentum animæ ad mouendum cor, ergo facultas pulſatilis impedita ob morbum ſpirituum in intemperie redditur imbecillis, & languide mouet, vel aboletur, & ideo pulſatilis facultas, quod non poteſt magnitudine,& celeritate, vel ſupplet frequentia,vel aboletur.

*Modernorũ error.* Non ſupponit autem imminutam ſpirituum inſitorum quantitatem,( vt quidam perperam arbitrantur ) quia in febribus hecticis,licet exiccatio humidi radicalis totum corpus peruaſerit, tamen in corde vix roridam eius humiditatem attigit, vt Gal. ait 1.de dif.feb.cap.9.igitur virtutis languor,qui in illis perpetuo reperitur a ſola intemperie dependet.

*Humidum radicale cordis nõ poteſt abſumi.* Nec mirum videri debet, quod in febribus hecticis humidum radicale cæterarum partium conſumptionem patiatur, in corde vero intactum penitus permaneat, quia conſumptio in cæteris partibus paulatim fit,ideo ab illa actione ſenſim facta,natura pręcipuam partem facile ab exiccatione tueri poteſt,quæ ſi repente, & confertim fieret, non eſſet inconueniens, quod etiam ipſa in corde imminueretur, quam tamen vim citiſſima mors conſequitur,vt infra apparebit.

Facultas igitur pulſatilis impedita ob morbum ſpirituum in intemperie redditur imbecillis, & languide mouet, & propterea

in

in hectica febre,quæ eſt intemperies calida,& ſicca totius,& cor poris cordis,cuius intemperiei,etiam ſaltē calidæ,ſi nō ſiccæ participes neceſſario fiunt ſpiritus inſiti cordis,non ſolum virtus altc ratrix concidit,&concoctio cordis labefactatur, ſed etiam pulſatilis eius impeditur,ideo pulſus parui,& languidi fiunt.

Et hac ſola ratione a nemine(quem viderim) expreſſa,potentiæ localiter mouentes impeditæ ob intemperiem ſpiritus inſiti, quo minus facultati mouenti probe inſeruiant,imbecilles efficiũtur,motuſque ſuos remittunt,nã ſi quid facultati acciderit, quod ſit præternaturale, neceſſario operatio eius redditur imperfecta, accidit autem dum illa, quæ in ſui eſſentia organum bene conſtitutum, vel ſaltem non impeditum expoſcit, iungitur corpori affecto. *Ratio abdita quare potẽtiæ localiter mouentes imbecilles fiant.*

Quod autem facultas alteratrix imbecillis reddatur ob intemperiem partis,aſſerit Gal. 3.de ſympt. cauſ. cap. 2. dum ait, atque imbecillitas quidem inſtrumentorum,quæ in ventre ſunt,ceu ſępe iam dictum eſt,ab intemperie prouenit, idem 1. de pręſag. ex pulſ.cap.3.& 4.confirmat,dum ait,facultatis eſſentia ſingularum partium in ſingularum illarum poſita cõmodo temperamẽto eſt, nam tũ demũ ſuũ quæque munus obit, vbi ſit temperatiſſima, cõ tra male fungitur,ſi intemperata ſit,atque hactenus male, quatenus intemperata,ad eundem modum cordis corpus,cum immodice refrigeratum ſit,calefactum,humectatum, & deſiccatũ, pulſus pro ſuæ intemperiei modo facit languidos, id quod illi eſt offenſam facultatem eſſe.

Offenditur autem facultas alteratrix,quia labefactatur ob intemperiem partis, & impeditur ob eiuſdem malam compoſitionem,& fruſtratur ob errorem externum. *Offenſioſa cultatis quam ob rem fiat.*

Similiter offenditur facultas motrix,quia labefactatur ob malam compoſitionem,& continui ſolutionem,impeditur ob intemperiem partis, & fruſtratur ob errorem externum, ideo ait, at ſi commertium, & conſuetudinem cor habuerit cum ſanguine, qui in ipſius ventriculis contineatur,aut cum ſpiritu influente,qui aliqua ratione corde calidior ſit effectus, vt in febribus ephemeris contingit, aut cum eo humore, qui in tunica cor ambiente,pericardion vocata, aut in pulmone, aut etiam cum ipſo inuolucro cor ambiente,& pulmone,hoc( inquam ) commertium, ſeu con-

ſuetudo, cum temperamentum non variet, ſed afficiat tantum; ideo afficiendo vſum ſolum variat citra offenſam facultatis.

*Aliud eſt refrigerari, et aliud refrigeratum eſſe.*

Dicitur igitur offenſa ob errorem externum, quia aliud eſt refrigerari, & refrigeratum eſſe, nam refrigerari, & calefieri vſum tantum variat citra offenſam facultatis, ſed refrigeratum, & calefactum eſſe alteratricem facultatem labefactat, & imbecillitat, motricem vero impedit.

Et rationem addimus nos, quia ſpiritus inſitus facultati inſeruiens eandem intemperiem compatiendo morboſus factus eſt, ideo non poteſt probe facultati mouenti inſeruire.

Quod autem aliud ſit refrigerari, & refrigeratum eſſe, repetit Gal. 3 de pręſag. ex pulſ. cap. 2. dum reſpondet tacitæ cuidã obiectioni, quia ſupra dixerat, intemperiem reddere imbecillem facultatem, poſt ſubdit, calore plurimo poſſe affici corpus cordis, & tamen facultatem valere.

At (dicet quis) ſi robur facultatis conſequitur temperiem organi, & eiuſdem imbecillitas intemperiem, ergo, dum cor eſt plurimo calore affectum, non poterit facultas eſſe valida, nec pulſus eſſe maximus, celerrimus, creber, vehemenſque.

Reſpondet (inquam) quod aliud eſt calefieri, & aliud calefactum eſſe, nam vbi corpus cordis a ſubſtantia, quam continent eius ventriculi, calefiat, poteſt firma facultas eſſe, quod quidem eſt in cauſa, cur plurimum, celerrime, & creberrime illi reſpirent, ac maxime, celerrime, creberrimeque pulſent, repugnante adhuc calefacienti ſubſtantiæ corde, & foris alteram, quæ refrigeret parem calori alliciente.

Quod ſi quando ſuccubuerit, atque in eundem calorem delapſa ſit, in quo eſt ſubſtantia, quam ventriculi eius continent, iam tum incaluit, nec poſthac incaleſcit tantum, cuius intemperiem ſequitur imbecillitas facultatis, ac ſi largius incaluerit, & per totum corpus calor febrilis permanauerit, non autem in corde ſolum, tunc febrem excitat, quam hecticam vocant.

Et 4. eiuſd. cap. 12. idem repetit dicens, cum omnes pulſus per ſe languidi ſint infirma facultas eſt, quod per totum corpus fiet, cum ipſum cordis corpus intemperatum ſit, in vna parte, cum ſola vna pars. Idem confirmat Auicen. 11. 3. t. 2. cap. 1. dicens, omnis complexio dominans facit debilitatem.

Ex

Ex quibus verbis non ſolum colligimus ob intemperiem partis imbecillem fieri eius facultatem, id eſt, labefactari alteratricē, & impediri motricē, propterea quod ſpiritus inſitus, vt pars membri fit particeps illius intemperantiæ. ideo morboſus effectus redditur ineptus ad opera animæ.

Sed etiam colligimus in viuente duplex genus affectionũ præter naturam ad alterationem attinētium reperiri, quod etiam repetit idem Gal. primo de loc. aff. cap. 3. & 3. eiuſd. cap. 1. idem confirmat Auicē. 2. 1. doc. 2. cap. primo, & 3. 1. t. 2. cap. 6. alterũ enim ad qualitatem non morboſam attinet, quæ cum adhuc fiat magis propriè affectio vocatur, & alterum ad qualitatem mutatam, & permanētem, quæ & intemperies, & morbus dicitur; & hæc quantum ad impedimentum facultatis ob intemperiem. *Duplex genꝰ affectionũ præter naturã reperitur.*

At ſi pulſatilis facultas lædatur ob ſolutionem continui incidentem in corde, vt parti ſimilari contingere poteſt, nō minus facultas motrix dicitur labefactari.

Quodlibet autē vitium pulſationis ſiue deprauetur, ſiue imminuatur, ſiue auferatur, cognoſcitur per relationem ad moderatum, hic autem vt inueniatur, primum, vt docet Gal. 2. de dignoſ. pulſ. cap. 2. & de pulſ. ad Tyron. cap. 2. inueſtiganda eſt optima noſtri corporis conſtitutio. *Signa vitiorum læſæ pulſationis.*

Per quam ſiue intelligamus illam, quã citra omnem latitudinē contemplamur, quam quidam potius ſomniarunt, cum ſi detur, ne momento quidem temporis duratura ſit, vt Galen. ait primo de tuen. val. cap. 5.

Siue intelligamus illam, quę ab abſolutiſſima diuerſitatē quandam ſeruat, minorem tamen quàm, quæ ſenſu diſcerni poſſit, nihil ad propoſitum noſtrum referre videtur, & propterea hæc, vt ad ſenſum pertinet, licet eam in latitudine contemplemur, pro abſolutiſſima tamen habetur, vt eodem primo de tuē. val. cap. 5. ait.

Hac autem cognita, ac rectè perpenſa, primum accuratè conſiderandum eſt, qualis ſit eius pulſus, dummodo in eo ſtatu hominem accipiamus, vbi pulſus a nulla externa cauſa immutati, ſuum proprium, ac naturæ ſuppoſitæ competentem motum ſeruēt, tale autem erit, ſi ille in longo otio non ſit verſatus, nec recenter exercitatus, nec diu ieiunauerit, nec nuper comederit, nec repente è ſomno experectus fuerit, aer itē temperatus, ac ipſe a quo- *Quid ſit cõſiderandũ, vt pulſus naturalis inueniatur.*

cumque

cumque animi affectu liber, ac immunis ſit, vt ibidem, & lib.de pulſ.ad Tyr.cap. 9.& 1.de præſag.cap.1.ait Gal.

*Alia conſideratio.* Modo hoc inuento inueſtiganda eſt eius corporis, cuius moderatio pulſus quæritur, vitioſa conſtitutio, pro qua non intelligimus morboſam tantum, ſed quemcumque receſſum ab optima, ac eius differentia, & gradus proponendi ſunt, quibus diligenter, & accurate perſpectis, tunc non minus conſiderandus eſt pulſus talis vitioſæ conſtitutionis, qui tantum recedet a pulſu moderato, & optimo, quantum vitioſa conſtitutio recedet a moderata, & optima prius inuenta, tantum enim diſtat pulſus moderatus a vitioſo, quantum diſtat conſtitutio moderata a vitioſa; quia eandem proportionem debet ſeruare pulſus ad pulſum, quam ſeruat corporis conſtitutio ad conſtitutionem.

Sed conſtitutio vitioſa perpenſa, & quo ad differentias, & gradus æſtimata, atque cum animo reputata diſtat ab optima inuenta, exempli gratia, vt octo, ergo pulſus earum ſimiliter vt octo inter ſe diſtabunt, & terminus diſtantiæ a pulſu vitioſæ conſtitutionis erit moderatio, ſeu pulſus moderatus.

*Pulſus moderatus qualis ſit.* Habes igitur per moderatæ conſtitutionis comparationem ad morboſam deductum moderatum pulſum, quem vbi noueris, nō propterea ſummam habes, ſed neceſſe eſt, vt ſubinde rationem exercites, & tactum, vt eodem 2. de dignoſc.pulſ. cap.2. & 13. Meth.cap.11.ait Gal. vt quæ ratione vera ſunt, vſu, & experientia comprobare ſcias, quod eſt circa praxim, & in actione verſari, vt 2.de loc.aff.cap.9.habetur, hæc enim vſu, & experientia comparatur, quia circa particularia indiuidua exercitatio, & experientia verſatur, vt 9.Meth.cap.6.ſcribitur, ac a particularium cognitione oritur, cum ſit obſeruatio, & memoria eorum, quæ frequenter, & eodem modo contingunt.

*Verſari circa praxim quid ſit.*

Idem aſſerit lib.de pulſ.ad Tyron.cap.9.dum ait, ſane frequenter tangenda eſt arteria, præſertim integra ſanitate præditi, & vacui omnis vehementis motus, nec non cæteris in ſtatibus, verum quia omnes experientia aſſequi non eſt &c. & ibid. cap.11. ait, quare vt rationem ſimul exerceatis, & tactum admoneo, vt in experiūdo pulſum valeat tactus cognoſcere, idem repetit 3.de dignoſcendis pulſ.cap.1.

*Auicennæ conſilium.* Nec propterea huic ſententiæ Auicen.p.1.d.p.cap.1.aduerſatur

tur dicens, medicinãm practicã abijcere operãtionem in effectu, & actum motionum corporearum, quiã ibi Auicen. conſiderat practicam medicinam in habitu,& non in actu,in qua conſiderãtione, necoperationẽ in effectu, nec actum corporearum motionum concernit, at praxis in actu verſatur circa ea, quæ ã nobis fiunt,& eſt actionum, & motus principium, & requirit applicationem digitorum, quod non facit medicina in habitu.

Qui igitur vſu,& experiẽtia rationem comprobat, hic,vt ibid. ait Galen. in quocumque pulſuum genere moderatum inuenire, & actu tenere poterit, vt exempli gratia, quo ad diſtentionis, & contractionis quantitatem moderatus conſiſtit in hoc, vt arteria neque contendatur, neque laxam quampiam eius partem relinquat, ſed moderate in vtraque parte ſe habeat, & ita de reliquis pulſuum differentijs dicendum eſt. *Qui ſit ille, qui moderatũ pulſum inuenire norit.*

Cum igitur pulſus a moderato recedens ſit duplex: vel enim eſt motus ſolius morbi, & oritur palpitatio legitima, vel eſt motus facultatis lęſæ, qui cum a moderato tripliciter recedere poſſit, vel ablate,& aſphexia vocatur, quæ dupliciter contingit, vel ſimpliciter, & ita de ea ne verbum quidem faciendum eſt, cum vires medicinæ excedat, & nihil a morte diſtet, hęc enim ſi ad veritatem exigas, in corpus viuum numquam cadit, nũquam enim eſt, quiã cor vnã cum arterijs omnibus agitetur, vt ait Gal. primo de præſag. cap. 3. & 4. de differ. pulſ. cap. 3. quod animalia numquam viuerent, ſi omnis perijſſet motus cordis,& arteriarum. *Pulſus a moderato accedens quotuplex*

Vel priuatio pulſus conſideratur ſecundum quid, & ad ſenſum, ad quem ſi referas, quamuis pulſus cordis, & arteriarum adſit, tamen ſanè frequenter omnem prorſus ſenſum fugit, & tunc ſyncope concomitatur.

Vel pulſus recedere poteſt a moderato per diminutionem, & lypotimiam, ſeu hypopſychiam portendit.

Vel pulſus recedere poteſt ã naturali per deprãuationem, quæ cum ad exceſſum, & auctionem attineãt notha palpitatio vocatur, de quibus in ſequenti.

PAL-

## PALPITATIO CORDIS QVID, & qualis ſit eius cauſa contentiua.

### Caput Vigeſimum nonum.

*Palpitationis nomen.* PALPITATIO cordis eſt dilatatio, ſeu elatio præternaturalis cordis, & eſt nomen æquiuocum, & conuenit tam legitimæ, quam nothæ palpitationi, dicitur tamen prius de legitima, quam de notha, vt vocibus analogis conuenit.

*Generatio* Generatur autem dum aliqua cauſa præternaturalis, ſiue morboſa, ſiue non morboſa cordi occurrit, vitio cuius cor immoderate dilatatur.

*Definitio, forma, ſubiectũ, cauſa efficiẽs.* Igitur palpitatio cordis eſt immoderata dilatatio cordis depẽdens à cauſa præternaturali, forma eſt dilatatio immoderata, ſubiectũ, eſt cor, cauſa efficiens eſt quid præternaturale.

Et dicitur immoderata dilatatio ad differentiam dilatationis imminutæ, & ablatæ, & hæc definitio prius conuenit palpitationi legitimæ, quam nothæ.

*Immoderata dilatatio multiplex.* Sed illa immoderatio dilatationis, quæ palpitationi in communi conuenit, quamuis per prius legitimę, multipliciter accipitur, interdum enim attenditur penes motum, in quo neceſſe eſt, vt venter, ſeu cauitas corporis dilatãtis amplior efficiatur, vt ſemper contingit in legitima palpitatione, cum qua amplitudine velocitas etiam adnectitur, idem ſæpe contingit etiam in notha. Interdum palpitatio non ſeruatur penes ampliationem, ſed penes ſolam velocitatem, interdum etiam penes ſolam frequentiam, in qua tunc ad conſtituendam eam ſufficit, quòd dilatatio ſit ſenſibilis, vt contingit in notha, & interdum penes vtraſque, & interdum penes omnes. Ideo per immoderatam dilatationẽ in definitione loco generis poſitam non intelligimus ſolam corporis cordis dilatantis magnitudinem in trina dimenſione conſideratam, ſed etiam intelligimus immoderationem in velocitate, vel in frequentia, vel in harum ambabus, vel in omnibus ſimul iunctis, vt infra clarius apparebit.

Dicitur dilatatio, non conſtrictio, quia ſola dilatatio cõſtituit pal-

palpitationem, conſtrictio autem eius rationem non ingreditur, licet palpitatio tam legitima, quam notha abſolui non poſſit, niſi vterque motus dilatationis, & conſtrictionis intercedat, & propterea Gal. 2. de cau. ſympt. cap. 2. definiẽs palpitationem ſolius dilatationis meminit, dicens. *Quare palpitatio dicatur dilatatio tantum.*

Palpitatio autem dilatatio quędam præter naturam in particula eſt, fit autem in omnibus corporis particulis, in quibus dilatatio, diſtentioque accidere poteſt, vbi ſubticens motum conſtrictionis, de ſola dilatatione, diſtentioneque mentionem fecit, & paulo poſt ſubiungit, cernitur. n. in his cutis exaltari, inflarique ad eundem modum, quo arteriæ dilatantur, ita, vt ratio palpitationis in illa dilatatione, inflationeque ſeruetur; ſed quia fieri nõ poteſt, vt dilatatio repetat, niſi pars conſtringatur, ideo palpitatio comitem ſibi adſtrictionem in ſui generatione aduocauit.

Et propterea hi duo motus in ipſa palpitatione differunt inter ſe, quod vnus ſit forma palpitationis, alter vero accidens neceſſario, & per conſecutionem quandam incidens, nam in palpitatione, vt cauſa formalis, quæ vna principalium cauſarum dicitur, cõcurrit dilatatio, ad dilatationẽ autem neceſſario conſtrictio ſubſequitur, quam cauſam ſine qua non, iure, & merito vocabimus, cuius finis eſt, vt per eam cor noxiam materiam repellat. *Motus dilatationis, et conſtrictionis in palpitatione, ut differant.*

Dicitur cordis, ad differentiam aliarum partium, cum non de palpitatione aliarum partium, ſed de ea tantum, quæ cordi accidit, ſermo habeatur.

Quæ dependet à cauſa præternaturali, quæcunque ſit, nam poteſt eſſe error externus, vt ſemper contingit in legitima palpitatione, in qua cor dilatatur a flatu craſſo.

Poteſt eſſe facultas expultrix fruſtrata ſimiliter ob errorem externum, vt cõtingit in eodem legitima palpitatione, ſed cum motus attineat ad conſtrictionem tantũ, non dicitur palpitationis, ſed accidens eius.

Poteſt eſſe facultas àttractrix fruſtrata ſimiliter ob errorẽ externum, vt contingit in notha, dum irritatur ab aliquo.

Præternaturali citra morbum, vt ab vſu aucto. Poteſt eſſe eadem facultas attractrix labefactata ob morbum in compoſitione & ſoluta continuitate. Impedita ob morbum in intemperie, & fruſtratio pendet ab vſu aucto, tanquam a cauſa continente legi-

timæ

timæ palpitationis, qui & præter naturam auctus intelligitur.

*Quomodo facultas pulſans lædatur.* Sed cum facultas pulſans ſit dilatans, & conſtringens, dilatans autem ſit attrahens, conſtringens autem ſit expellens, igitur ſi facultas pulſans fruſtretur, neceſſe eſt, quod fruſtretur, vel quo ad attractricem, vel quo ad expultricem facultatem, vel quo ad vtrãque, ideo in legitima palpitatione, in qua cor mouetur vtrium inſtar, id eſt, cor dilatatur, quia a materia præternaturali impletur, pulſifica quidem facultas fruſtratur quo ad attractricem, quæ cũ imminuta valde concurrat, ideo dicitur quo ad ſenſum ablata.

Similiter fruſtratur quo ad expultricem, quia a natura, a re prę ternaturali irritata, mouetur ad expulſionem eius, ſed harum neutra, ad palpitationem attinet.

*Ratio palpitationis in quo cõſiſtat.* Non prima, quia eſt motus ablatus, aut ſaltem imminutus, at palpitatio requirit motum deprauatum, non imminutum, nec ablatum.

Non ſecunda, quia eſt fruſtratio contractionis, non autem dilatationis, in qua ratio palpitationis conſiſtit.

Igitur motus qui ad rem noſtram facit in legitima palpitatione, eſt nimia dilatatio alicuius vel amborum ventriculorum cordis, facta ab errore externo, a materia ſcilicet morbifica, ſeu a flatu craſſo, violenter eos diſtendente, ideo aufertur motus naturalis cordis, ſaltem quo ad ſenſum, & dico, quo ad ſenſum, quia cũ cor dilatari deberet ad attrahendum aerem, tardius tamen quam eius naturalis conſtitutio requirat propter frigidam affectionem, quæ ab humore pituitoſo, & frigido non communicari tandẽ cor di non poteſt, vitio cuius pulſus extra paroxiſmum ad raritatem, tarditatem, & paruitatem inclinare videtur.

*Quid in palpitatione contingere poſſit.* Ideo interdum contingere poteſt, vt dum virtus attractrix cordis deberet ſpiritum attrahere, tunc cauſa morbifica violento, & præternaturali motu modo in dextrum cordis ventriculum, modo in ſiniſtrum pro reſidentiã minerę impetum faciat, & ventres eius implendo dilatet, ac excipiat motum naturalem cordis, quo per ſiniſtrum ſinum aeream ſubſtantiam tunc attrahere debebat, tum ad refrigerandum, tum ad generandos ſpiritus, & cum eo ita confundatur, vt naturalis, qui ſua natura exiguus eſt, adhuc minor ob affectionem frigidam, omnino inſenſibilis non ſolum manui thoracem tangenti fiat.

Verum

Verum nec etiam corde nudato,ac viſui ipſi manifeſte expoſito motus naturalis tunc ſenſibilis eſſet ob confuſionem eius cum morboſo factam.

Interdum etiam contingere poteſt,vt alter poſt alterum fiat,ſiue in dextro, ſiue in ſiniſtro cordis ſinu legitima palpitatio incidat,verum naturalis propter eius paruitatem,tarditatem, & languorem occultatus manum accurate motum cordis explorantẽ omnino lateat.

Cum igitur à materia frigida & præternaturali,aqua flatus attollnntur cor præternaturam, & pluſquam ſatis eſt refrigeretur, ideo naturalis dilatatio cordis, quæ & virtus attractrix dicitur, inſequens tantum neceſſitatem,vſum,& vtilitatem cordis,non irritata,( vt etiam Gal. 3.de præſag. cap.4.adnotauit;) ab appetitu refrigerij,& euentationis,a proprio munere moratur,donec eadem neceſſitas inſurgat, interim vel dilatatio morboſa incidit, motumq; naturalẽ excipit,vel naturalem per ſe ſeorſum factus adeptam paruitatem,& languorem ſeruans,& languide, & imbecilliter ſubſequitur.

Et hac ratione naturalis cordis dilatatio inſenſibilis redditur, nõ igitur facultas pulſatilis cordis abolita dicitur, cum & quo ad actum primum, & quo ad ſecundum, quem exercet, licet debiliter, adſit. *Quare naturalis cordis dilatatio fiat inſenſibilis.*

Quod ſatis teſtatur contractio ſubſequens in corde,qua flatus expelluntur.

Similiter illud aperte teſtantur arteriæ, quæ eundem motum inſequuntur, vt apparet in carpo, nihil enim euidentius demonſtrat cor moueri,quam contractio cordis ſubſequens diſtenſionẽ, atque quod arteriæ extra cor moueantur, quoniam cor non contrahitur,niſi dilatetur,nec arteriæ pulſant,dum cor pulſu deſtitutum eſt,vt oſtendit Gal.lib.de pulſ. ad Tyron.cap.1.& 3.de præſag.cap.2.idem in ſyncope,de pulſ. cap.22. & 2. de dignoſ. pulſ. cap.2.

Cum igitur tempore legitimæ palpitationis, in quo cor mouetur vtrium inſtar, cor à facultate contrahatur, vt arteriæ manifeſtiſſimè oſtendunt,repræſentando pulſum in carpo rarum tardũ, & paruum,ſignum eſt cor eodem motu & dilatationis, & conſtrictionis moueri.

Niſi

*Dum arte ria cõtra- huntur, & dilata- tur, cõtra- hitur, et di latatur cor.*

Niſi quis, dum cor contrahitur, quieſcere illud dicat, & quieſcente corde, & pulſatica facultate abolita arterias moueri poſſe, atque actum ſecundum dempto primo ſeruari pertinaciter contendat.

Igitur tempore legitimæ palpitationis additur in corde ſuper motum a facultate factum alius motus valde ſenſibilis, quem ſolius morbi vocat Gal. 2. de cauſ. ſymp. cap. 1. & 2.

Ideo ſecundo fruſtratur diaſtole, non ſolum quia valde ſit imminuta illa', quæ a natura dependet, quæ ad rationem palpitationis nihil attinet, verum quia altera omnino a naturali diuerſa pendens a flatu craſſo cordis ventres violẽter diſtendente ſubſequitur, ſecundum quam cor palpitare dicitur.

Similiter in legitima palpitatione, in qua cor mouetur vtrium inſtar, facultas pulſifica fruſtratur quo ad ſyſtolem, diuerſimode tamen, quam fruſtretur ſua diaſtole, quia illa ſola ſemper mouetur, non eſt obſcurata, nec vnquam miſta, vt poteſt eſſe diaſtole, nec vice eius aliquis alius motor mouet.

Verum ipſa ſenſibiliter mouendo motu compreſſionis expellit materiam morbificam, a qua propter maximam, quam cum ſpiritibus inſitis cordis habet antipathiam vehementer infeſtatur, & in ipſa expulſione duo facit, vnum præter naturam, & eſt deprauatus motus cordis in magnitudine, velocitate, & frequentia, eo modo quo declarabitur infra, alterum ſecundum naturam ſubſequens primum, eſt præſeruatio viuentis ab interitu.

*Facultas pulſifica in expulſione duo facit.*

At in notha palpitatione, in qua cor mouetur follium inſtar, facultas attractrix ad differentiam legitimæ palpitationis ad dilatandum ſemper ſola concurrit, & quia inter attrahendum ſubſtãtiam aeream ſibi familiarem, vnà cum ea interdum attrahit alienam qualitatem calidam in ea ſubſtantia inſidentem, interdum alienam, & præternaturalem ſubſtantiam, quæ premendo, & aggrauando lædit, quare ab ea expultrix irritata cogitur ſola non ſecus ac in legitima palpitatione ad eius expulſionem inſurgere.

Ideo in primo ſtatu naturalis facultas attractrix vigente calore in corde in hoc actu naturaliter moueri non poteſt, quia cor eget refrigerio & medela ob malum affectum calidum conceptũ, & propterea auget motum & palpitat.

Neque in ſecundo ſtatu dum ab aliena ſubſtantia premitur & ſuffo-

ſuffocatur attractrix naturalis eſſe poteſt, quia impoſſibile eſt quod facultas æquè omnibus inſtrumentis imperare valeat, vt Galen. ait ſecundo de cauſ. pulſ. cap. 1. ideo varie ac multipliciter aberrans ſub onere preſſa modo auget magnitudinem, modo celeritatem, modo frequentiam, & ita cor in palpitationē inducit.

Similiter in legitima palpitatione duplex dilatatio, & vnica compreſſio conſideratur, quantum attinet ad dilatationem. *Duplex dilatatio in legitima palpitatione fit, & vnica compreſſione.*

Altera eſt motus facultatis, & hæc ita fruſtratur, vt nullo modo in corde, & parum extra cor ſit ſenſibilis, quæ tamen ad rationem palpitationis nihil attinet, cum ſit motus imminutus tãtum.

Altera dilatatio attinens ad rationem palpitationis eſt motus ſolius morbi, & vt fit ab agente dicitur operatio, vt vero in cor actio accipitur, dicitur affectio, & tam actio, quam affectio intelligitur in prima ſignificatione iuxta Galeni ſentētiam 6. de plac. cap. primo, & dicitur motus deprauatus cordis ob errorem externum. *Quo pulſatio modo operatio, modo affectio dicitur.*

At compreſſio eſt motus facultatis ſimiliter deprauatus, & affectio in ſecunda ſignificatione; conſideratur autem vnica compreſſio, quia dilatationi factæ ob errorem externum, cuius ratione cor legitime palpitat, non reſpondet oppoſita compreſſio, ſecundum eandem cauſam, quia ſtatim cum error externus dilatauit, facultas irritata mouetur, vt in notha ad expellendum errorem externum, ideo dictum eſt compreſſionem eſſe motum facultatis pulſatilis deprauatum, & affectionem cordis in ſecunda ſignificatione.

At in notha palpitatione vnica dilatatio, & vnica compreſſio conſpicitur, quarum vtraque eſt motus facultatis deprauatus, ſed quia nullus fit ſecundum naturam, ideo vterque dicitur affectio in ſecunda ſignificatione.

Ergo in legitima palpitatione dilatatio, vt in corde fit, atq; in eo recipitur, eſt affectio, & ſymptoma pertinens ad qualitatem mutatam, nam cor affectum tale quid dicitur, ſcilicet palpitans quo ad dilatationem tantum. *Dilatatio in legitima palpitatione eſt ſymptoma multiplex.*

At quo ad conſtrictionem, vt a facultate pulſante, non palpitante, deprauatè fit, dicitur ſymptoma pertinens ad actionem læſam deprauatè, vt etiam dicitur in notha palpitatione, quo ad vtrumque motum, vt colligitur aperte a Gal. 6. de plac. cap. 1.

*Palpitatio cordis non ſemper eſt ſymptoma.* Non tamen palpitatio cordis ſemper erit ſymptoma, vt multi perperam aſſignant, quia ſi in palpitatione cordis ſiue legitima, ſiue notha, dilatatio ventriculorum palpitantium in tantum augeatur, vt lędat operationes ad vitam ſpectantes, quod pręſertim in notha palpitatione contingit, tunc palpitatio vt nimia dilatatio euadit morbus attinens ad malam cordis compoſitioně in figura penes cauitatem, & vitium dicitur cauitas, ſeu ventriculus cordis nimis dilatatus, & quia interdum ita vehemẽter pulſat, vt non ſolum tegumenta eleuet, verum etiam vt coſtas diſlocet, vel frãgat, ideo ratione illius morbi producti nec ſymptoma nec morbus, ſed cauſa morbi dicitur, patet igitur quõ reſpectu diuerſorũ palpitatio cauſa morbi, morbus, & ſymptoma dicatur, & ſi ſymptoma dicitur, modo illud attinet ad actionem læſam deprauate, modo ad qualitatem mutatam. *Palpitatio euadit morbus.* *Palpitatio euadit cauſa morbi.*

*Palpitatio quando ſit affectu grauiſſimus.* Sed tunc eſt affectus grauiſſimus, cum ſubit rationem morbi, ſic enim nobiliſſimam omnium animalis operationum lædit, vitam ſcilicet.

Verum nos nõ poſſumus intelligere palpitationem cordis, niſi prius cognoſcamus in communi quid ſit palpitatio ipſa, hanc autem declarat Gal. multis in locis, ſed vberrime 2. de cauſ. ſympt. cap. 2. & lib. de tre. palp. con. & rig. cap. 5. dicens, palpitatio eſt dilatatio quædam in particula, fit autem in omnibus corporis partibus, in quibus dilatatio, diſtentioque accidere poteſt, non enim profecto os, neruũ, aut cartilagině, aut aliud quid huiuſmodi vnquam videas palpitare, quia ventrě non habent, quo viciſſim dilatato, & contracto, attolli quidem, cum dilatatur, collabi autem, cum contrahitur partibus liceat, ergo in cute ſæpè incidit, nonnunquam etiam in ſubiectis illi muſculis, vnoque verbo palpitatio incidit in omnibus partibus, quæ dilatari, diſtendique poſſunt, ita vt tum arterijs, tum cordi ipſi videatur incidere. *Palpitatio quid ſit.*

Eſt igitur paſſio hæc neque voluntarię virtutis propria, nec inſtrumentorum ad hanc ſpectantium, cuiuſmodi eſt tremor, & conuulſio, qui ſunt motus alij, & diuerſi a motu palpitationis.

Vbi Galen. non ſolum nobis aperit naturam palpitationis in communi ad omnes partes (licet non ad vnamquamque ſpęciem) ſed etiam declarat modum eius, & ſubiectum, cui accidit; quænam autem ſit cauſa palpitationis declarat, dum ibid. ait, palpita-

tionum

tionum autem cauſam pronuncio ſpiritum craſſum, & vaporosũ, cui non ſit tranſitus, ſubſtantia quidem eius ſpiritus eſt, qualitas autem ſubſtantiæ humiditas, & craſſities exiſtit.

*Cauſa palpitationis.*

Sane cauſam huius ſymptomatis ab his, quæ manifeſtiſſima apparent, indagari conueniet, nempe palpitationibus, quæ in palpebris, ſupercilijs, fronte, malisq; contingunt, nam in illis partibus palpitatio incidens apparet, & ideo conſpicitur etiam dilatatio, & compreſſio quædam ſimilis illi, quæ fit a natura in arterijs, & eadem quæſtio, quæ facta eſt de arterijs, nempe an arteriæ repleantur, quia dilatentur inſtar follium, an è contra dilatentur, quia repleantur inſtar vtrium, de partibus etiam palpitantibus fieri poſſet.

Sed quæſtio (inquit) genere quidem ſimilis eſt ei, quæ de arterijs facta eſt, ſed facilitate inuentionis eſt diſſimilis, quia nullum dubium faceſſit arterias repleri, quia dilatantur, particulas vero palpitantes dilatari, quia repleantur ab aliqua ſubſtantia in craſſum ſpiritum ibidem ſoluta, atque in ipſas inflante, implenteque, quæ de neceſſitate altera è duabus erit, vel enim erit ſuccus aliquis, vel aerea, & ſpirituoſa ſubſtantia.

*Cauſa palpitationis nõ eſt ſuccus.*

At quod ſit ſuccus, repugnat generationis, & ſolutionis celeritas, relinquitur igitur, quod cauſa palpitationis ſit aerea ſubſtantia humida quidem vaporoſa, & halituoſa, & craſſa, quæ per meatus non facile effluat, è partibuſq; palpitantibus cito excidat, ſic enim palpitationem non produceret.

Si enim ſpiritus æthereus tenuis, & purus foret, ac citra impedimentum tranſiens, neque repleret vnquam, neque euacuaret partes, craſſior autem, quàm meatus partium exigant, in quibus colligitur recluſus intus, ſi quidem concauitatem corpus obtinet, hanc replens, & excitat, & diſtendit regionem circumfluam, ſin minus inter duo collectus corpora, ab vno ad alterum tranſit adſcititium ſibi ſinum efficiens.

Hic ſane modus ſecundus dictus etiam in cute ſubinde palpitationes excitat, non cute ipſa concauitatem quandam in ſe ſortita, ſed in ſpacio, quod cutem, & corpora ſubiecta intercedit, ſpiritus tunc colligitur, prior autem modus in muſculis potiſſimum accidit, in his enim concauitates & multæ ſunt, & exiguæ.

*Vera & legitima palpitatio quæ.*

Et hæc eſt vera, & legitima palpitatio, quæque omnibus parti-

bus corporis,quæ dilatari poſſunt communis eſt, & propterea cor di etiam competit, & motus ſolius morbi dicitur.

*Notha palpitatio quæ.* Altera palpitationis ſpecies reperitur, quæ cordi, & arterijs tantum propria eſt, & a Gal.4.Aphor.65. motus palpitationi ſimilis vocatur, qui etiam dum eſt in corde pro cardiogmon, ideſt, cordis motu a quibuſdam intelligitur.

*Cauſa nothæ palpitationis.* Fitque dum facultas expultrix cordis inſurgit ad expulſionem rei cuiuſdam præternaturalis cor infeſtantis, ſubſequiturq; motus ad ſimilitudinem follium, qui replentur, quia dilatantur, & exinaniuntur, quia conſtringuntur.

*Vitiorum pulſus conſideratio uaria & ualde notanda.* Vbi ſciendum eſt, quod cum vitia pulſus modo conſiderentur inter diuerſas vnius, ſiue externi, ſiue interni ictus, ſeu appulſionis partes, vt circa diaſtoles, vel ſyſtoles partes tantum, interdum conſiderentur in partibus vnius perfectæ, atque integræ pulſationis, quæ conſtat ex duobus motibus, & duabus quietibus, comparando modo motum cum motu, modo quietem cum quiete, modo motum cum quiete; interdum conſiderantur in aceruo plurium pulſationum integrarum, & perfectarum, comparando eas inter ſe, vel earum partes cum partibus aliarum: iuxta has omnes differentias pulſus deprauari poteſt.

Quantum attinet ad primam differentiam, ſi dilatatio, vel compreſſio incipiat fieri tarde, poſtea ad naturalem ſtatum redeat, pulſus non dicitur deprauatus, ſed imminutus tantum, neque hac ratione palpitat.

Verum ſi incipiat moueri celeriter, poſtea ad naturalem ſtatum reuertatur, vel è conuerſo incipiat moueri naturaliter, & poſtea motionem acceleret, vel celeriter moueatur in principio & fine, naturaliter autem in medio, vt contingit in febribus putridis, tunc pulſus dicitur in vna eius parte, nempe in diaſtoles, vel ſyſtoles parte deprauatus, cum non tota diaſtole, vel ſyſtole ſit præter naturalis, & ſecundum hanc rationem dum dilatatur palpitare dicitur.

Si vero quo ad totam diaſtolem ſit celer, tardus vero quo ad ſyſtolem, pulſus dicitur deprauatus, & hac ratione palpitat.

At ſi è conuerſo quo ad diaſtolem ſit tardus, celer vero quo ad ſyſtolem, eſt quidem deprauatus, verũ non palpitat, cũ non deprauetur quo ad diaſtolem, in qua ratio palpitationis conſiſtit.

Si vero

Si vero quo ad ambos motus, vel quo ad eorum aliquem ſit tardus, quietes vero, vel earum aliqua ſit breuis, pulſus dicitur frequens, & ideo deprauatus, & hac ratione palpitat, idem dicendũ eſt ſi vterque contraria operetur, tunc enim pulſus eſt velox, & in his deprauatur, quo ad partes, vel vnius, vel plurium perfectarũ pulſationum, ſecundum quam rõnem ſimiliter palpitare dicitur.

At vero comparando diuerſas integras, & perfectas pulſationes ad inuicem, quarum vnaquæq; ex duobus motibus, dilatatione nempe, & conſtrictione, & duabus quietibus vtrumq; motum intercalantibus cõſtare, alias dictum eſt, vt ſi alia ſit maior, vel celerior, vel frequentior, quam ſint ſuccedentes, dummodo omnes cõparẽtur ad naturalem ſtatum, ita vt oẽs naturalem pulſus ſtatũ excedant, tunc ſimiliter pulſus dicitur deprauatus, ac palpitans.

Igitur pulſus immoderatus, & excedens, ſiue excedat omni magnitudine, ſiue aliqua tãtum, ſiue ſit cuiuſcumque magnitudinis expers, excedat tamen velocitate, vel frequentia ſola, vel ambabus ſimul iunctis, ſiue ſit inter perfectas pulſationes, ſiue in earum partibus, vel particulis, dicitur deprauatus, & palpitans.

Quod ſignificare voluit Gal. dum multis in locis definiens palpitationem in communi dixit, eam eſſe dilatationem in particula, in qua fit, nec quicquam refert, ſi vnà cũ deprauatione adſit etiã æqualitas, aut inæqualitas, aut ordo, aut inordinatio, cũ ſit quid per accidens palpitationi adiunctum extra eius eſſentiam.

Sic igitur cordis, & arteriarũ attractrix, & expultrix operatur, ſed deprauate propter vſum auctum, ideo harum partium operationes in prima ſignificatione a Gal. poſita 6. de plac. cap. 1. dicendæ ſunt, quatenus ſunt motus facultatis.

Similiter expultrix, vt noxiam cauſam expellat, mouetur, hinc pulſus cordis, & arteriarum fit velox, & frequens, ſed de motu palpitationis, vt in arterijs reperitur, vel etiam vt vitio aneuriſmatis in aliqua corporis parte excitatur, ſermonem habere non intendimus, ſed de motu cordis tantum eo modo, quo dictum eſt, quam palpitationis ſpeciem nec veram, nec legitimam vocãt, ſed notham, & potius motum palpitationi ſimilem.

Hinc primo colligo non ineptè Altimarum agentem de palpitatione cordis propoſuiſſe tantum illam, quæ fit à flatu craſſo, tãquam quæ vera, & legitima ſit, alteram vero, vt notham neglexiſ- *Altimarus defenditur contra Moder nos.*

ſe ſub nomine palpitationis,quam tamen non prætermiſit, cũ ipſe fateatur vnà cum Gal.4.Aphoriſ.65. ſupra allegato,illam dari, & oriri poſſe,quam etiã ſub nomine cardiogmon intellexit, eſtq; maximus affectus, & indicat cor maximo incendio laborare, & febris vocatur cardiaca, ideo cor velociter,& frequẽter mouetur.

*Recte carpitur Auicen.ab Altimaro.*

Colligo ſecundo recte ab Altimaro carptum fuiſſe Auicẽ. qui palpitationem cordis tremorem vocauit,nam ſiue de legitima,ſiue de notha palpitatione Auicẽ.loquatur,nulla poteſt propriè ad tremorem reduci, vt Gal.in lib.de tre.palp. con.& rig. de legitima diffuſe demonſtrat, & breuibus,& dilucide de notha demonſtratur, quia motus in notha palpitatione attinet ad naturales facultates cordis,tremor autem partim eſt motus facultatis animalis, & partim membri, vt corpus graue eſt.

*Tutela Auicen.*

Colligo tertio Auicen.ex parte tueri poſſe, quoniã per tremorem ipſe non intellexit verum tremorem,& qui (vt dictum eſt) ſit motus partim facultatis animalis, & partim corporis grauis, ſed intellexit motum iectigatiuum cordi accidẽtem, quem ſignificat pulſus diuerſus in diuerſitate ſenſu percepta ſecundum magnitudinem, & paruitatem,velocitatem, & tarditatem, raritatẽ,& frequẽtiam,& multoties aſſimilari ait pulſui aſthmaticorum,& intellexit illum motum, quem nos palpitationem vocamus, ita vt diſcrimen totum poſitum ſit in verbis.

Rectius tamen loquutus eſt Altimarus cum Gal.quàm Auicẽ. ſed forſitan error magis interpreti eius àttribuendus eſt.

*Pulſationum cõuenientia in forma.*

Cæterum iſtæ duæ palpitationis ſpecies conueniunt in forma, quia tam legitima quam notha eſt immodica dilatatio, ſimiliter conueniunt in ſubiecto,quia vtraque accidit cordi, attamen differunt in cauſa efficiente, quia in legitima palpitatione mouens, vt dilatat tantum, eſt toto genere præter naturam, cum ſit flatus craſſus, ob quem, vt ob errorem externum, cor læditur,in nothà autem cauſa mouens, vt dilatat, & conſtringit eſt naturalis pulſatrix cordis fruſtrata, quæ interdum fruſtratur ob morbum,interdum ob errorem externum,vt infra apparebit, dum de cauſis externis earum vberrime diſſeretur.

PRO

# PROPONVNTVR, ET SOLVVNTVR *rationes quædam, quæ legitimam cordis palpitationem euertere videntur. Caput Trigeſimum.*

SED licet vera,& legitimá palpitatio cordis in ani malibus admittenda ſit, ſatisque Gal.& ipſe rerū euentus id oſtenderit, licet non ſit ita frequens, nihilominus an cordi contingere poſſit,non eſt ita apud omnes compertum.

Quidam enim viri doctiſſimi acerrime contendunt,legitimam palpitationem in corde non habere locum, aiūt enim,in viſcere calidiſſimo nequaquam poſſe tantam copiam flatus colligi, aut aliunde tranſmitti, quin protinus ab ipſius calore intenſiſſimo non diſſoluatur, atque extenuetur, vel protinus expellatur,ſiue ibi ſtatuatur generari,ſiue aliunde ex dextro ventriculo cordis per foramina ſepti proficiſcatur, ſiue ex toto, vel ab aliqua alia parte per magnam arteriam tranſmittatur. *Legitima palpitatio euertitur a quibuſdam.*

Aiunt præterea ſi per ipſum ſiniſtrum ventrem ingrediatur flatus in diaſtole, cur ſubinde in ſyſtole per eandem arteriam magnam, vel aliqua ex parte per arteriam venalem vna cum excrementis fuliginoſis non expellitur ?

Vel ſi a pulmonibus tranſmittatur per arteriam venalē ad cor, fieri non poteſt quin flatus in tanta copia a pulmone tranſmiſſi prius non induxerit orthopnęam,præterea addunt impoſſibile eſſe, vt in arterijs tanta flatus copia gignatur non abolito earū motu,& ad cor in tanta copia tranſmittatur, vt ad vtrium ſimilitudinem diſtendatur.

Similiter arguunt,ſi prauus hic motus eſſet motus ſolius morbi,ergo naturalis cordis motus eſſet penitus abolitus, & ex conſequenti innatus calor omnino deficeret, his præcipue rationibus conantur a corde euertere verám & legitimam palpitationē, quæ fit a flatu craſſo.

Quibus tamen non obſtantibus aſſerimus nos eam etiam in corde habere locum,propterea de ea loquens Gal. aſſerit in arterijs,& corde fieri poſſe,& locus eſt in 2.de ſympt.cauſ.cap. 2 & in *Legitima palpitatio defenditur ꝑ Galenum.*

2. Hipp. de humor. t. 33. quem diligenter conſiderent illos rogo, qui contrariam ſententiam tuentur, loquitur enim ibi Gal. de palpitatione, quæ fit à flatu craſſo, ergo conſiderat pulſationem Gal. non in forma, ſed vt a flatu, & ab efficiente producitur, & ait eam in arterijs, & corde fieri, & motum eſſe alium in his præter pulſus motum, nam ait vnoque verbo in omnibus, quæ diſtendi, dilatariq; poſſunt, ita vt tum arterijs, tum cordi ipſi videatur incidere, aliuſque in his præter pulſum motum eſſe, quia eſt motus factus a flatu craſſo, quem motum alibi ſolius morbi vocauit.

Quod autem eam Gal. admittat confirmatur, quia ibid. & lib. de tre. palp. con. & rig cap. 5. ait eã attenuãtibus curari, & ſi quis dicat vapores calidos diſcutientibus etiam tolli, verum eſt, attamen calefacientia ita cauſæ officiunt, vt non ſit credendum hunc curationis modum a Gal. in hoc propoſito adhiberi, & præcipue, quia notham palpitationem ſanguinis miſſione curat.

*Reſponſio ad rationes legitimam palpitationẽ auertẽtes.*

Nec difficile eſt eorum rationibus reſpondere, nam dum aiunt in corde viſcere calidiſſimo nequaquam poſſe colligi, aut aliunde tranſmitti tantam copiam flatus, quin potius ab eius calore non diſſoluatur, cum intenſiſſimus ſit.

Reſpondemus quantum ad collectionem attinet, concedendo paucam, aut nullam flatuum collectionem fieri poſſe, dum cor eſt ſecundum naturam diſpoſitum, & quo ad proprium temperamentum, & quo ad temperamentum humorum, quos continent eius ſinus.

Similiter concedimus flatus in eius ventriculis contentos facillime poſſe diſſipari, dum ſint pauci, & non multum craſſi, & calor cordis viget, at dum cor frigido aliquo affectu, vt ſæpe hyſtericis mulieribus contingit, aut multo magis dum intemperie frigida laborat, ac etiam cum præſentia materiæ frigidæ, tunc non eſt inconueniens, quod flatus copioſi in eius ventriculis colligantur, ac ob eius imbecillem calorem palpitet.

Ideo Gal. 14. meth. cap. 7. hæc eadem meditans ait, quippe vbi tum inſitus calor validus eſt, tum partis humiditas ad ſummam cocta, vtique in tenuem halitum ſoluta inſenſibili tranſpiratu in ambientem effluit; contra vbi vel ingenitus calor imbecillior eſt, vel naturalis humor tũ ſemicoctus, tum craſſus, tum glutinoſus, ibi craſſior excitatur halitus.

Quan-

Quantum vero ad receptionem flatuum aliunde in cor irruentium, concedimus hoc euenire poſſe, quod etiam affirmat Gal. 2. ad Glauc. cap. 7. dicimus tamen legitimā palpitationem hoc modo nequaquam fieri, quia ad hoc, vt legitima palpitatio, generetur, debet flatus in particula palpitante generari.

Et propterea Gal. loquens de generatione eius, ait ſemper eā fieri à flatu ibidē genito, & in particulā palpitante producto, non autem aliunde tranſmiſſo, vt patet 2. de cauſ. ſympt. c. 2. vbi ait, hæc eadem in conuulſione accident, tum ſpiritu flatuoſo in muſculis gigni potente, & ibid. prope finem ait, ſimili autem modo, & muſculi, cum ſimile in his excrementum colligitur, dilatati aliquando totum membrum attulerunt. *Legitimā palpitatio quomodo generetur.*

Et lib. de tre. pal. con. & rig. cap. 5. ait palpitationum cauſam eſſe pronuncio ſpiritum craſſum, & vaporoſum, cui non ſit tranſitus, hunc autem colligi oportere dico in concauitate quadam.

Et ibid. paulo poſt ait, iam pleriſque hominum non raro palpitationes in ſola cute euidenter fieri apparent, cum vaporoſus ſpiritus in aliqua ipſius particula generatus retinetur.

Idem teſtatur celeritas generationis, & ſolutionis eius, quia ſi celerrimè generatur, & celerrime ſoluitur, ergo ſtatim cum in particula genitus eſt, ibi ſoluetur, & hac ratione palpitationem producit, qui ſi diuturnitatem exiſtentiæ ſuæ haberet, inflationē produceret, non palpitationem. Nō igitur aliunde in particulā palpitantē tranſmiſſus ſoluitur. Satis itaq; conſtat ex ſentētia Gal. palpitationē fieri a flatu in particula genito, non aliūde tranſmiſſo.

Sed fortaſſe decepti ſunt a verbis ipſius Gal. dum ibid. ait, ſinus inter duo collectus corpora ab vno ad alterum tranſit, adſcititium ſibi ſinum efficiens, at ibi Gal. non vult quod flatus ab vno ad alterum ſinum tranſeat, ſed vult, quod flatus ab vno eiuſdem ſinus pariete (cum ſinum duo corpora ſibi propinqua conſtituant,) ad alteram parietem tranſeat, & ita adſcititium ſibi ſinum efficiat. *Cauſa deceptionis eorum.*

Similiter ſæpè ait flatum influere in particulam palpitantem, ſed hoc intelligitur, vt flatus ab vna parte ipſius ſinus influat in alteram, non igitur perfecte palpitationis generationem, neque Gal. mentem aſſequuti ſunt, qui credunt a flatibus aliunde tranſmiſſis palpitationem fieri.

Quod

*Cor varijs et contrarijs intemperantijs corripi poteſt.*

Quod vero non ſolum varijs,& diuerſis intemperantijs cor corripiatur, verum etiam poſſit contrariam ſibi ipſi qualitate materiam in finibus proprijs continere, teſtatur Gal. in 3. de præſag. ex pulſ.cap.3.dicens,nonnunquam percipitur in corde huiuſmodi pugnantia temperamẽtorum,nam modo frigidius viſceris corpus æquo eſt, & in ventriculis contenta ſubſtantia calidior, modo è diuerſo,ſubſtantia frigidior, cor autem calidius,vbi etiã pulſus fiũt moderatis ſimiles, nam medius quodammodo ſtatus hic efficitur ex duobus contrarijs conflatus,qui ſane affectus,vel optimos medicos fallunt, quod nunc quoque in maxima peſtilentia accidit.

Interdum coniungitur contrarietas temperamentorum inter cor,& arterias, vt ibid.cap.4.ait, nam ſi cor ſit frigidius, hæ autẽ calidiores æquo ſint,cordis pulſum tantum alterabunt,quantum de natura deſciuerint.

*Cum intẽperantijs iungitur etiam materia.*

Interdum etiam vnà cum corde frigido adſunt ſucci frigidi, quibus refrigeratur, ideo ibid. paulo poſt Gal. ait,iam clarum eſt vacare hos affectus febre refrigerato duntaxat ipſo corde a ſuccis frigidis,ijſdemque lentis,& craſſis.

Et ibid.paulo poſt ait, verum arteriæ ſi quando fiat, vt perinde, atque cor frigidiores iuſto ſint, augebunt remiſſionem eius motuum,in eodem retinentis genere, vt cum tardius cor, minuſque,& rarius,quàm naturę lex poſtulat,pulſet,illæ etiam hoc pulſent tardius minus,rariuſque,& vero etiam languidius.

Accidit vero aliquando iam frigidius iuſto cor eſſe ſimul,& fumoſorum plenum excrementorum, quo tempore pariter, & minor,& rarior fit diſtentio, contractio celerior, & ibid. non multo poſt ait,quare ſi nec adſint indicia, quibus noſcuntur hi affectus, nec hectica inæqualitas, & ſtabilis duret,intemperies exiſtimanda eſt inæqualis in cordis corpore eſſe.

*Duplex inæqualis cordis intemperies.*

Quæ cum etiam ſit duplex,altera in ſuccis eius proprijs,altera in partibus ſolidis, illa ex ſuccis profecta vna cum totius corporis palpitatione fit, hæc ex ſolidis partibus abſque palpitatione.

Et paulo infra ſubiungit, atque his ſignis cordis inæqualis intemperies dignoſcitur,& diſtinguitur à ſimilib. affectibus, ſi qua ſit alia intemperies viſceris,vt aliam ipſum corpus temperiem habeat,aliam ſanguis, & ſpiritus, qui ſunt in eius finibus, inæqua-

les

les pulſus nunquam efficiet, ſed ex affectuum confuſione mediũ quendam ſtatum ſortiuntur, confuſione affectuum modo prorſus inter ſe contrariæ ſunt, modo non prorſus, prorſus dico affectus contrarios inter ſe temperamento, vbi quo calidior moderato alter ſit, hoc ſit frigidior alter, non prorſus, vbi alter plus altero deflexerit.

*Alia differẽtia in temperiei.*

Poteſt etiam, ſi eiuſdem ambo generis ſint, in quantitate eſſe differentia, cum vel calidius cor ipſum ſit, quam materia in ſinibus contenta, vel cum materia multum, cor autem parum a naturali ſtatu receſſerit, & frigidius item corpus cordis poteſt eſſe, vel materia.

Idem habet Gal. eod. lib. cap. 5. vbi docet quales pulſus ſint, dum cor calidius, & vicina ei frigidiora, & e contra dum cor frigidius, & vicina calidiora extiterint.

*Cor varie, & differẽter afficitur.*

Quibus in locis apparet quàm varie, & differenter cor afficiatur, & quàm contrarijs intemperantijs, non ſolum comparatũ ad partes ſibi proximas, quas vicina appellat Gal. atque ad ipſoſmet humores, & ſpiritus, quos in proprijs eius ſinibus continet, verum etiam comparatis partibus eius ſolidis inter ſe.

*Cor poteſt halitus frigidos admittere.*

Quid igitur mirum, quod cor halitus frigidos interdum admittat in eius ventriculis genitos, quos ob frigidam eius intemperiẽ, vel etiam abſque intemperie ob frigidum eius affectum non ita cito diſſoluere poſſit, atque hi generationem acceperint ex humoribus frigidis, & craſſis, vel in toto corpore, vel in aliqua parte cordi vicina genitis, ſiue ob frigidam intemperiem totius, vel partiũ, illorum generationi præſidentium, ſiue ob malam victus rationẽ, fuerintque poſtea in cor recepti, in quos tandem agens proportionatus calor cordis eleuet huiuſmodi halitus in ventriculis cordis, & ita palpitationem a flatu craſſo producat?

*Reſponſio ad argumenta aduerſantiũ.*

Et ſic dum quærunt, quare iſti halitus per diaſtolem ingreſſi vẽtriculos cordis, non ſubinde per ſyſtolem educantur per arteriam magnam, vel aliqua ex parte per arteriam venalem vna cum excrementis fuliginoſis expientur, manifeſtant, parum ſibi eſſe notam palpitationis generationem, quia in palpitatione flatus non generantur (vt ſuper dictum eſt) extra partem palpitantem.

*Quæ æquior quæſtio ſit, & eidem facilis reſponſio.*

Ideo æquior quæſtio fuiſſet, ſi quæſiuiſſent tantum, quare halitus geniti non ſtatim ab ipſo corde expellantur, vel ab eius calo-

re

ſe non diſſoluantur, quibus tamen prompte reſponſum fuiſſet, quod illud vtique contingit ob imbecillitatem facultatis expultricis cordis, quæ impos eſt ad tam validam repulſionẽ, & diſcuſſionem moliendam, attenuantur tamen, & diſſoluuntur tandem a calore quanquam imbecilli, dummodo proportionem ſeruet maioris inæqualitatis, quod niſi fieret protinus animal interiret, quod fortaſſis vt plurimum contingit, & præcipue illis, qui frequẽter, & fortiter, & abſque manifeſta cauſa exoluuntur, qui etiã derepente moriuntur, his etenim maior eſt prouẽtus flatuum a craſſis, & frigidis materijs elatorum, quam ſit eorundem diſſolutio, ideo ab his calor ille iam exiguus effectus extinguitur.

Præterea apparet parum obeſſe illud quod obijcitur, quod pręcederet orthopnęa illi palpitationi, quæ fit a flatibus a pulmone ad cor tranſmiſſis, quia iam dictum eſt hunc non eſſe modum generationis palpitationis.

Si vero idem obijciant de materijs craſſis, reſpondendum eſt, quod ſi materia eſt in aſperis arterijs pulmonum, vtique contingit orthopnęa; ſi vero ſit in leuibus, tunc ſola inæqualitas pulſus apparet, vt contigit Antipatro medico, cui tandem tranſmiſſa materia a leuibus arterijs ad aſperas, non ſolum leui quadam ſpirandi difficultate correptus fuit, ſed etiam palpitatio ſubſequuta eſt, imprimis quidem ſemel, deinde bis, atque ter, poſtea quater, ac ſæpius quoque auctaque ſimul ſpirandi difficultate ad quindecimum vſque diem, poſt quem difficillima de repente oborta reſpiratione exolutus ſtatim obijt.

Addunt tandem, ſi prauus hic motus eſſet ſolius morbi, ergo motus naturalis cordis eſſet abolitus, cui reſpondetur negando conſequentiam, quia dato quod tota diaſtole ſit motus ſolius morbi, tamen relinquitur poſt diaſtolem tota ſyſtole, vt motus facultatis, quę niſi ſuccederet ſtatim animal moreretur, ergo motus naturalis nõ eſt ablatus, cum manifeſtetur in ſyſtole; præterea non ſemper tota diaſtole, quæ in legitima palpitatione in corde tactu percipitur, eſt motus ſolius morbi, ſed interdum eſt motus facultatis cum morboſo confuſus, quod vero motus facultatis cõueniat interdum cum morboſo, patet, quia, quo tempore ſit motus morboſus in corde, eo tempore, vel proxime arteriæ extra cor pulſant, licet languidiſſime, quare cum motus arteriarum tunc

ſit

ſit motus facultatis, ergo cor etiam eodem motu mouetur.

Quia ceſſante motu in corde, neceſſario ceſſat etiam in arterijs, igitur dum in arterijs conſpicitur, neceſſario fatẽdum eſt etiã in corde, tanquam in origine motus, reperiri, quo ſatisfit neceſſitati euentandi exiguum illum calorem, qui in male affecto corde reperitur, cui niſi ſatisfactum eſſet per miſtũ illum motum, mors procul dubio ſubſequeretur. *Ceſſante motu cordis ceſſat motus arteriarum.*

Interdum etiam vterque motus per ſe fit, ideo tunc cor per ſe ſuum naturalem motũ obit, ſed cum ſit tactui inſenſibilis, & ſumme paruus, & languidus, morboſus vero magnus, ideo ſolus morboſus tactu percipitur, quod ſi cor nudatum videri poſſet, tũc interdum viſui ſenſibilis appareret ſolus motus morboſus, dum naturalis cum eo confunditur.

Interdum etiam ſolus motus facultatis, dum forte confuſio nõ incidit, quia cum cor viuat, de neceſſitate mouetur a virtute pulſatili, vt primo de præſag. ex pulſ. cap. 3. ait Gal. igitur ſi dum facultatis motus imminet morboſus forte exurgat, excipiatque motum facultatis, hic neceſſario cogitur occultari a morboſo quẽadmodum ſi morboſus aliquantulum moretur, ita vt inſurgat neceſſitas naturalis motus, tunc protinus etiam facultatis motus exurgit, qui oculis conſpicuus videretur licet valde remiſſus, ideo, cũ hic motus morboſus modo per ſe, modo cum naturali valde exiguo, & imbecilli ſatis vſum refrigerationis impleat, natura, quæ ſolum ob hãc neceſſitatem immediate mouet, ceſſat a maiori motu, vt 3. de præſag. cap. 4. ait Gal. & hac ratione naturalis eſt paruus, & exilis, vt oſtendunt arteriæ in carpo.

Sic itaque naturalis pulſatio cordis non debet dici ablata, niſi ad ſenſum tantum, differt tamen ſyſtole à diaſtole, quia ad ſyſtolem perficiendam concurrit ſola facultas expultrix ſemper impermiſta, quæ niſi moueret, & flatus expelleret, quam primum animal moreretur, quod etiam, vt plurimum in legitima palpitatione contingit. *Differẽtia ſyſtoles a diaſtole.*

At ad diaſtolem perficiendam, interdum vterque motus permiſcetur, interdum vterque impermiſtus mouet, vt dictum eſt.

Sed poſſet quis dubitare, quomodo ſupra ſit dictum in legitima palpitatione diaſtolem eſſe motum ſolius morbi, hic autẽ dicatur concurrere ẽt aliquãdo motũ facultatis vna cũ eo cõmiſtũ. *Dubitatio*

Cui

*Reſponſio* Cui reſpondetur, quod pro palpitatione facienda cõcurrit motus ſolius morbi, qui ſufficit ad eius conſtitutionem, & licet eo tẽpore interdum etiam facultas moueat, tamen ille motus non producit palpitationem, nec ad eam attinet.

*Declaratio verborum Galeni dũ agit de operatione & affectione.* Nec difficile eſt reſpondere authoritati Gal. 6. de plac. cap. 1. quia ibi Gal. non intendit enumerare ſpecies palpitationis, ſed tantum diffinire, quid ſit operatio, & quid affectio, & quotuplex ſit ambarum ſignificatus, ideo dicit operationem eſſe motionem facultatis operantis, affectionem vero eſſe motionem ex alio in aliud, & hæc interdũ ſola ratione differre ait, quia, quæ ab incidẽte in re inciſa diuiſio efficitur, etſi vnum, & idem ſit realiter, tamẽ incidentis operatio, rei vero inciſæ affectio dicitur.

Eodem modo dicitur ira iracundiæ operatio, reſpectu vero facultatis naturalis, & animalis, vel totius viuentis affectio dicitur, cum ab ira ad actiones violenter impellimur, & hic eſt primus eorum ſignificatus.

Alter vero non attenditur amplius penes facultatem operantẽ, & ſubiectum operationis: ſed penes modum operandi, qui eſt eſſe naturaliter, vel præter naturam factum, ita vt licet operatio pendeat a facultate, tamen quotieſcunque irritata operatur præter naturæ leges, & modos, tunc non amplius operatio dicenda erit, ſed affectio.

Hoc autem vt clarius pateat Gal. exemplo motus cordis oſtendit, & ait, ex corde quidem eſt etiam, quæ ex palpitatione fit motio, non tamen ſecundum naturam, ex eodem eſt pulſuum agitatio, ſed ſecundum naturam, ideo, quatenus hic motus eſt ſecundum naturam, eſt operatio in ſecunda ſignificatione, at quatenus eſt motus præter naturam, eſt affectio in eadem ſecunda ſignificatione.

Et paulo poſt ait, nam quamuis in eiuſmodi pulſibus cor ex ſe ipſo moueatur, dicitur tamen affectio in ſecunda ſignificatione, quia ſecundum naturam non mouetur.

Hinc ſequitur (inquit) quod vnus, & idem motus poterit ſimul, & ſemel reſpectu tamen diuerſorum ſignificatuum, dici operatio, & affectio, nam minor naturali pulſus, quatenus a facultate eſt factus, dicitur operatio in prima ſignificatione, quia eſt motus ab agente licet læſo, dicitur etiam affectio, ſed in ſecunda ſignificatione,

catione,quatenus eſt motus præter naturam factus,quas ſignificationes Plato etiam in 4.de repub.accepit,dum famem,ſitim,libidinem, denique & iram modo operationes, modo affectiones vocauit.

Cum igitur Gal. tranſiens ad ſecundum ſignificatum intẽdat docere differentiam inter operationem, & affectionem in ſecundo ſignificatu acceptam,quæ deſumitur,non à differentia operantis,cum vtriuſque ſit idem operans, ſed a differentia modi operãdi,cogitur aſſumere pro exemplo motum cordis attinentem, non ad legitimam palpitationem, qui eſt motus ſolius morbi, & cui nullo pacto competere poteſt modus operandi ſecundum naturam, ita vt dicatur operatio, ſed motum attinentem ad notham, in quo edendo idem quidem eſt operans, ac ſit in motu ſecundũ naturam,vt facultas pulſatrix, ſed diuerſus eſt operandi modus, ideo motus in notha palpitatione,vt eſt a facultate, eſt naturalis, & operatio dicitur,vt vero eſt præter naturam factus,non eſt operatio,ſed affectio in ſecunda ſignificatione.

Quare hic Gal. non docet ſpecies palpitationis, ſed ſignificationes operationis,& affectionis,& ad euidentiam exemplum de notha palpitatione deſumptũ tradit,nihil igitur adducta authoritas probatq́, licet Achilles ſibi eſſe videatur.

*Hic Galenus nõ docet ſpecies palpitationis, ſed ſignificationes operationis, & affectionis*

Cum igitur duæ palpitationis ſpecies reperiantur,legitima nẽpe,& notha, ideo iure dictum eſt palpitationem eſſe immoderatã dilatationem,vt hoc tanquam proximum genus, & forma communis vtramque ſpeciem complectatur, immoderata enim dilatatio proximè,& æque de vtraque prædicatur communiter loquẽdo, proprie autem non æque ſpecifica ratio eius vtrique cõpetit,alia enim eſt natura dilatationis immoderatæ,quæ legitimæ, & alia,quæ nothæ palpitationi competit, nam differũt penes cauſam,quia legitima palpitatio ſecundum diſtentionem ſemper pẽdet ab errore externo,ſecundum contractionem vero, quæ dilatationi ſubſequitur,imitatur notham,quæ ſecũdum vtrumque motum pendet a facultate pulſatili fruſtrata,& per immoderatam dilatationem animaduertendum eſt non eſſe intelligendam ſolam vẽtris cordis immoderatam diſtentionem penes eius magnitudinem tantum,ſed etiam audiendam eſſe immoderationem in velocitate & celeritate,ſiue horum omnia,ſiue aliqua tantum adſint.

*Quid per immoderatam dilatationẽ ſit intelligendum.*

PAL-

## PALPITATIONIS CORDIS CAVSAE proximæ. Caput Trigeſimum primum.

*Cauſæ legitimæ palpitationis, quæ ſint.*

VEL igitur palpitatio cordis eſt legitimá, vel nothá. Si legitima, pendet a flatibus, violēta & nimia mole ventriculos cordis diſtēdentibus, qui interdum generántur ob errorem externum, hoc autem fit quotieſcunque flatus eleuantur a materia frigida, quæ aliunde attractá, vel tranſmiſſa in ventriculos cordis confluxerit.

De hac enim palpitationis generatione dicendum eſt non ſecus, ac de chylificatione lęſa ob copiam, vel prauitatem ciborum, quia, vt Gal. ait in 1. Hipp. de Hum. t. 12. Et de cur. rat. per ſang. miſ. cap. 5. quemadmodum in ventre frequenter prauæ fiunt coctiones, his quæ aſſumpta ſunt in pituitam, aut bilem conuerſis, aliamue præter naturam corruptionem perpeſſis, aut crudis, & alterationem expertibus plurimo tempore manentibus, & in flatū verſis, ita vbi ſanguinis fraudamur generatione affectiones humorum in arterijs, veniſque proportione reſpondebunt his, qui á fruſtrata in ventre coctione proueniebant.

*Comparatio læſionis cordis ad ventriculi læſionē.*

Vt igitur poteſt lædi ventriculi chylificatio ob errorem externum, vt vocat, 3. de cauſ. ſympt. cap. 1. ita in ſpirituum vitalium elaboratione poteſt vitio ſanguinis frigidioris fruſtrari alteratrix cordis, & flatus in corde generari, quia vt Gal. 14. meth. c. 7. ait, vbi tum inſitus calor validus eſt, tum partis humiditas ad ſummū cocta, vtique in tenuem halitum ſoluta inſenſibili tranſpiratu in ambientem effluit.

Cōtra vbi, vel ingenitus cálor imbecillior eſt, vel naturalis humor tum ſemicoctus, tum craſſus, tum glutinoſus, ibi craſſior excitatur halitus, quam vt tranſpirare poſſit, ac ſicubi particula ipſa denſior eſt reddita.

Similiter in magno igne ligna viridiá crepitus edunt, ita igitur calor cordis, quamuis validus, a ſanguine craſſo, & frigido, & glutinoſo poteſt eleuare flatus ſola mole lędentes & legitimam palpitationem in corde producere.

Idem aſſerit Auicen. 13. 3. tractat. 5. capit. 1. dum ait. Vel flatus

Vel flatus generantur a calore cordis imbecilli, qui vel eſt talis propter frigidum affectum, qui adhuc permanens diſpoſitio non eſt, ſed fouetur a ſua cauſa, & ita non eſt morbus, vt 3. de loc. aff. cap. 1. ait Galen. & dicitur læſio ob malam cordis affectionē, vel eſt imbecillis propter intemperiem morboſam, & factam, talis nō poteſt eſſe niſi frigida, & hæc eſt cum materia, & ſimiliter ſola mole lædit. *Differentia affectionis morboſa ab affectione non morboſa.*

Si igitur flatus generentur in ventriculis cordis vitio ſanguinis, hic non poteſt eſſe niſi pituitoſus, vel melancholicus, vel vterque vnà permiſtus, cuius generatio infra patebit.

Si ergo in corde generentur flatus ob imbecillitatem caloris, hic imbecillior fit a frigore, quod ſiue ſit qualitas mutata tantum, vel morboſus affectus, & intemperies frigida generatur, vel a cauſa interna, vel ab externa, ſi ab interna, hæc vel continetur in toto corpore, & poteſt eſſe humor pituitoſus, vel melancholicus, vel vterque, cuius generatio ſimiliter infra patebit. *Cauſa generans flatus.*

Vel continetur in aliqua parte, quæ veluti vicina cor refrigerare poſſit, & cum ea cor conſentiat, talis poteſt eſſe pulmo morbo frigido affectus, vt Gal. ait. 4. de præſag. ex pulſ. cap. 2. vel ventriculus valde refrigeratus, & vterque vel ob ſimplicem, vel compoſitam intemperiem, vel etiam cum pręſentia pituitæ acidæ, vel vitreæ, vt in bulimo contingit, quemadmodum Galen. ait 1. de ſymp. cauſ. cap. 7.

Vel cor refrigeratur, quia conſentiat cum pericardio multam aquæ quantitatem continente in cauitate eius, vel ob aliquē eius tumorē ſiue ſcyrrhoſum, ſiue qui aquam contineat, qualem hydatidæ ſeruare ſolent, vel quia cōſentiat cum vtero, dum ſanguis menſtruus, vel quod grauius eſt, dum ſemen retinetur, quod magis naturam veneni frigidi imitatur, vt 6. de loc. aff. cap. 5. ait Galen. vel conſentiat cum iecore perfrigerato, vel cum materia, vel citra eam.

Si vero frigiditas cōmunicetur cordi à cauſa externa, vel pendet a frigida reſpiratione, vt Galen. ait primo de præſag. ex pulſ. cap. 4. quemadmodum contingit his, qui per loca frigidiſſima, niue, & glacie obducta iter fecerunt.

Vel oritur a veneno frigido aſſumpto, vt eſt opium, mandragora, hyoſciamus, & alia huiuſmodi, vel ab alimento frigido, vt eſt

lactucæ, portulaca, lac, potio frigida, & ſimilia, quæ poſſunt cordi ſubminiſtrare flatus ſola mole lædentes.

*Cauſæ nothæ palpitationis enumerantur.* Si vero notha palpitatio incidat, cum hæc pendeat a facultate fruſtrata, propter aliquod præter naturā augens vſum, ſeu irritans cor ad prauum motum edēdum, igitur cauſa irritat, vel nimia mole, vel pondere aliquo, vel morſu, vt Galen. ait 3. de nat. facult. cap. 12.

Ex quo elicitur, cordis motus oēs tam naturales, quam præternaturales, ſiue attineant ad legitimā, ſiue ad notham palpitationē ſupponere aliquem affectum poſitiuū in corde, ſiue ſit affectio, ſiue ſit morbus, dilatatione cordis excepta, quę in legitima palpitatione cōtingit, quę pendet a flatibus, tanquam ab errore externo.

Ideo cauſa priuatiua, ſeu defectus ſpirituū influentium non poteſt eſſe cauſa immediata, & vt Gal. ait, continens nothæ palpitationis, vt quidā ſtatuunt, quia oē irritans, vel mole nimia, vel pondere aliquo, vel morſu irritat, ſed hoc hēt eſſe poſitiuum, non aūt priuatiuū, ergo cor nothæ palpitationis particeps ab aliquo actu exiſtente irritatur, quare affectus cauſam poſitiuam ſupponit pro immediata, ſiue ſit affectio ſiue morbus. Quod optime cognouit Auicē. dum. 11. 3. t. 2. c. 1. de nota palpitatione loquens, dixit eius cauſam eſſe omne id, quod lædit cor ex his, quæ ſunt in eo.

Similiter Gal. ad hoc reſpiciens 3. de præſag. cap. 1. dixit, non poſſe pulſum mutari vllum, vt in 1. de cauſ. pulſ. cap. 1. oſtēdit, niſi ēt effectrix eius cauſa, vel tunicæ arteriarū, vel vſus, ob quē fit, in aliqua ſit mutatione, quia facultas nō mouetur, niſi ab organi affectū, nec vſus mutatur niſi per præcedentē in corde alterationē, & propterea diximus cauſam eius continentē eſſe vſum auctum vel a mole, vel a pondere, vel a morſu ortum.

*Cauſæ continētis procatrix cauſa, quæ ſit.* Sitæ aūt tres cauſæ, nimia moles, pondus, & morſus neceſſario reducuntur vel ad accidens, vel ad ſubſtantiā, ſi ad accidens tunc cauſa ſolo morſu irritat, & illud attinet ad qualitatē, quæ vel eſt

*Vel eſt ſpiritualis.* ſpiritualis, & eſt eximius ſenſus cordis, & excitatura qualibet vētoſitate generata, aut in ſpatio, quod eſt inter cor, & panniculum, aut in corpore panniculi, aut in vena cordis, & ex qualibet qualitate calida, vt ait Auicen. 11. 3. tract. 2. cap. 1.

*Vel materialis occulta per intus.* Vel qualitas eſt materialis, & hæc vel eſt occulta, & pendet a venenis, quæ vel per os aſſumuntur, & ſunt deſumpta vel a mine-

ralibus,

raſibus,vt ab arſenico,hydrargyrio,lythargyrio,vel a plantis, vt a napello,aconito, doronico, vel ab animalibus, vt ab excremento viperæ, aſpidis, ſcorpij, & ſimilium.

Vel extra admouentur, vt ſunt hæc eadem, quæ ita potenter corpus animatum, & cor alterant, vt vel palpitatio generetur, & prædicta ſolo morſu lædant, vel ſpiritus vitales corrumpantur, ac interdum derepente mortem inferant. *Vel per externas partes admota.*

Vel qualitas eſt manifeſta,& eſt calor,quia loquimur de notha palpitatione, quæ a nudis qualitatibus pendens non poteſt niſi a calida oriri, & hæc vel excitatur a cauſa ad animam attinente, vt ab ira, gaudio, mœrore, ſolicitudinibus, anxietate,curis,his enim mediantibus ſpiritus hinc inde, modo a centro ad circumferentiam, modo è contra, a circumferentia ad centrum recurrētes incaleſcunt; & calore cordi communicato, oritur palpitatio cordis, a ſolo morſu pendens, quam conſequuntur febres ephemeræ. *Vel manifeſta & attinet ad animum.*

Vel excitatur a cauſa attinente ad corpus, quæ vel eſt poſitiua, vel priuatiua, ſi poſitiua, vel attinet ad totum corpus, & poteſt eſſe motus calorem generans,vt contingit in curſu nimio,vel alia corporis agitatione violenta, vel poteſt meatuum adſtrictio, vel cutis conſtipatio eſſe. *Vel attinet ad corpus.*

Vel attinet ad partem,& poteſt eſſe affectus calidus,vel ob adhæſum rei calidioris, vt alimenti, vel medicamenti, vel ſolis, vel ignis, vel ob putredinem caliditatem generantem in aliqua parte, vt vel in pulmone, qui celerrimam cum corde conſenſionem habet,vt Galen.ait, 4.de præſag.ex pulſ.cap.ſecundo.

Et quo propinquius eſt cordi membrum affectum, eò promptius eius affectus cordi communicatur, vel in iecore, vel in ventriculo, a quibus ardentius cor incaleſcit, quam a pulmone, ideo hectica febris, & marcor, vt lib.de Marc.cap.7.ait Gal.facilius a iecore, & a ventriculo,quam a pulmone excitatur.

Quæ caliditas in corde generans palpitationem, vel eſt affectio, vel morbus in habitudine, & ſcheticus, vt 8.Met.cap.primo. ait Galen. quemadmodum contingit in febribus ephemeris, vel poteſt eſſe morbus in habitu, & intemperies calidi cordis, quæ vel eſt æqualis, vt in febrib. hecticis, vel inæqualis, vt in reliquis alijs morbis, & tunc pulſatilis facultas propter calidam intempe-

riem cordis imbecillis effecta, quod non poteſt magnitudine, & celeritate ſupplet frequentia, ratione cuius prauus motus, & notha palpitatio ſuboritur a ſolo morſu.

Si cauſa excitans præter naturalem calorem in corde ſit priuatiua, tunc eſt defectus ſpirituum influentium, hi autem conſtant ex ſubſtantia ſanguinea, & aerea, & vt ſanguini magis nutriunt ſubſtantiam calidi inſiti cordis, vt vero aerei magis eandem ventilando refrigerant, cum igitur ſpiritus influentes deficiunt, tunc oritur neceſſitas regenerandi eos, ideo pulſus fit maior, celerior, & frequentior, præterea deficiente ſubſtantia refrigerante, & halitus fumidos expurgante, cogitur calor noſter innatus intendi, & ita ſi vires ſint validæ pulſus fit maior, celerior, & frequentior naturali, quod ſi vt maior ſit ſpirituum influentium defectus, deſit etiam ſubſtantia ſanguinea, ac nutrimentum inſiti ſpiritus cordis, ac propterea vitalis virtus imbecillis euadat, tunc quod virtus pulſatilis non poteſt magnitudine, & celeritate, ſupplet frequentia, in qua palpitationis ratio ſeruari iam dictum eſt, & cauſa mole, & morſu cor lædit.

*Cauſæ defectus ſpirituũ influẽtium.*

Deficiunt autem ſpiritus influentes, vel quia non generantur, vel quia poſtquam geniti ſunt deperduntur, ſi non generantur, vel illud accidit vitio materiæ, vel vitio agentis, vel vitio viarum interceptarum. Si accidit vitio materiæ, vel accidit vitio materiæ propinquæ, vel vitio materiæ remotæ. Si accidit vitio materiæ propinquæ hæc vel imminuitur, vel corrumpitur, ſi imminuitur, tunc vel imminuitur ſenſibiliter, & hoc accidit ob deperditũ ſanguinem, vt contingit in qualibet ſanguinis immodica euacuatione, ſiue per nares, ſiue per os, ſiue per hęmorrhoidas, ſiue per vterum in mulieribus, quæ euacuationes vel fiunt per anaſtomoſim, quæ contingit tum per vaſis imbecillitatem, tum per ſanguinis, qui ad ea eius impetu ruat, copiam, aut eius acrem qualitatem, vt 5. Meth. cap. 2. ait Gal. Vel fluit ſanguis per diapedeſim, quod fit ex tunica rarefacta, aut ſanguine tenuiore reddito, aut gracilium vaſorum ore aperto. Vel ſanguis fluit, quia vas ſit diuiſum, & hoc aut fit vulnere, aut contuſione, aut ruptura, aut eroſione, vt contingit dum quis percutitur gladio, vel lapide, vel caſu, vel ob nimiam ſanguinis copiam, vel ob eius flatulentiam, vel ob eius acrimoniam, & mordacitatem.

Si vero materia propinqua inſenſibiliter imminuatur,hoc contingit ob deperditam ſubſtantiam tenuem, quæ in carne pulmonis pro ſpirituum confectione elaboratur, quod contingit ob quamlibet intemperiem, ſed præcipuè frigidam & ſiccam pulmonis.

Si vero, materia propinqua ſpirituum deficiat ob ſui corruptionem, tunc vel hoc fit a cauſa interna putrefaciente, vt contingit in febribus malignis, & peſtilentibus, vel fit a cauſa externa, vt ob venenum, vel per os aſſumptum, vel per morſum, vel per ictũ extrinſecus inflictum, vt eſt venenum viperæ, aſpidis, ſcorpij, phalangiorum,& fit potius ſyncope, quam palpitatio. *Cauſæ putrefacientes.*

Vel ſpiritus deficiunt ob defectum materiæ remotæ, hoc autem accidit, vel quia materia imminuatur, vel quia corrumpatur, ſi materia imminuitur, vel eſt ob defectum ſubſtantiæ aereę, & hoc contingit ob reſpirationem quomodolibet interceptam, vel ob defectum materiæ cibalis, ſeu chyloſæ, quod contingit in longa inedia, in bulimo, in cruditate, cum enim ventriculus cibum non aſſumit, aut aſſumptum non concoquit, non generatur ſanguis, nec ſpiritus, qui fiunt ex eo, vt 12. Meth. cap. quinto ait Galen.

Deficit autem chylus, vel læſa facultate chylificandi, vel ob errorem externum, ſi facultas læditur, aut labefactatur, ob eius intemperiem, aut ſimplicem, aut compoſitam, & hæc aut cum materia,aut citra materiam.

Et in hoc caſu, quia conſideramus cauſas imminuentes, non corrumpentes, concurrit intemperies frigida, vel frigida, & humida, vel frigida & ſicca, materia autem intemperiem fouens eſt humor pituitoſus, vel melancholicus, aut impeditur ob morbum ventriculi in compoſitione, ob tumorem œdematoſum, vel ſcyrrhoſum, vel ob continui ſolutionem factam, vel a cauſa interna, vt ab humore erodente, qualis eſt bilis, vel pituita ſalſa, vel ab externa, vt a gladio.

Vel deficit chylus ob errorem externum, hic autem eſt ob malam ciborum conditionem,vel quia immoderata,vel quia intempeſtiua,vel quia inordinata ſit eorum aſſumptio,vel quia cibi ſint imminuti,vel aliqua mala qualitate prę́diti,vel ob exiguum ſomnum,cuius vitio crudi permaneant.

Vel ſpiritus deficiunt ob corruptionẽ materiæ remotæ ex qua, cum ſpiritus influentes non ſint alimẽti capaces, & hæc corruptio vel attinet ad ſubſtantiam aeream, vt contingit in peſtilenti aeris cònſtitutione, vel dum aer ex ſtagni, vel paludis nebuloſo, vel maligno halitu perturbatur, vel ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpirante inficitur, aut qui ex animalium, olerum, legumi-num putredine, aut fimo coinquinatur, aut qui editis vndiq; mon tibus in cauo loco concluſus nullum recipit perflatum, ſuffocans enim eſt & putris, & ſimilis ei, qui in domibus qnibuſdam eſt in-cluſus, in quibus ob putredinem, aut perflatus defectum pluri-mus aceruatur ſitus.

Vel attinet ad ſubſtantiam alimentalem remotam, vt contin-git in cruditatibus nidoroſis, ex chylo putrefacto, quod fit ob ven triculi intemperiem calidam, ſiue ſiccam, ſiue humidam ob excre-menta corrupta, ob vermes, ſiue viuos, ſiue mortuos, chylum corrumpentes.

*Defectus ſpirituũ ui tio agẽtis.* Si vero ſpiritus non generentur vitio agentis, nec facultas al-teratrix cordis læſa eſt, vel ob quamlibet malam intemperiem, vel ſimplicem, vel compoſitam, ſed præcipuè ob frigidam, & ſiccam, vel cum materia, vel ſine, vt cõtingit in cacochymia melancholi-ca, cachexia, tabe, hectica ſenectutis, vel impeditur ob malã com poſitionem, vel continui ſolutionem corporis cordis.

*Defectus ſpirituum vitio uia-rum inter-ceptarum.* Si vero ſpiritus non generentur vitio viarum interceptarum non deferentium materiam pro eorum generatione ad cor, cũ hæ ſint arteriæ, tunc anguſtantur a materia vel comprimente, vel con ſtipante, ſi arteriæ anguſtentur a materia comprimente, hæc vel eſt in venis, vel extra venas.

Si eſt in venis, eſt ſanguis, vt 2. de cauſ. pulſ. cap. 2. ait Gal. qui in pulmonis venis infuſas arterias propinquas, ita copia compri-mat, & coarctet, vt tranſitus materiæ ſpirituum intercipiatur, at-que inde etiam diuerſas, & difficillimas pulſuum inæqualitates efficiat, propterea quod occupat riuos, & potiſſimum ſi ſanguis ſit craſſus, & lentus, quibus riuis nec allicere ſpiritum, nec reddere cor valeat, & præcipue ſi prope ipſum cor, vel procul quidem, ſed in nobiles partes impingat.

*Cauſa ar-teriarũ an guſtatarũ,* Si vero arteriæ anguſtentur á materiá comprimente extra vá-ſa exiſtente, hæc poteſt eſſe pars animata, vt in anginoſis ex ver-

tebra

tebrá ceruicis luxata, vel inanimata, vt ſanguis bilioſus, vel pitui-toſus, & craſſus, qui in capite tracheæ arteriæ, vt in eiſdem angi-noſis, vel in partibus illi propinquis impactus, tumorem excitet, & hic comprimendo anguſtet, aeriſque tranſitum intercipiat, vel in pulmonis ſubſtantia tumorem inflammatorium excitans, & comprimendo eandem ſubſtãtiam intercipiat, vt Galen. ait 4. de loc. aff. cap. 8. & 4. Aphor. 34.

Similiter poteſt eſſe humor frigidus, & craſſus in pulmone ſcyr rhum, vel tuberculum crudum concitans, vel poteſt eſſe apoſte-ma, quod arterias vicinas comprimat, quorum omnium uitio adi-tus materierum hinc inde tranſmigrantium intercipiatur.

Similiter poteſt eſſe in pericardio, qui tunc vel eius ſubſtantiã occupet, & eſt vel humor pituitoſus, & craſſus ſcyrrhum produ-cens, vel eſt tenuis, & aquoſus in puſtula contentus, hanc hyda-tidam Græci vocant, generantur au[illegible]em hi humores in ventricu-lo, in capite, in iecore, & in ſubie[illegible]s partes confluunt, poſſunt etiam generari in ipſo pulmone.

Vel ſubſtantia hæc aquoſa occupat cauitatem pericardij, cum ſuſpicione quadam, quod in humore cor moueatur, qui affectus comprimendo impediat liberam cordis dilatationem, atque ita motu palpitante moueatur ob præſentiã fuliginum, quæ in cor-de non probe repurgato detinentur, & ita cor mole, & morſu læditur.

Si vero arteriæ anguſtentur a materia conſtipante, tunc poteſt eſſe ſanguis, qui copia, vel craſſitie, & lentore, vel vtroque mo-do arterias coarctando tranſitum, vt ſupra, intercipiat, & præci-puè ſi in extremis arteriarum finibus ſit impactus, vt 2. de cauſ. pulſ. cap. 2. ait Gal.

Vel poteſt eſſe humor liquidus, & craſſus, & lentus, vt eod. 4. de loc. aff. cap. 8. ait Galen. qui in leuib. arterijs pulmonis ſit rece-ptus, & hic vt plurimum deſcendit a capite, poteſt etiam generari in ipſo pulmone ob frigidam eius intemperiem, vel in iecore, in ventriculo, & in pulmonem confluere, ipſo ob caliditatem attra-hente, aut alijs expellentibus, ob earum robur, & firmitatem, & oritur palpitatio, vt ſupra lædens.

Vel ſpiritus influentes deficiunt, quia poſtquam geniti ſunt deperduntur, & tunc vel conſequuntur aliquam ſenſibilem eua- *Defectus ſpirituum ob deperditionem.*

P 4 cuationem,

cuationem, vt contingit in quacunque immodica euacuatione ſanguinis, a qualibet parte, quocunque confluentis, vel vt contingit in quacūque immodica euacuatione aliorum humorum, ſiue ſint alimentales, ſiue excremētitij, per os, per aluum, per vterum, per cutem, vt contingit in vomitibus, in fluxionibus ventris, vt in diarhæa, lienteria, diſſenteria, in fluxionibus vteri, vt in fluxu muliebri, vel in immodico ſudore.

Vel ſpiritus deperduntur inſenſibiliter, & tunc vel cauſa eſt interna, vel externa, ſi interna, vel eſt naturalis, vt cōtingit ob neceſſitatem generationis ſpirituum animalium, vt Gal. ait 1. de cauſ. pulſ. cap. 7. & 2. de tuen. val. cap. 11. nam animali ſpiritu per motum abſumpto, fit vt cerebrum eius materiam ab arterijs, hæ autē a corde attrahant, hoc vero exinanitum, & ſpiritibus influentib. deſtitutum, magnitudine, celeritate, & frequentia deperditum reſarcit, & alienum expellit, cuius ratione prauus motus, & notha palpitatio a ſolo morſu ſuboritur.

Vel cauſa deperditionis eſt præternaturalis, & tunc attinet ad cauſam vel efficientem, vt contingit ob intenſum dolorem ſpiritus diſſoluentem, qui oritur a reali ſolutione continui, & hæc vel eſt ſenſibilis, vt dum ſenſibiliter partes ab inuicem abſceſſerunt, & cauſa poteſt eſſe interna, vt bilis vtraque, vel ſalſa pituita, quę corrodendo continuum ſoluunt, vel externa, vt quodlibet inſtrumentū ſecans, diuidens, pungens, poteſt eſſe venenum corrodens aſſumptum, vt arſenicum, opium, & ſimilia.

Vel ſolutio poteſt eſſe inſenſibilis, vt fit ob violentam primarum qualitatum actionem, a calido, & frigido pręcipue, vel ob inſtrumentum contundens tantum, quæ omnia in os ſuperius ventriculi, aut in vterum, aut in colum inteſtinum, aut in capita muſculorum, aut aliarum partium valde ſenſibilium agentia inſenſibiliter continuum ſoluant.

Vel cauſa præternaturalis deperditionis ſpirituum attinet ad cauſam materialem, & tunc attinet vel ad tenuitatem ſpirituū, vel ad vaſa eos continentia, vtrumque poteſt contingere ob nimiam caliditatem, & humiditatem tum ſpirituum, tū corporis eos continentis, caliditas autem vtriuſque poteſt eſſe, vel externa, vt aer ambiens, meri potus, motus concitatus, gaudium, vel interna, vt febris.

Vel

Vel cauſa deperditionis ſpirituum inſenſibiliter eſt externa, & attinet ad ſex res non naturales, vt aer ambiens, præcipue calidus, meri potus, gaudium, voluptas, vt iam dictum eſt, & reliquę huiuſmodi, & cauſa mole, & morſu lędit.

Si vero cauſa irritans cor ad prauum motum edēdum eſt ſubſtantia, hæc vel generatur in corde, vel extra cor, ſi generetur in corde, vel generatur in ſubſtantia cordis, vel in eius ventriculis. *Cauſa irritantes.*

Si generatur in ſubſtantia cordis eſt ſubſtantia vaporoſa, quę occupat propriam ſubſtantiam cordis, & hæc eleuatur à ſanguine temperato ſupercalefacto ab ira, motu, ac reliquis huiuſmodi, quæ febrem ephemeram generare poſſunt, ideo vapor ſola mole, & morſu lædens irritat expultricem cordis, quæ maiorem, celeriorem, & frequentiorem, & pręcipue ſecundum internam quietem pulſationem edit.

Si verò aliena ſubſtantia generetur in ventriculis cordis tunc ſunt vapores fuliginoſi aliquanto acriores, ſimiliter mole, & morſu lędentes, qui in ſpirituum vitalium naturali generatione colliguntur, vel vitio expultricis cordis labefactatæ, ob intemperiem, aut ſimplicem, aut compoſitam, vel quia impediatur ob validam attractricis vim, quæ in calore viget, generantur autem intemperantiæ a cauſis, vt ſupra viſum eſt.

Vel vapores fuliginoſi generantur vitio materiæ minus puræ, & defęcatæ, quæ in cordis ſinibus continetur, ex qua ſpiritus ipſi generari debent, quæ eſt duplex, aerea, & ſanguinea, ideo niſi vtraque ſubſtantia ſit pura & ſimplex, tunc plurimum fuliginis in ipſa ſpirituum vitalium generatione colligitur, quod in corporis notha plethora, & cacochymia, & præcipue melancholica contingit.

Vel vapor præternaturalis generatur in corde virtute alteratrice eius labefactata ob intemperiem calidam, vel frigidam, vel quòd deterius eſt, frigidam & ſiccam, nam calida intemperies a ſanguine partes diaphanas & luminoſas reſoluit, frigida vero & ſicca exprimit, ac ita vel niger tantum, vt in hac, vel craſſus, & niger ſimul factus, vt in illa, plurimum fuliginis producit in ipſa ſpirituum vitalium elaboratione, & cauſa mole, & morſu lædit.

Si vero ſubſtantia irritans cor ad prauum motum edendum generetur extra cor, & ſubinde in ipſum confluat, hæc vel eſt humoroſa, *Cauſa irritans extra cor genita.*

roſa, vel vaporoſa, ſi humoroſa, vel confluit in ſubſtantiam cordis, vel in eius ventriculos.

Si confluit in ſubſtantiam cordis, eſt ſanguis a vi cordis attractus, qui mole, & pondere irritans expultricem cordis, quietē internam breuiorem reddit, verum a mole ita opprimitur virtus, vt varij, inæquales, & inordinati palpitationis ictus percipiantur.

Quod ſi ſanguis confluens ſit paulo bilioſior, & propterea ſubacer, & mordax, cuius vitio cor tunc affectu calido cum materia laborat, hoc vix fit citra cordis inflammationem, ideo moli, & pōderi adnectitur etiam morſus irritans.

Accidit autem in corpore plethorico ob immodicū timorem, vel nimis effręnem iram, vtrumq; genus febrem habet adnexam, & ob maximū morbum cordis ſtatim fit hectica, & virtus ob additam intemperiem in corpore cordis concidit, & pulſus ſupra varietatem, inæqualitatem, & inordinationem fit paruus, tardus, & frequens, & totum corpus contabeſcit cum maxima anxietate, & ſyncope.

Quod ſi humorum confluxus pendeat a ſolutione continui facta in corpore cordis a re ſecante, vel pungente, vel aliter diuidente, cuius vitio inflammatio incipiat, non attingit augmentum citra mortem, & ſi continuum ſoluatur circa cordis ventres ſtatim animal moritur, nec palpitationi locus relinquitur, ſed hæc vbi de prognoſtico.

Si vero ſubſtantia humoroſa genita extra cor confluat in ventriculos cordis, hæc eſt ſanguis nimium ventres cordis replens, & eius facultatem aggrauans, ideo pondere, & mole lędit, vt contingit in corpore plethorico, & generatur a fortitudine ſanguificatricis ex optimis, & copioſis alimentis, idem contingere poteſt ſine plethora in timore repentino, & magno, in quo ſanguis vniuerſus ob cordis attractricem confluit in eius ſinus, & varios, & inæquales, & inordinatos palpitationis ictus, (vt ſupra dictum eſt) producit.

Si vero ſanguis paulo calidior, & bilioſus, vel aduſtus extiterit, tunc vna cum mole & pondere iungitur etiam morſus, & palpitatio magnitudine intenditur, quòd ſi magis pituitoſus ſit, & melancholicus, tunc magnitudine remiſſa frequētiores, & magis inæquales fiunt palpitationis ictus.

Poteſt

Poteſt etiam humor eſſe putridus,vt contingit in febribus peſtiferis,ſiue ſit alimentalis,vt ſanguis, ſiue excrementitius, vt bilis,vtraq; pituita,ac eorum ichores, poteſt etiã eſſe mala,& occulta qualitate præditus ob ingentem corruptionẽ factam aut a cauſa interna, vt a ſordida putredine, vel ab externa, vt a peſtilenti aere, aut a viru cõmunicato per halitum veneficum,vel à feris veneficis per morſum, vel per ictum.

Si vero ſubſtantia extra cor genita, & delata in eius ventriculos ſit vaporoſa,tunc illa multipliciter lędens,modo mole,modo morſu,modo & mole & morſu,notham palpitationem producit,& hæc vel eleuatur a toto corpore,& poteſt eſſe repletio cuiuſlibet humoris,ſiue alimentalis, vt ſanguis, & ſola mole eius vapor lędit,ſiue biliofus, pituitoſus, melancholicus, ſiue eorum ichores,quorum vapor mole,& morſu irritat. *Irritans cauſa ve neſica.*

Vel vapor eleuatur a parte, in qua ipſe humor continetur, qui vel eſt in venis, & frequenter eſt humor melãcholicus,in hepate, liene, meſenterio, venis per fundum ſtomachi ſerpentibus,vel in venis vteri in mulieribus,quæ non bene expurgantur, vel non cõcipiunt,ſiue ſint virgines,ſiue viduæ.

Et generatur vel a calore ob obſtructiones contracto, qui partes diaphanes, & luminoſas reſoluat, vel a frigore, quod eaſdem exprimat,at ſi calor excreſcat humores atros generat,quos atram bilem nominamus,quę ſi caput petat ferina deliramenta excitat, non melancholiam cum metu & męſtitia tantum.

Vel vapor eleuatur ab humoribus,qui ſunt extra venas, & tũc vel ſunt impacti in aliqua parte,& eleuantur a gangręna, carbunculo,bubone peſtifero,vel ab alio tumore. Vel humor non eſt impactus,& eius vapor eleuatur a materia in ventriculo,inteſtinis, pulmone, vel vtero contenta, & poteſt eſſe quilibet humor putridus, vt ſupra dictum eſt,poteſt eſſe grumus ſanguinis,chylus putrefactus, vermes mortui, cuius vapor mole, & morſu valde irritans notham palpitationem producit.

Sed ob prædicta quis facile dubitare poſſet,quomodo cor poſſit deduci in prauum motum propter generationem ſpirituum animalium,quia cordis pulſus non videtur prodire pro alio membro extra cor, ſed pro cordis cõmodo tantum, vt aſſerit Gal. lib. de motib. man.& obſc.cap.de motu virgæ, quemadmodum ventricu- *Dubitatio.*

triculus chyliſicat, vt ex chylo accommodatum ſibi alimentum eliciat.

Quod ſimiliter 1.in Hipp.lib.de hum.t.1.& 6. de plac. cap. 8. & 3.de nat.fac.cap.13.confirmat Gal.dum ait. Conſequitur autem neceſſario hoc opus, vt cibi quidem (ceu prius eſt dictum) coquantur ventre videlicet non idcirco circa illos ſe contrahente, quo reliquis partibus eos reddat accōmodos, ſic enim non tā naturale eſſet organum, quam animal, quod ratione, menteque præditum, quod melius eſt eligeret, verum ipſe idcirco circa cibos ſe conſtringit, quod totum eius corpus, & attrahendæ propriæ ſibi qualitatis, & eadem fruendi, ſicut ante monſtratum eſt, vim obtineat, accidit vero interim, vt cibos alteret ad aliud opus, non ad id intentum.

*Finis non mouet niſi per metaphoram.*

Augetur dubitatio, quia neceſſitas generationis ſpirituum animalium eſt finis propter quem agens agit, modo finis non mouet niſi per metaphoram, vt ſecundo de gener. & corr. t. 55. ait Ariſt. igitur requirit cauſam agentem, quæ eſt facultas pulſatilis, quæ a fine ad agendum excitatur.

At ſi facultas pulſatilis debet ob varium finem varie, & multifariam, & ad libitum excitari, ita vt modo intendendo, modo remittendo motum, oppoſitis motibus moueatur, debet eſſe agens cognitionis capax, & ita varietatem finis cognoſcere, & moueri ab appetitu varietatis, & quod melius eſt, cognitionem ſequente, quod eſt proprium animalium, nec cōuenit facultati pulſificæ.

Sed vt Hippoc. ait 5. in 6. de morb. vulg. t. 2. adinuenit natura ſibi ipſi acceſſus, non cogitatione, partim quidem vt conniuere, partim vero & lingua ſubminiſtrat, & id genus alia quæque inperudita natura, & indocta, quæ opus ſunt, efficit.

Idem confirmat Gal. 5. aph. 39. dum ait. Non enim quia norit ad quid vtilis erit humor animali ipſius fecit pars generationem, non igitur cor poteſt verè, & ad libitum excitari, aut intendere motum, ita vt deprauetur propter generationem ſpirituum animalium.

Confirmatur, quia nulla pars aliquid excernit, vt 1. de loc. aff. cap. 1. habetur, niſi ab aliquo irritante ad excernendum irritetur, communis enim cauſa omnibus his affectibus, vt 3. de nat. facult. cap. 12. aſſerit Gal. eſt ipſa offenſio, atq; huius ipſius triplex

eſt

eſt cauſa, aut moles nimia, aut pondus aliquod, aut morſus, ſi igitur cor debet alterare pulſationes, requirit cauſam offendentẽ, & actu in cor agentem, vitio cuius pulſus alteretur.

*Triplex cauſa motus, & excretionis.*

Ideo omnes motus facti tam in legitima palpitatione, quam in notha, ſupponunt aliquem affectum poſitiuum in corde, ſiue hic ſit affectio, ſiue morbus dilatatione cordis excepta, quæ in legitima palpitatione contingit, cum hæc fiat a flatibus tanquam ab errore externo.

Sed adhuc magis particulariter.3.de præſag.cap.1.idem confirmat Gal.dum de ipſo pulſu ait. Huius præterea admonẽdum eſt pulſum per intemperiem, niſi affectæ ſint arteriæ, vel cor, nunquã alterari, igitur pulſus alteratur ob affectionem cordis, & arteriarum, vt neceſſitate ſatisfaciat internæ, non externæ, qualis eſt generatio ſpirituum animalium.

Et ſi quis dixerit cor eſſe corpus animatum, & ſenſibile, ergo poteſt ad oppoſitas loci differentias moueri a ſe ipſo, euaſio nulla eſt, quia cor eſt pars corporis animati, & ſenſibilis, carẽs vero principio voluntarij motus, qualis eſt muſculus, ideo non poteſt per electonem moueri, vt corpus animatum.

*Euaſio inanis.*

Sed prædictæ dubitationi reſpondendum eſt, præmiſſa hac diſtinctione, finem pulſationis eſſe duplicem, alius enim intenditur a particula, cuius eſt actio, & ita finis pulſationis a corde intẽtus non extenditur vſque ad generationem ſpirituum animalium, ſed eſt tantum internus cordi, & reſpicit refrigerationem, ventilationem, & recreationem, & vt vnico verbo dicam, conſeruationẽ caloris inſiti cordis, quas affectiones cor ſenſu tactus percipit, & dum illis deſtituitur percipit moleſtiam, & ob ſenſum moleſtiæ oritur appetitus medelæ, quoniam vbi ſenſus triſtitiæ, ibi appetitus recreationis, & medelæ, vt ait Ariſt.2.de ani.t.20.& 27.ideo pro ratione ſenſus moleſtiæ perceptæ, cor variat pulſationem requiſitam pro medela.

*Reſponſio finis eſt duplex. primus.*

Alius finis pulſationis intenditur a toto animali, quia natura animalis gubernatrix, quæ omnes corporis partes in animali excogitauit in gratiam vitæ, ita coniunxit eas, vt cuiuslibet operatio alteri inſeruire poſſit, vt optime Gal. oſtendit lib.de for.fœtus. capit.5.

*Secundus finis.*

Ideo licet ventriculus chylificet, vt accomodatum ſibi alimẽ-

rum ex chylo eliciat, tamen natura animalis voluit, vt quod ventriculo eſt excrementum ſit iecori alimentum; & ſimiliter quod iecori ſuperfluit, pro totius corporis nutritione ſubſeruiat, vt optime demonſtrat Gal. 6. de plac. cap. 8.

*Pulſus duplicem finē habet.* Igitur idem aſſerendum eſt de pulſu, qui dum a corde intenditur, fit vt calor eius conſeruetur; at dum a natura totius animalis rectrice intenditur, alium finem habet; hæc enim præter internas vtilitates cordis intēdit, vt ex eo ſpiritus animalis generetur.

Et hinc ſoluitur apparens illa contradictio in verbis Galeni, qui modo aſſerit cordis actionem non prodire pro alio membro, quam pro corde, vt ait lib. de mot. manif. & ob. cap. de mo, virgæ, & alibi, & ventriculum chylificare propter ſe ipſum tantum, ut ſupra dictum eſt, modo aſſerit, ſpiritus uitales produci propter generationem ſpirituum animalium.

Quia ſi conſideremus finem partis, ut attinet ad pulſationem, ipſa instituta eſt propter attinentia ad cor tantum; At ſi conſideremus finem totius animalis, tunc pulſatio cordis extenditur etiam uſque ad generationem ſpirituum animalium, & ad conſeruationem totius animalis.

*Cor ſentit proprios defectus nō alienos.* Quod licet ita ſit, non tamen ob hunc reſpectum cor ſentire tenetur defectum ſpirituum animalium, ſed tanquam uitalium, non ſecus ac uentriculus, & iecur, & aliæ corporis partes, quæ propriū earum defectum tanquam percipiunt non alienum; ideo dum cor mouetur pro generatione ſpirituum animalium, illud accidit, quia cerebrum attrahit ab arterijs, & hæ a corde, cor autem cupiens proprio defectui, quem ſentit, ſatisfacere pulſum accelerat.

Nec obſtat, quod mulieres hyſtericæ ob impenſam refrigerationem non ſolum pulſu, ſed etiam ſenſu, & motu deſtituantur; nec natura ſollicita de generatione ſpirituum animalium ſaltem pro ea ſeruet pulſum.

Quia in mulieribus hyſtericis ob impenſam refrigerationem cordis uirtus uitalis concidit ob ſyncopis acceſſum, ideo cogitur deficere pulſifica, ſenſifica, motrix, ac quælibet alia, ſi ſyncope perſeuerat, cum cadat præparans omnium uirtutum, quod ſi ſine ſyncope, & caſu uirtutis uitalis uſus euentandi remittatur in corde, pulſus etiam remittitur, ſeruato tamen modo, & menſu-

ra cūis, quatenus generationi ſpirituum animalium debetur.

Cum igitur cor deficientibus ſpiritibus influentibus ſenſum moleſtiæ ob recreationis priuationem percipiat, fit vt in corde appetitus recreationis oriatur, cuius cauſa facultas pulſifica mouetur ad accelerandum pulſum, oritur autem ſenſus moleſtiæ in corde de deficientibus ſpiritibus animalibus, quia cerebrum eos attrahit a corde, & arterijs, atque abſque vllo ſenſu, & cognitione penuriæ ſpirituum animalium, ſed ſolo ſenſu propriæ, & internæ neceſſitatis maiores, celeriores, & crebriores iuſto pulſationes edit, cuius ratione pulſitio deprauatur, & notha palpitatio oritur.

Dum ergo dicitur, quod cordis pulſus nō prodit pro alio membro extra cor, falſum eſt, ſi pulſus accipiatur pro operatione ab animali intenta, & dum dicitur, quod agens naturale non poteſt varie, & multifariam moueri ob varium finem, niſi ab aliqua interna cauſa irritetur, & ideo cor, & arteriæ non variant pulſum, niſi a nimia mole, aut pondere, aut morſu ſint laceſſitæ, concedendum eſt. *Reſolutio difficultatis.*

Ideo deficientibus ſpiritibus animalibus, cor non moueretur motu magis concitato, niſi facultas irritaretur ab aliquo præternaturali occaſione attractionis cerebri ab arterijs, & a corde, vt viſum eſt. cum igitur exinaniatur, cupit recreari a præſentia ſpirituum, ideo pulſum accelerat, & notham palpitationē producit.

## PALPITATIONIS CORDIS *Cauſæ remotæ. Caput Trigeſimum ſecundum.*

CAVSAE remotæ, quæ externæ, & preincipiētes, vel primitiuæ, procatarcticę autem a Græcis vocantur, licet iam ſupra ſatis a nobis ſint comprehenſæ, attamen huc tanquam in proprium locum, & de illis, & de antecedentibus aliquid transferatur, procatarcticę enim producere, vel impellere cor in prauum motum facile poſſunt.

Harum autem aliæ ab eodem in lib. art. med. cap. 85. & 86. neceſſario occurrentes, vt ſunt ſex res non naturales, aliæ non neceſſario occurrentes vocantur, quæ male inſtitutæ, & adhibitæ, quatenus *Cauſarum procatarcticarū differentia.*

tenus poſſunt lædere corpus humanum præternaturales affectus imprimendo cauſę morbificæ euadunt.

*Earũ enumeratio.* Igitur aer nimis calidus ob ignem, aut ob Solis radios vehementer exuſtus, vel e contra, qui immoderate frigidus, aut humidior, aut ſubſtantia craſſus extiterit, qualis in conuallibus, paludibus, & ſtagnis reperitur.

Similiter ſi fuerit ſiccior, qualis in ſummitatibus montium reperitur, & qui frequenter ventis Aquilonaribus agitatur, & cuius occurſu frigiditate, & ſiccitate denſatur cutis, & naturalis halitus, qui ſingulis diebus in corpore colligitur, digeſtio reprimitur, con tracta plethora, vel cacochymia, tanquam cauſa antecedente, corpora valde alterare poſſunt, & palpitationi occaſio eſſe poſſunt.

Similiter meri potio, balneum calidius, aut frigidius, medicamentum corporis, ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus adhibitum, im portunus motus, cibi calidiores, quemadmodum è contra, aquæ frigidæ potus, lac, balneum frigidum, longa quies, ac veluti latebræ diuturnæ.

Similiter validi, ac vehementes animi affectus, vt ira effrenis, timor, mœſtitia, modo calefaciendo, modo refrigerando, corpora mirum in modum alterare valent, at multo efficacius aer corpora noſtra alterat, & afficit, & præcipuè dum maligna aliqua, aut peſtilenti, & venefica qualitate præditus eſt, qualis eſt aer concluſus, & ſubterraneus, & qui ex antris, barathris, & voraginibus exhalat.

Similiter plethora ex nimio cibo & potu, palpitationẽ producere poteſt, accidit autem dum ratio victus ob copiam, & bonitatem alimentorum ſanguinis multitudinem congregat, quod præſertim contingit in corpore iuuenili, & bene temperato, & qui col lectum ſanguinem non diſſipat, & abſumit, & multo magis ſi conſueta aliqua euacuatio deſierit ſiue ſenſibilis ſit, vt fluxus ſanguinis narium, aut venarum ſedis, aut vteri in mulieribus, ſiue inſen ſibilis, vt quæ inedia, exercitationibus, balneis, contingere ſolitum erat, aut quia aliquod membrum fuerit abſciſſum, aut aliter quomodolibet ſanguis olim abſumi ſolitus interceptus fuerit, atque hac ratione in toto corpore colligatur, & augeatur, cuius copia non ſolum palpitatio, verum ſyncope, & mors, contingere poteſt, vt Gal. ait 1. aph. 3.

Simi-

Similiter ſi in his, quæ eduntur, & bibuntur, non ſolum ratione quantitatis, ſed vel temporis, vel ordinis, vel qualitatis, error contingat, tunc non ſolum acris, & mordax, aliqua ſuperfluitas colligi poteſt, aut cruditas multiplicari, verum etiam maligni ſi putredinem cõtrahant, & medicamentoſi, & venefici humores in corporibus congregantur, qui a lethalibus venenis, ſeu quæ a feris venenum fundentibus eiaculantur, nullo pacto diſſimiles ſunt, vt 6. in 6. de morb. vulg. t. 5. ait Gal.

Sed hęc non palpitationes tantum, ſed ſyncopes, & repentinos, interitus inducere poſſunt.

Eorum autem, quæ tantam labem producere poſſunt, alia ſunt, quibus hoc ipſum eſt a natura inſitum, vt primo de diff. febr. cap. tertio ait Galen. ſicuti ſunt allia, cepæ, naſturcia, porri, ocima, braſſicæ, vrticæ, & quæcumque agreſtia dicuntur, tum etiam, quæ ſua natura optima ſunt, ſed ob quoſdam putrefactionis modos, æquale prædictis, aut etiam maius vitium contrahunt, veluti frumenta, hordea, atque omnes aliæ fruges, quæ ad vſum cibi aſſumuntur, quarum nonnullæ temporis longitudine ad putreſcibilem diſpoſitionem deducuntur.

Aliæ vero quoniam male repoſitæ fuerint, cariem contrahunt, ſituque obducuntur, vt Galen. ait loco citato, quæ præcipuè veneficos humores congregant, dum poſt eorum aſſumptionem feculentam, vel lutulentam ex lacunis, piſcinis, paludibus, ſiue quouis alio modo corruptam aquam, aut lac biberint.

Idem in exceſſu cæterarum ſex rerum non naturalium contingere poteſt, ideo qui ſupra modum laborauerint, aut ocio marcuerint, aut vigilijs, curis, ſollicitudinibus, medicaminibuſvè, ſe confecerint, non minus vitioſos humores congregare poſſunt, quæ palpitationi occaſionem non leuem præbere valent.

## PALPITATIONIS CORDIS DIFFERENTIAE.

### Caput Trigeſimum tertium.

*Differentia a forma.* DIFFERENTIAE palpitationis cordis aliæ, ſumuntur a forma, aliæ a ſubiecto, aliæ a cauſa efficiente: a forma, quæ eſt immoderata dilatatio, ſumuntur differentiæ, quia alia eſt dilatatio inſtar vtrium facta, alia inſtar follium.

Quælibet tamen earum habet differentias accidentales, penes magis, & minus, quæ modum motus praui variant tãtum, vt alius ſit maior, alius minor, vel ſecundum omnes, vel ſecundum aliquas magnitudinis differentias, quæ attenduntur penes longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Similiter alius eſt vehementior, alius lãguidior, alius celerior, alius tardior, alius rarior, alius frequentior, qui licet ſint exceſſus, & defectus, attamen defectus omnes ſemper ſupra mediocritatem ſunt accipiendi, ad hoc vt palpitatio, quæ in genere motus deprauati ſita eſt, conſtituatur, ac vt diſtinguatur aduerſus motus imminutos, & ablatos.

Similiter alius eſt æqualis, alius inæqualis, alius ordinatus, alius inordinatus, alius vibratus, alius dicrotus, alius caprizans, alius intercurrens, & alius intermittens.

*Differẽtiæ a ſubiecto.* A ſubiecto vero ſumuntur differentiæ palpitationis, quia aliæ attinent ad partem dextram, ſcilicet ad dextrum cordis ventriculum, aliæ attinent ad ſiniſtrum.

*Differẽtiæ a cauſa efficiente.* A cauſa vero efficiente differentiæ ſumuntur, quia aliæ pendẽt a cauſa per ſe motrice, & dilatante, vt contingit in legitima palpitatione, quæ fit a ſolo flatu craſſo cor mouente vtrium inſtar, aliæ pendent a cauſa irritante tantum, vt contingit in notha palpitatione, quæ fit a facultate irritata a pondere, mole, morſu.

*Cauſarũ irritantiũ differẽtiæ.* Cauſæ vero irritantes, vel ſunt accidentia, vel ſubſtantiæ; ſi accidentia, alia attinent ad qualitates, quarum aliæ ſunt occultæ, aliæ manifeſtæ, vtraque vel intus genitæ, vel extrinſecus acceſſerunt, ſi qualitates manifeſtæ, aliæ ſunt ſpirituales, aliæ materiales, qualitatum materialium, aliæ primæ, aliæ ſecundæ, primarum aliæ ſunt morboſæ, aliæ non morboſæ, ſed in fieri ſuam eſſentiam adhuc poſſidentes.

Simi-

Similiter aliæ ſunt poſitiuæ, aliæ priuatiuæ, ſi cauſæ irritatrices ſunt ſubſtantiæ, harum alia eſt ſubſtantia humoroſa, alia vaporoſa, ſi humoroſa alia impacta, alia non impacta, quæ impacta eſt, alia eſt cum tumore, alia citra tumorem, quæ vel eſt in venis, vel extra venas, & vtriuſque alia eſt calida, vel frigida.

Præterea differentiæ cauſarum ſumuntur a loco, vt alia ſit in corde, alia extra cor, quæ eſt in corde, alia eſt in ſubſtantia cordis, alia in eius ventriculis, quæ eſt extra cor, alia eſt in toto, & alia in aliqua corporis parte. *Cauſarũ irritãtiũ differẽtia a loco.*

Similiter differentiæ ſumuntur a magnitudine, & paruitate morbi, vt palpitationum alia ſit breuis, alia longa, alia frequens, alia rara, alia facilis tolerantiæ, alia difficilis.

Aliæ differentiæ ſumuntur a more morbi, vt alia ſit cum ſymptomatibus, alia ſine, alia concomitetur ab aliqua intemperie, alia a corporis conſumptione, ſed de differentijs accidentalibus ſatis dictum ſit.

## PALPITATIONIS CORDIS SIGNA DIGNOSTICA.
### *Caput Trigeſimum quartum.*

COGNOSCITVR autem palpitatio cordis in genere, quoniam pulſus cordis redditus eſt deprauatus, non imminutus, nec ablatus.

Diſtinguitur autem palpitatio legitima a notha, quoniam in legitima palpitatione, in qua cor mouetur vtrium inſtar a flatu craſſo, motus dilatationis cordis cõuenit quidem cum motu arteriarum, in tarditate, & raritate, niſi virtus ſit debilis, at diſſidet in magnitudine, quia pulſus cordis eſt magnus, cum dilatetur magis, quam deberet, at in arterijs eſt paruus. *Diſtinctio legitimæ palpitationis a notha.*

Et ratio eſt, quia quando vſus refrigerandi eſt valde remiſſus, tunc facultas pulſum efficit rariſſimum, tardum, & paruum, vt Galen. ait primo de cauſ. pulſ. cap. 7. quod ſi facultas imbecillis reddatur, pulſus fit languidus, paruus, & frequẽs, vt frequentia, quod de magnitudine, & celeritate deficit, compenſet, atq; eò frequentior euadit, quo minor efficitur.

At ſi facultas cadat ob magnam intemperiem frigidam, tunc

motus arteriarum,qui prius erat frequẽs, vertitur in pulſationem imminutam,& fit languidiſſima,minima,& tardiſſima.

*Pulſus modo prius raritatẽ, modo prius lãguorẽ aſſumit, et quãdo.*

Non tamen æquè has differentias aſſumit, ſed modo prius raritatem,quod ſignificat cor a vicinis refrigerari, modo prius languorem,quod ſignificat ingentem frigiditatem corpus cordis,aut ſpiritus & ſanguinem,quem continent eius ſinus occupare, vt declarat Gal. 2. de præſag.ex pulſ. cap.4. & in vtraque vix mors declinari poteſt,at minus dum frigiditas cordis corpus occupat.

*Pulſus cordis in legitima palpitatione, vt differat a pulſu arteriarum.*

Similiter in legitima palpitatione diſſidet pulſus cordis a pulſu arteriarum in tempore,quod non cõtingit in notha, quia cum vterque motus,dilatatio nempè, & contractio cordis in legitima pendeat a diſtinctis motoribus,ideo ſi motus non poſſunt ſemper fieri vno & eodem tempore, verum ſæpè alter altero modo prius, modo poſterius incidit,quod ſi interdum conueniant, cognoſcitur tamen legitima palpitatio,quia motus arteriarum,qui ſemper naturalem cordis motum quãtum poteſt imitatur,eſt ſemper paruus, & languidus, cordis vero eſt ſemper magnus, & vehemens, quantum violentia flatus vrget.

*Differẽtia legitimæ cordis palpitationis a notha.*

Similiter diſſidet legitima cordis palpitatio a notha, quod in legitima interna cordis quies eſt longiſſima, quia licet tam legitima,quam notha a mole & pondere, non a morſu pendens cõueniant in motu contractionis poſt ictum facto a natura, vt noxiam materiam expellat, qui eſt ſemper velox,& quies antecedens contractionem eſt ſemper breuis, quod accidit, vt natura in vtraque a nimia mole, & in notha interdum a graui pondere multum laceſſita ad expulſionem ſtatim inſurgat, ideo motum contractionis accelerat,& quietem antecedentem breuiorem reddit.

Attamen quies quæ ſubſequitur in legitima palpitatione eſt ſemper longa, quod in notha palpitatione non contingit, eſt autem longa in legitima,quia cum non ita repente noui flatus regenerentur, qui nouam cordis dilatationem moliantur, nec vrgeat caſus refrigerationis, qui ob iam frigidum cordis affectum eſt ſatis remiſſus, accidit vt nec vis pulſatilis naturalem, nec morboſa affectio præter naturalem dilatationem futuram multum valeret, ideo longa quies intercedit inter vtrumque, & contractionis, & dilatationis motum.

Quod nequaquam fieri poteſt in notha palpitatione, quia ſi-

ue hæc fiat ob morſum, & tunc mala qualitas quæcumque ſit dũ mordet, non ſolum non producit internam quietem verum potius eam breuiorem reddit, ac ſimul motum dilatationis accelerat.

Siue nota palpitatio fiat ob molem, vel pondus, cum vtrumque neceſſario materiam admittat, ſi hæc multum in frigiditate excedat, vel legitimam palpitationem generabit, vt ſupra dictum eſt, vel ita remittetur vſus, vt pulſatio inæqualis quidem, attamen potius imminuta quam deprauata producatur, quod ad palpitationem non attinet, nec vnquam interna quies tantum producetur, quantum in legitima palpitatione contingit.

Similiter diſſidet legitima palpitatio a notha, in qua cor mouetur follium inſtar, quia cum arteriæ ſequantur motum facultatis pulſatilis, quæ in corde reſidet, ideo earum motus in notha ad differentiam legitimæ imitantur motum cordis, qui ſemper eſt frequens, & dum virtus eſt valida, eſt magnus & celer, niſi obſtet inſtrumentum. *Differẽtia legitimæ cordis palpitationis a notha.*

Si vero ſit infirma, habet paruitatem, & tarditatem vna cum frequentia, quare proprium eſt nothæ palpitationis pulſus frequentia.

Quæ tamen intelligitur, dum comparantur quietes nothæ palpitationis cum quietibus inuentis in legitima palpitatione, ſic enim notha palpitatio ſemper frequẽtiam habet adnexam, quod ſi quietes cum motibus, & cum magnitudine, quæ attinent ad notham, comparatur, accidet interdum, vt in notha palpitatione non adſit frequentia, nec celeritas, ſed ſola magnitudo, vt Galenus ait primo de cauſ. pulſ. cap. quinto, & 3. de præſag. cap. 2. quod contingit dum cor palpitat ob affectum calidum cum valida virtute.

Similiter differunt inter ſe legitima palpitatio & notha, quia legitima a cauſis refrigerantibus tantum pendet, vt a flatu craſſo eleuato a materia frigida, & craſſa, vel ab imbecillo calore, vel ab vtroque, vt ſupra dictum eſt, quæ tamen occaſionem recipere poteſt a cauſis calefacientibus. *Differẽtiã legitimæ cordis palpitationis a notha.*

Notha autem poteſt æquè pendere a quacumque materia ſiue calida, ſiue frigida mole, vel pondere comprimente, vel vtroque modo naturam irritante.

Ideo ſi præceſſerint cauſæ calefacientes,vt aer ambiēs calidus, balneum calidum, medicamentum calidum, & præcipuè circa regionem cordis admotum.

Similiter ſi præceſſerit longa mora ſub Sole æſtiuo, calida inſpiratio, cibi calidi,liberalis potio vini generoſi, violētus motus, quæ omnia plurimum calefacere corpora poſſunt,palpitatio incidens erit notha.

Niſi habitus corporis ſit pituitoſus, quia tunc a cauſis calefacientibus poteſt fieri fuſio,& liquatio humorum frigidorum, qui prius in corpore latebant,ac immoti manebant, & ita his in ventriculis cordis receptis poteſt fieri legitima palpitatio a flatu craſſo.

At ſi cauſæ refrigerantes præceſſerint,vt aer frigidus,balneum frigidum,medicamentum item frigidum, longa quies, habitatio ſubterranea,frigida inſpiratio,cibi,& potus frigidi,ætas inclinās, tunc palpitatio incidens, an legitima ſit, vel notha per ſupradicta ſigna diſtinguendum eſt,quæ præcipuè a pulſu deſumuntur.

## *SIGNA CAVSARVM PALPITATIONIS cordis. Caput Trigeſimum quintum.*

*Signa frigidi affectus.* CAVSAE autem tam legitimæ, quam nothæ palpitationis cordis cognoſcuntur,quia ſi aderit frigidus corporis cordis affectus, citra tamen morboſam intemperiem, pulſus in carpo inuenti citra paroxiſmum erunt potius rari, & tardi quā parui, & patiens in actionibus erit tardus, & ſegnis,& timidus,ac iracundiæ expers, & in paroxiſmo legitimæ palpitationis pulſus euadent minores,tardiores, & rariores.Similiter reſpiratio erit parua,tarda,& rara.

*Signa frigidioris affectus.* Quod ſi affectus augeatur,& tranſeat in morbum frigidum, aderit pallor faciei perpetuus, & habitus totius corporis ad frigidum verget, reſpiratio remiſsior euadet,præterea virtus cadit, vt Gal.ait lib.de marc.cap.7.& pulſus magis ad languiditatem,quā ad paruitatem,tarditatem,& raritatem mutabantur.

Similiter frigidum cordis affectum præceſſit iam dudum vita ocioſa,

ocioſa,habitatio ſubterranea,aer ambiens frigidus, balneum frigidum, medicamentum admotum refrigerans,& quæ intra aſsūpta fuerunt refrigerandi vim habebūt, vt aeris frigidi inſpiratio, cibus frigidus,& pituitoſus,vt poma,concurbita, cucumeres, vel medicamentum ſua natura frigidum,vt opium,mandragora, potus aquæ frigidæ præceſſit metus diuturnus.

Hæc omnia frigidos humores congerunt,qui legitimam palpitationem producere poſſunt,& præcipue ſi ſubſequatur commotio,ſeu agitatio humorum frigidorum,qui prius in corpore quieti latebant,quæ ex aſtantium,vel laborantis relatione facile innoteſcere poterunt.

Ideo ſi cōtingat ob refrigerationem alicuius partis vicinæ immutatio magis attinebit ad affectionem, quam ad morbum, & pulſus magis ad raritatem,quam ad paruitatem commutabātur. *Signa refrigeratio nis alicu-ius partis.*

Quod ſi idem contingat ob pericardium continens multam aquæ quantitatem,tunc preter relata palpitatio eueniet cum ſuſpicione quadā, quod in humore cor ipſum moueatur, vt Gal. ait 5. de loc.aff.cap.2.

Si vero contigerit ob tumorem in ſubſtantia pericardij ſuborţum,ſiue aqueus ſit,qualem hydatidæ emittere ſolēt, ſiue ſcirrhoſus ſit, vtriuſque non paruam ſuſpicionem infert emaciatio, quæ patienti in dies magis contingere videtur,quemadmodum contigit ſimiæ,& gallo,vt ibid. retulit Gal.

Quod ſi ſanguinis menſtrui,vel ſeminis retentio vitio contigerit refrigeratio cordis, vt mulieribus hyſtericis contingere ſolet, tunc aderunt ſigna morbi vocati præfocationis ab vtero.

Si vero deferatur materia ad cor per leues arterias pulmonis, non poteſt affectus contingere ſine pulſus inæqualitate, & interdum etiam dum nimis replentur, compreſsis aſperis arterijs pulmonis,difficilis reſpiratio accidit. *Signa cauſarum per aſperas arterias pulmonis pet. tium cor.*

Vel eiſdem aſperis arterijs læſis per eſſentiam, communicata materia per trāſmiſsionem, cum difficili reſpiratione ſtertor etiā ſuboritur, vt contigit Antipatro medico, quæ ſi a capite deſcendat,aderunt ſigna deſtillationis,quemadmodum etiam ſi generetur à pulmone,ſiue a ventriculo aderunt ſigna intemperantiæ frigidæ iſtarum partium,pulmonis quidem,ſi a frigida inſpiratione lędantur, & a calida iuuentur, expuantq; pituitam cum ſcreatu,

& tuſsi,ventriculi vero ſi acidum eructent; vel pituitam acidam, vel vitream euomant.

*Signa intẽperiei cũ materia.* Quod ſi vna cum intemperie cordis adſit materia frigida, & craſſa in eius finibus contenta, a qua flatus eleuentur, tunc cum huiuſmodi pulſus languore,paruitate, tarditate,& raritate,aderit etiam magna inæqualitas,vt 2.de cauſ.pul.cap.2.& 2.de præſag. ex pulſ.cap.4.ait Gal.

Similiter cognoſcetur, quia pulſus interdum etiam intermittent, quotieſcunque enim ingens frigiditas occupat, vel cordis corpus,vel ipſos ſpiritus,vel ſanguinem, quem continent eius ſinus,vt ibid.teſtatur Gal.ad languidiſsimos magis,quam ad cæteras differentias pulſus vergunt.

Si vero ipſa frigiditas occupat partem aliquam cordi vicinam, tunc pulſus magis fiunt rariſsimi,quam languidiſsimi,& ſunt tardiſsimi,& minimi,ſimiliter intermittent modo per plures, modo per pauciores ictus,a qua affectione,dum per plures intermittũt, rari admodum liberantur.

*Signa cauſarum ob cõtinui ſolutionem.* Si vero facultas attractrix, & expultrix fruſtretur, & ita palpitatio incidat ob continui ſolutionem, tunc pulſus eſt valde inæqualis, & inordinatus,præterea patet affectus ex præcedentibus cauſis, quæ continuitatem cordis ſoluerunt ſiue contundendo, ſiue ſenſibiliter partem a parte diuidendo.

*Signa veneni.* Si vero palpitatio incidat propter aliquod venefica qualitate irritans expultricem cordis, tunc aderunt ſigna veneni admoti, vel aſſumpti,& ſi extrinſecus acceſſerit,ex ipſamet patientis relatione manifeſtabitur,ſiue ab aliquo propinatum cognouerit,ſi vero à feris venenatis per morſum, vel per ictum eorum prodierit, adeſtque puncturæ,vel morſus ſignum.

Si autem venenum extrinſecus eleuetur ab aliquo corpore putrido,& peſtilenti,non minus patebit,ſiue eleuetur a cadaueribus inhumatis,ſiue ſint loca ſubterranea,mineralia,voragines, a quibus habitus putridi,& peſtilentes elati,per aeremque diſſeminati,corporibus viuentibus communicentur.

At ſi in toto corpore generentur,aderũt ſigna febris peſtiferę,ſi vero in aliqua parte,aderũt ſigna,vel vermiũ corruptorũ,vel alicuius maligni apoſtematis interni, aut externi,vt sũt ſigna carbũculi,gãgrænę, carcinomatis,vel phagędenæ,vel alterius huiuſmodi.

Si

Si vero palpitatio oritur ob malam qualitatem ſpiritualem, vt eſt dolor partium neruoſarum, & præcipuè ventriculi, ſatis ex ſe dolor eſt manifeſtus, vna cum parte dolente.

Si vero cor palpitet ob nimium calorem in corde accenſum, pa tet è ſenſu caloris per totum corpus diffuſi, è pulſu acuto ſecundū magnitudinem, celeritatem & frequentiam, item ab inæqualitate vnius pulſationis, nempe a diaſtole celeriori, quam ſit ſyſtole, & a breuitate quietis diaſtolen antecedentis, his ſaltem quos iſtæ differentiæ non prætereunt, & tandem patebit per ſigna febris ephemeræ, & per ſigna cauſarum eius, ſiue ſit ira, ſiue mœror, ſiue ſollicitudo, ſiue anxietas, ſiue balneæ, ſiue exercitationes, ſiue cibus calidus, ſiue vini potio, ſiue alia potēs ephemeram febrē concitare. *Signa ob calorem in corde accēſum.*

Diſtinguuntur autem hæc ab inuicem, quoniam quæ ex balneis, curſibus, frictionibus, ceteriſq; motibus mutatio pulſus fit, non eſt diuturna, ſed mox ad priſtinum ſtatum reuertitur, vt Gal. ait 1. de præſag. ex pulſ. cap. 1. igitur facta comparatione ſubſequentis pulſus, cum pulſu paulo precedenti manifeſtam mutationis notitiam aſſequemur, at magnitudo pulſuum ex vino, & cibo ſuborta diuturna eſt. *Signa diſtinguentia cauſas.*

Quæ vero a ſolis aut ignis calore oritur licet diuturna non ſit, diſtinguitur tamen ab alijs ob cutis ſqualorem excedentem, vel ob nimium humorem, vt accidit his, qui balneis excalefacti ſunt, medium inter vtroſque locum ſunt ſortiti in mutatione cutis penes humiditatem, & ſiccitatem, qui frictionibus, & exercitationibus ſunt vſi. ſimiliter calor copioſior eſt circa pectus exercitatis, & iratis, partior lotis, quibus æquabiliter per totum corpus vna cum humiditate, & mollitie extenſus eſt.

Quod ſi in pulmone calor conſiſtat, tunc maior erit reſpirationis neceſſitas, & in thorace maiorem caliditatem percipient, & a frigida reſpiratione facilius leuantur, & a valida promptius lædūtur, quam ſi fuerit in aliqua alia parte calidus affectus.

Qui ſi fuerit morboſus, erit calida cordis intemperies, & hæc ex pulſus imbecillitate innoteſcit, & hæc, ſi fuerit inæqualis, cognoſcitur ex plurium pulſuum inæquali pulſatione, vt Gal. ait 2. de cauſ pul. cap. 1. & 2. de preſag. ex pulſ. cap. 4. & alibi frequēter, e contra vero ſi ſit equalis, & aderunt ſigna febris hecticæ.

Si

*Signa cauſarum ob defectum ſpirituum animaliũ.* Si vero cauſa excitans præter naturalem calorem in corde ſit ob defectum ſpirituum animalium, cognoſcitur, quia præceſſerũ motus vehementes, vitio quorum copia ſpirituum animalium ſit abſumpta, atque ita cerebrum attrahens ab arterijs, & hæ a corde excitet neceſſitatem reparandi ſpiritus in ipſo corde deperditos.

Si vero ſpiritus in corde deficiant, quia non generentur ob læſionem facultatis, patet è ſignis intemperantiæ cordis vitales actiones multum diſterminantis, & præcipue ſi intemperies fuerit frigida, & ſicca, quæ plurimum generationi ſpirituum vitalium aduerſatur, ſimiliter patet è ſignis cachexiæ, & mali corporis habitus è paruitate pulſus, e languore virtutis, pallore faciei, & tabe totius corporis.

*Signa vitio obiecti imminuti.* Si vero idem cõtingat vitio obiecti imminuti, cognoſcitur, vel quia cohibita ſit reſpiratio, vel a ſanguinis defectu ſenſibiliter cõtingẽte, vel per nares, vel per hęmorrhoidas, vel per vterum in mulieribus, vel per aliquam aliam partem quomodolibet ſauciata.

Si vero defectus ſanguinis intenſibiliter contingat, cognoſcitur ob præcedentem inediam, vel tranſpirationem per occultos meatus.

*Signa obiecti deprauati.* Si vero idem contingat vitio obiecti deprauati, patet è ſignis cacochymiã, & malorum humorum repletionem demonſtrantibus, quorum notitiam manifeſtam, & euidentem colligere licet ab vrinis, coniecturam vero non obſcuram habemus, conſiderando quanã ratione victus ſit vſus, & an cruditas crebrior, & maior, quam ex conſuetudine præceſſerit, an mali ſucci cibis copioſe ſe impleuerit, an vinũ, vt Gal. ait 4. de tuen. val. cap 4. pro antiquo muſtum, pro tenui craſſum, an aqua marina miſtum, aut aliter corruptum biberit, an etiam prorſus à vino ſe ſe ad aquæ potionem tranſtulerit, atque quam diu tali victus genere vſus ſit.

Similiter conſiderandum eſt num patientes ex eorum numero ſint, qui facile malum ſuccum congerunt, quod vna cum humoris peccantis ſpecie deprehendas, conſiderando an patientes ſcabie, lepra, vitiligne, pruritu crebro ſint affecti, item an eryſipelas, aut herpes, aut elephantiaſis, ophiaſis, alopeciaſis, puſtulæ crebræ, vlcera, epynictites, aut denique vllum ſymptoma, quòd ex vitioſo ſucco natum, & auctum eſt, illos male habuerit.

Similiter conſiderandum eſt, an vlla conſueta excretio retenta

ſit,

ſit,ſiue per vomitum,per hęmorrhoidas,per fiſtulám áliquam,aut per cauterium,per diſſenteriam, & ſi ſit mulier per menſtruas expurgationes, an conſuetas medicamentorum expurgantium aſſumptiones intermiſerint,ſiue deiectoria,ſiue vomitoria, diuretica, ſudorifica,aut alia id generis euacuantia neglexerint.

Qui enim in otio degunt,hi pituitoſum ſuccum aceruare ſolẽt, quos multus labor exercet æſtate bilioſum,autumno vero melancholicum excrementum colligunt, & quo labores diuturniores ſunt,eo magis atrabilares erunt, qui cum multo ſudore obeũtur, hi craſſius excrementum faciunt,qui vero ſine ſudore tenuius.

Si vero ſpiritus deficiant,quia poſtquam geniti ſunt deperdũtur, vel propter eorum tenuitatem, vel propter vaſorum raritatẽ, cognoſcitur,quia præceſſerunt cauſæ attenuantes,& tunicas vaſorum rarefacientes,vt immodica caliditas,& humiditas totius corporis à nimio,& violento animi,vel corporis motu exurgens. *Signa deperditionis ſpirituum.*

Si vero cauſa priuatiua excitans præter naturalem calorem in corde ſit ex parte viarum obſtructarum a copia materiæ ſanguineæ in uenis contentæ,& arterias comprimentis,tunc præter máximas pulſus inæqualitates in vno pulſu,vt Gal.ait 2.de cauſ.pulſat.cap.2.& 4.& in collectiua plurium pulſationum,vt ibid. ait c. 1.aderunt etiam ſigna plethoræ, & hic affectus ſanguinis miſſione facilime ſedatur. *Signa cauſarum ex parte viarũ obſtructarum.*

Quod ſi ſanguis ſit extra vaſa in ſubſtantiam pulmonis impactus,inflammationemque excitet, tunc tantá inducetur ſpirandi difficultas,tantaq; anguſtia,vt ſuffocari laborantes videantur, ac recti ſedere conentur,quem affectum ortopnęam nominant,quin etiam calidam ſentiunt expirationem, idque maxime ſi eryſipelatis particeps fuerit inflammatio,ac cætera aderũt ſigna peripneumoniæ,vt 2.de loc.aff. cap.9.ait Gal.

Similiter pulſus erit magnus,vndoſus,languidus,mollis,inæqualis in vno pulſu, & in collectiua inæqualitate cum febre continua, his autem præceſſit calor faciei natura rubicundus, hábitus totius corporis carnoſus,ratio victus plena, & benigni ſanguinis ferax,præceſſit ocium,temulentia, vel ſuppreſſio alicuius conſuetæ ſanguinis euacuationis, & ob copiam ſanguinis vires cordis alioquin validas aggrauantis,pulſus erunt inæquales,tum in vnica pulſatione,tam in collectiua. *Pulſus inæqualis quãdo fiat*

In

In vnica quidem pulſatione fit motus inæqualis,vel quia pulſus interpellatur a quiete, vel quia licet ſit perpetuus, aliqua tamen eius pars modo tardior, modo celerior, modo rarior, modo frequentior,quam altera ſit facta.

Vel tandem fit inæqualis, quia ſit reciprocus, & quemadmodum id accidit ob inſignem copiam humorum facultatem aggrauantium,vel propter inſtrumentorum compreſſionem, aut oppilationem,dum tamẽ facultas valida ſit,& vſus vrgeat,ita idem cõtingit ob inſignem ſanguinis copiam eadem incommoda facultati afferentem,ita vt minus probe inſtrumentis imperet,ſed hæc ſanguinis miſſione facile ſedatur,grauior longe oppreſſio eſt, quã cæteri humores craſſi,& crudi afferunt.

Præterea adeſt etiam pulſatio inæqualis in collectiua inæqualitate, quia facultas graui onere preſſa diuerſis, ac inæqualibus,vt modo magnis,modo paruis,modo celeribus,modo tardis, modo crebris,modo raris ictibus pulſat, ſtudens propellere, quæ ſua inſtrumenta obſederunt, motumque prohibuerunt, vt 2. de cauſ.pulſ.cap.1.& 2.ait Gal.

*Signa intẽperiei calidæ cordis.*

At ſi huic affectioni nectatur intemperies calida aderunt ſigna febris in habitu,& ſigna cõſequentia hecticam,& in hac affectione cum ſit impedita facultas pulſatilis,ideo pulſus erit lãguidus, paruus,tardus,at creberrimus,nam languidum, & paruum pulsũ ſola intemperies reddit,qui cum magnitudine,& celeritate neceſſitati ſatisfacere non poſſit,ſupplet frequentia inſigni.

*Signa eiuſdem intẽperiei cum materia.*

At ſi huic affectioni vltra intemperiem calidam concurrat etiã materia,tunc maximum adeſt incendium, intenſiſſima ſitis, pulſuum inordinatio maxima,mutila,& decurtata inæqualitas,eſtq; principium inflammationis,aut eryſipelatis, quos frequentes ſyncopes concomitantur,& antequã inflammatio augeatur, aut pulſus durities adſit,moritur patiens.

Et ſi humores,qui in cor confluxerunt, generationem acceperint a capite, aderunt ſigna capitis malè affecti, quemadmodum ſi à iecore,liene,ventriculo,aut vtero confluxerint earundem partium male affectãrum ſigna apparebunt.

*Signa ſcirrhi,& crudi tuberculi in ſubſtãtia pulmonis.*

Si vero fuerit humor frigidus, & craſſus in ſubſtantia pulmonis ſcirrhũ fouens,vel crudũ tuberculum excitans, nulla aderit febris,neque ſtertor, vt 4.de loc.aff.cap.8. ait Gal. ſimiliter neque

tuſſis,

tuſſis, neque materiæ excretio, ſed dum per bonam valetudinem ſolitas actiones exercent, difficulter ſpirare incipiunt, augeturque accidens, & pulſus fit durus, hecticus, & longioribus coguntur in teruallis inæquales pulſus interpolare æquales, quia ſemper earũdem arteriarum eædem partes ab ijſdem vel paribus magnitudine, vel ſimilibus tumoribus premuntur, vt optime docet Gal. 2. de cauſ. pulſ. cap. 2.

Si vero ſanguis contineatur in arterijs, eaſque conſtipando, tũ multitudine, tum craſſitie, & lentore obſtruat, & præcipue ſi in ſinibus earum ſit impactus, tunc magis diuerſæ, & magis difficiles fiunt pulſus inæqualitates.

Diuerſæ quidem quoniam occupantur vaſa propinquiora cordi à materia, quæ cum ſit fluxibilis, ad differentiam illius, quæ crudos tumores, & ſcirrhos cõcitat, ideo nec pari copia perpetuo manet, nec eaſdem ſemper coarctat arterias, ſed ex partibus ſæpè ignobilioribus in nobiliores, & ex eiſdem verſus ad ignobiliores migrat, ideo diuerſas inæqualitates producit, & maiores, quam ſi in venis contineretur.

Difficiliores autem, quia arteriæ nec allicere ſpiritum, nec reddere valent, & præcipue ſi vel prope ipſum cor, vel procul quidẽ, ſed in nobiles partes impingant ſucci.

Differt tamen à morbo, vt dictum eſt venarum, quoniam difficiliores inæqualitates producit humor in arterijs, quam extra arterias contextus, & ſic affectuum cauſæ diſtinguuntur ab inuicẽ. *Signa differentiarũ ſi in venis vel in arterijs morbus conſiſtat.*

Si vero cauſæ obſtruentes, & conſtringentes, arteriaſque comprimentes fuerint adhuc minus difficiles, & facultas pulſatilis à copia humorum, minori tamen degrauetur, vt à ſanguine benigniore, nec extreme copioſo, ſit etiam pituita, ſed non ita craſſa, aut viſcida, aut multa, tunc cognoſcitur, quia vtraque pulſus inęqualitas, tam illa, quæ in aceruo plurium pulſationum, quam etiam, quæ in vnica conſiſtit, remittitur.

Humor enim de loco ad locum cogitur defluere, vel attenuatus, vel in halitum digeſtus, vel à partibus nobilioribus ad minus nobiles depulſus. *Quot modis humor cogatur defluere.*

Si vero ſubſtantia vaporoſa in ventriculis cordis genita palpitationem producat, tunc palpitatio dupliciter leuior videtur, quã dum cordis ſubſtantiam occupat, primum ratione loci, quia cau-

ſa eſt extra ſubſtantia cordis, ſecundo ratione propriæ eſſentiæ, quia pendet à vapore, qui facilius diſſoluitur, quam humor.

*Signa cauſarum, ex parte vaporum.*

Cognoſcitur autem, quia pulſus non eſt ita inæqualis, nec ita oppreſſus, at multam variationem, eamque fere momentaneam admittit, ita vt a magnitudine ad paruitatem, a velocitate ad tarditatem, & a crebritate ad raritatem, & e conuerſo facillime trãſitum facit.

Et ratio eſt, quia ſubſtantia vaporoſa, vt facile generatur, ita etiam facile diſcutitur, ſimiliter cognoſcitur ob præſentiam cauſarum vapores fuliginoſos in corde producentium, ſiue ſit humor melancholicus, quo plurimum ſanguis ſit refertus, ac ideo in ventriculis cordis redundet, ſiue ſit quilibet alius humor, vt contingit in plenitudine vitioſa, cum enim ſanguis vitioſus in ventriculis cordis continetur, tunc plurimũ materiæ fuliginoſæ in corde colligitur, a qua pulſus ſtatim concitatur.

Si vero ob intemperiem calidam cordis ad ſe nimis auide attrahentis, vel ob facultatem expultricem læſam materia vaporoſa detineatur, ac copia cor obruat, aderunt ſigna febris ardentis, & colliquatiuæ, quæ quam citiſſime in hecticam tranſire cogitur, & pulſus magis concitatur ad diaſtolen ob copiam materiæ vaporoſæ, quam ad ſyſtolen ob neceſſitatem refrigerandi licet vterque vſus vrgeat, & quies antecedens diaſtolen ob eandem neceſſitatem breuior euadit.

*Signa cauſarum vaporoſarũ in pulmone genitarum.*

Si vero ſubſtantia vaporoſa palpitationem producens generetur in pulmone, cum hęc neceſſario calida ſit, ideo aderit incendiũ in thoraceq́, reſpiratio erit magna, & feruens, ſitis intenſa, quæ frigida reſpiratione magis, & celerius, quam potu frigido ſedari videtur, & tandem pulmo intemperie calida morboſa laborabit, cum febre continua, quod ſi ob eius inflammationem contingat, tunc genæ rubent, omnia intenſiora videbuntur, cum notis peripneumoniæ.

*In iecore.*

Si eleuetur a iecore, aut a liene, aut à meſenterio, aut à venis per fundum ſtomachi ſerpentibus, aut ab vtero in mulieribus, patet per ſigna partium affectarum, ſiue ſint inflammatæ, ſiue tumidæ, ſiue ſine tumore obſtructæ, vt contingit in hypochõdriaca paſſione.

Si vero vapor ſit veneficus intra in aliqua parte genitus, ſi ſit

frigi-

frigidus, aderunt ſigna vel hyſtericæ paſſionis, vel ſeminis retenti, vel grumeſcentis ſanguinis ſimiliter retenti, vel aderunt ſigna auræ alicuius ab aliqua parte mineram venenoſam continente, a qua elatus cor petit, ac inde totum corpus refrigeratur. *Signa vaporis veneſici intus geniti.*

Præterea adeſt ſomnus profundus, ſtupor, frigiditas totius corporis, ablatio pulſus, & ſyncope.

Si ſit calidus, vel generatur in toto corpore, & adſunt ſigna febris peſtiferæ, vel generatur in aliqua parte externa, quæ ſiue carbunculo peſtifero, ſiue cancro, ſiue phagœdena afficiatur, manifeſte ſenſibus apparet, vt ſupra dictum eſt.

Si vero vapor extrinſecus acceſſerit, ſiue contingat ob morſum, vel ob ictum alicuius animalis veneſici, quomodo manifeſtetur ex ſupradictis patet. *Signa vaporis veneſici extrinſecus accedentis.*

## DE INDICATIONIBVS, QVAE IN palpitatione cordis curanda deſumuntur.

### Caput Trigeſimum ſextum.

INdicationes, quæ in palpitatione cordis deſumuntur, aliæ deſumuntur a facultate vitali, aliæ a cauſa palpitationis, nempe ab ipſo cordis affectu, aliæ à cauſa ipſius affectus.

Ideo à facultate vitali deſumitur indicatio vitalis, quæ eſt cuſtodiendi, & conſeruandi ſpiritus ſubſtantiam vna cum ſolidis corporibus, vt tum quantitate, tum qualitate, quo ad fieri licet naturaliter ſe habeat, tum per ea, quæ manifeſtis qualitatibus alterant, tum etiam per ea, quæ occultis iuuant, licet differenter vtrũque opus perficiatur, quia quæ manifeſtis qualitatibus cordi opem ferunt, deſumuntur per indicationes a ſimili natura cordis cognita deſumptæ; cui indicatum ſimili modo reſpondet, ideo ſubſtantia ſpiritus inſiti debitam ſui quantitatem requirens alimentis reſarcitur, & ſimilibus qualitatibus, in debita temperie conſeruatur. *Indicatio vitalis quæ ſit.* *Qualitas manifeſta & occulta differenter agit.*

Quæ vero occultis qualitatibus iuuant ſua natura cordialia dicuntur, hæc autem deſumuntur non per rationales, & methodo inuentas indicationes, ſed per experientiam tantum, deductam

ab

ab his, quæ alias iuuiſſe innotuerunt.

Iuuant autem, quia forma ſimilis ſit, ſola tamen experientia perſpecta talis, agit generando ſimile viuenti, & propterea eſt iuuatiua.

Ideo calor inſitus animalis agit in alimentum calefaciendo, nec tamen ſola caliditas in alimẽtum introducitur, quia ſic actio in manifeſtis qualitatibus terminaretur, & ita alimentum in ſubſtantiam viuentis, quod addendum erat, non conuerteretur, ſed generatur pars viuens, quia actio terminatur per vim ſummæ actiuitatis in ſubſtantiam aliti, & ideo à tota forma vocatur, ſed de his latius infra à cauſa palpitationis, nempe ab affectu deſumuntur indicationes alterandi per contraria.

*Indicationes ab affectu ſumpta.* Igitur ſi palpitatio incidat ob flatus frigidos, & craſſos in cordis ventriculos irruentes, oritur indicatio calefaciendi, & attenuãdi, & per conſequens diſcutiendi flatus, & quoniam eleuantur à materia frigida, & craſſa, quæ ſemper ſubſtantia, & qualitate peccat, ideo ſumpta indicatione à cauſa ipſius affectus ratione peccati ſubſtantiæ euacuandum eſt, at ratione qualitatum frigiditatis nempe, & craſſitiei calefaciendum, & attenuandum eſt, quibus ſi viſciditas accedat abſtergendum eſt, cor vero frigiditate affectũ indicat ſe calefaciendum eſſe.

*Indicationes à cauſa affectus ſumptæ.*

*A pulmone.* At ſi affectio frigida, quæ cordi impertitur, pendeat à pulmone aliqua ratione refrigerato, curatio conuertenda eſt ad pulmonis affectum frigidum, tanquam ad morbi cauſam, & ita pulmo calefaciẽdus eſt, atque eodem prorſus modo de reliquis corporis partibus affectis, cum quibus cor conſentit, agendum eſt, ſiue ſit pericardium, ſiue lien, ſiue ventriculus, ſiue hepar, ſiue vterus in mulieribus.

*A pericardio, liene ventriculo. Hepate vtero.* Quod ſi palpitatio incidat ob ſolutam cordis continuitatem, tunc partes ſolutæ cordis (ſi fieri poteſt) vniendæ ſunt.

Si vero accidat vitio qualitatis occultæ ob venenum lędens, nihil, vt dictum eſt, ex ratione indicatur, ſed requirunrur tantum ea, quæ experientia alias contuliſſe docuit.

*Ob venenum.*

*A dolore.* Si vero palpitatio accidat ratione doloris, tunc dolor cum mitigantibus quam primum remouendus eſt, interim cauſa doloris permanens remouenda eſt, ſiue ſit inſtrumentum ſolidum pungens, vel ſecans, vel contundens, ſiue materiã mordax erodens,

vel

vel ſi ſit intemperies hæc per contraria tollenda eſt.

Si vero palpitatio accidat ob nimium calorem in corde accenſum, tunc ad frigidum alterandum eſt, & cauſa calefaciens remouenda eſt, ſi adhuc permaneat, ſiue ad animum attineat, vt eſt ira, mæror, ſollicitudo, timor, anxietas, ſiue attineat ad corpus, vt ad pulmonem, ventriculum, hepar, aut ad alias corporis partes, cum quibus cor conſentit. *A calore.*

Quod ſi palpitatio incidat ob defectum ſpirituum animalium, factum a violento corporis motu, ſpiritus reficiendi ſunt, & ſedanda eſt immodica corporis motio, cuius vitio ſpiritus detrimentū patiuntur, at ſi accidat ob defectum ſpirituum vitalium, qui ob frigidam, & ſiccam intemperiem cordis, aut aliam, quæcunque ſit vitiata cordis alteratrice non generentur, tunc ſtatim cor ad contrarium alterandum eſt, ſi fieri poteſt, vt inde correcta cordis alteratrice ſpiritus vitales regenerari incipiant. *Ob defectum ſpirituum.*

Si vero illud accidat ob defectū ſanguinis, ob immodicas eius euacuationes, ſpiritus recreandi ſunt, & violentæ euacuationes ſiſtendæ ſunt, & ſi fiant per anaſtomoſim oſcula venarum claudēda ſunt, ſi per diapedeſim tunicæ denſandæ ſunt, & in vtraq; ſanguis incraſſandus eſt, ſi defluat propter eius tenuitatem. *Ob defectum ſanguinis.*

Si vero fluat per diæreſim partes corroſæ renutriendæ ſunt, ac humor corrodens tollendus, vel alterādus eſt, ac corrigenda eius cauſa generās, ſi adſit, ſiue ſit hepatis calida, & ſicca intemperies, ſiue catarrhus ſalſus: at ſi fluat ob ſimplicē vaſorum ſolutionem, ſiue diuiſionem, partes ſolutæ, ac diuiſæ vniendæ, ac agglutinandæ ſunt. *Modi fluēdi.*

Si vero illud accidat ob defectum ſubſtantiæ aereæ interceptæ remouēda eſt cauſa intercipiens, ſiue ſit tumor in capite tracheæ arteriæ, vt anginoſis contingit, ſiue ſit laqueum, vt contingit ſtrāgulatis, ſiue animi pertinacia, vt cōtigit ſeruo barbaro, ſiue ſit inflammatio pulmonis leues, aut aſperas, aut vtraſque arterias comprimens, ſiue ſit ſanguis, aut pituita, liquida, craſſa, lenta, aut arterias obſtruens, aut comprimens. *Ob defectum ſubſtantiæ aereæ.*

Idem agendum eſt ſi ſit in pericardio, aut alia corporis parte qua cum cōſentiat cor, vt multa imminuenda, vt præternaturalis euacuanda, vt craſſa attenuanda, vt lenta abſtergenda, vt frigida calefacienda, ac ſemper per contrarium corrigenda.

*Ob ſpirituum deperditionẽ.* Si verò ſpiritus deficiant, quia poſtquam geniti ſunt deperdun tur propter eorum tenuitatem, illi incraſſandi ſunt, ſi ob tunicarũ vaſorum raritatem, tunicæ ( vt de ſanguinis fluxu per diapepeſim dictum eſt) denſandæ ſunt.

*Ob materiam detẽtam in corde.* Si vero materia fumoſa, & vaporoſa in corde naturaliter genita non expurgetur, ſed vitio virtutis expultricis labefactatæ colligatur ob intemperiem cordis, tunc vapores aliorſum reuocando deriuandi ſunt, ac intemperies ( vt ſupra dictum eſt ) corrigenda per contrarium alterando.

*Ob materiam aliũde influxã.* Si vero ſubſtantia vaporoſa extra cor genita in illud feratur, tunc ea reuellenda eſt ad contrarias, ac quam maxime diſtantes partes, ac cor recipiens confortandum cum adſtringentibus, ne recipiat, præterea corrigendi ſunt affectus partiũ euacuando minerã impetũ vaporum fouentem, ſiue ſit ventriculus, ſiue iecur, ſiue lieni, ſiue meſenteriũ, ſiue vterus ĩ mulieribus, ſiue totũ corpus.

## PALPITATIONIS CORDIS SIGNA prognoſtica. Caput Trigeſimum ſeptimum.

QVIBVS autem ex prædictis indicationibus ſatisfieri poſſit, nunc a nobis videndum eſt, fieri.n. nequaquam poteſt, vt omnes cordis affectus æqualẽ curationis facilitatem recipiant, vt nec aliarum morbi partium, ideo Paulus lib. 3. cap. 33. ait, ſi cordis affectus primario incidat, ipſum in preſentaneã mortẽ præcipitare. At ſi conſortij lege afficiatur, ſyncopen ſuſtinebit.

*Error Pauli.* Quo in loco non videtur rectè primarij ſignificationem accipere, cum ipſum diſtinguat ab eo, quòd conſortij lege oritur.

Verum vt habetur a Gal. 1. de loc. aff. cap. 3. morbus primarius diſtinguitur a ſecundario, & proprius ab eo qui cõſortij lege ſuboritur vt protopathiæ hyſteropathia, & idiopathiæ ſympathia opponatur.

*Protopathia, et ideopathia quid opponatur.* Dicamus igitur, quòd morbus primarius interdum eſt faciliorís curationis, quam ſecundarius, vt ſi quis ob morbum catarrhalem incidat in phthyſim, hic procul dubio facilius euadit a catarrho morbo primario, quam a phthyſi morbo ſecundario.

Si-

Similiter interdum facilioris eſt curationis morbus proprius, quam morbus conſortij lege productus, vt in febris exemplo facilius curatur febris hectica, qui morbus cordis proprius dicitur, quam febris maligna, a cerebro, a iecore, a pulmone, in quibus cor laborat per conſenſum ab illis partibus. *Morbi facilioris cu rationis.*

Siue igitur morbus ſit primarius, ſiue ſecūdarius, ſiue proprius, ſiue per conſenſum, ratio præſagiendi deſumitur a varietate magnitudinis & moris affectus, à vehemētia cauſæ productricis eius, ſecundum quam varietatem varia etiam, & diſſimilis præſagitio, atque curatio exiſtit.

Quia ſi cor nondum fuerit morboſum, verum ob externum aliquem errorem fruſtretur eius opus, paruamq; aliquam cauſā ſupponat, non eſt inconueniens, quod affectus, quem cor ſuſtinet facilem curationem recipiat, quod in ipſa palpitatione etiam contingere videtur.

Et ideo ſi palpitatio incidat vitio alicuius portiunculæ materiæ, quæ vna cum ſanguine in ventriculos cordis ingreſſa fuerit, & hæc ſtatim, cum a calore cordis tacta fuerit, in materiam vaporoſam ſoluatur, eamque virtus expultrix cordis ſtatim repellat citra aliquod aliud vitium cordis, tunc hæc palpitatio parui momenti habetur, nec vltra multos conatus, & ictus, quin tota diſcutiatur, extendi poteſt, & cor tanquam ob errorem externum paſſum, remota illa exigua materiæ portiuncula, facillime ad priſtinum reuertitur, & reſpondet proportionaliter ventriculo eructanti ob deteriuſculum cibum aſſumptum, & palpitantes nihil aliud in hoc affectu patiuntur, niſi in actu ipſius motus, ſenſum quendam elationis, aut dilatationis in corde, quæ cito diſcuſſa materia euaneſcit. Leuius adhuc habendum eſt ſi palpitatio cordis incidat ob eximium ſenſum facultatis tactoriæ cordis, quia ſaltem nulla adeſt materia præternaturalis, vt in altera, quæ fit ob errorem externum, qui ſi perſeueret, fieri non poteſt quin aliquid firmi in corde non imprimatur, ac tunc tanto difficilior fit morbus, quanto diutius cauſa perſeuerat. *Leuis palpitatio cordis.* *Lenior palpitatio.*

Similiter quo magis in frigiditate, caliditate, tenacitateq; materia excedit, eo difficilior redditur, at ſi palpitatio incidat ob imbecillitatem caloris, quæ nondum ſit morbus, ſed ſit tantum affectio ob frigidam reſpirationem contracta, tunc reſpiratione

ad contrariam qualitatem calidam conuerſa,cito corrigitur affectus, quia nondum factus eſt, ſed adhuc fit, ac eius eſſentia pendet ab alio.

At ſi frigiditas perſeueret,ſiue externa, ſiue & multo magis interna ſit, affectus tranſit in habitum morboſum, ideo ſi fuerit ſimplex intemperies difficilior redditur affectus, adhuc difficilius ſi ſit intemperies compoſita, ac inter primas qualitates citiſſimè alterant actiuæ, & inter actiuas caliditas, offenſa tamen actiuarum facilius ad curandum exiſtit, vt Gal.7.meth. cap.5 teſtatur,quã quæ ad paſſiuas attinet,ſed inter paſſiuas ægerrimè omnium corrigitur ſiccitas.

*Actiuæ qualitates citiſſimè alterant.*

Si palpitatio incidat ob conſenſum pulmonis morbo frigido affecti, grauior fit cordis affectus ob perſeuerantiam, & diuturnitatem morbi frigidi pulmonis, quo cum maxime cor conſentit, grauior adhuc redditur affectus cordis palpitationem producens, ſi pulmo laborauerit intemperie frigida cum materia in vaſis eius contenta, quæ non ſolum frigiditate lædat, ſed etiam obſtruendo, vel conſtipando, vel comprimendo leues eius arterias magnam pulſus inæqualitatem inducat.

*Vitia pulmonis difficiles palpitationes faciunt.*

Quemadmodum Antipatro medico contigit, qui, communicata materia etiam aſperis arterijs, leui quadam ſpirandi difficultate, deinde magna, tum ob repletionem venarum, & leuium arteriarum pulmonis aſperas cõprimentium, tum ob communicationem materierum eiſdem factam, atque accedente ſimul cordis palpitatione tandem obijt, vt Gal. ait 4. de loc. aff. cap. 8.

*Antipatri hiſtoria.*

Si vero pulmo crudo tuberculo,aut aquoſo, aut ſcirrhoſo laborauerit,quemadmodum etiam ſi idem patiatur pericardium,difficile tollitur affectus ob cauſæ permanentiam perpetuam, cuius vitio tum vaſa cordi propinqua, eique inſeruientia comprimũtur, tum materiæ flatuum productrices congerũtur,& ita vtrique palpitationi fomentum ſubminiſtratur.

Differunt autem iſtæ cauſæ, quoniam qui in pulmone tumor, quicunq; ſit,continetur,& alterando, & comprimendo leues cordis arterias, maximas pulſus inæqualitates producit, qui vero in pericardio tumor reſidet non ita pulſus diſterminat, ſed potius maciem inducit, & morbus, ( vt Gal. ait. 5. de loc. aff. cap. 2.

*Diſcrimẽ inter cauſas palpitationis.*

gallo

gallo,& ſimiæ contigiſſe ait) in longum protrahitur, niſi ſuborta ſyncope cito patiens commoriatur.

Similiter palpitatio incidens ob conſenſum cum pericardio multam aquam in eius cauitate continente,vel puſtula laborante,quæ aquam contineat,qualem hydatidæ emittere ſolent, licet curari poſſit, veruntamen niſi curatio inſtituatur, hæc quoque in maciem deducere ſolet,vt ibidem ait Gal.

Sed hæc neque ſtatim interficit,quemadmodum etiam ſi contingat ob durum tumorem in eodem panniculo ſubortum,ſimiliter non ſtatim interficit, attamen ſine vlla ſpe ſanitatis diu morbo protracto in maciem tandem totius corporis, & ab hac in mortem terminatur,vt Auicen.ait. 1 1.3.t.1.c.2.

At ſi contingat palpitatio ob conſenſum cum vtero quatenus male afficitur ob præſentiam ſanguinis menſtrui, qui iam ad naturam veneni frigidi accedit,periculoſa eſt,at adhuc deterior ſi cõtingat ob ſemen retentum, quoniam deterioris veneni naturam nanciſcitur, vt teſtatur Gal.6.de loc.aff.cap.5.quod non solũ cordis calorem ita imbecillem reddit, vt flatus producat, ſed illum ita refrigerat,vt aſphexiam,apnæamque generet,vt infra apparebit,coganturque medici multifariam experiri an mulieres adhuc viuant. *In palpitatione, ſi cũ vtero ſiat conſenſus praſagiũ.*

Si igitur palpitatio cordis pendeat a ſemine retento malũ,deterius, ſi vteri præfocatio ſubſequatur, quod ſi conuerſo palpitatio ſubſequatur vteri præfocationẽ, bonũ eſt, ſignificat enim virtutẽ reſipiſcere. Deterrimum eſt ſi frigida affectio alicuius partis, quã cum cor conſenſum habeat,trãſierit in morbum frigidum, adhuc deterius ſi ipſum cor eandem contrahat,quia licet quælibet intẽperies cordis cõfirmata,& in habitu poſita diu ſuſtineri citra mortem poſſit,vt Gal. ait.5.de loc.aff.cap.2.non tamen curabilis eſt, & præcipue frigida,& ſicca,vt ait Auicen. 1 1.3.t.1.cap.2.

Item ſi palpitatio incidat ob aliquod irritãs facultatem expultricem cordis, tunc ſi fuerit ſolutio continui, quæ vſque ad ventres cordis pertingat,minus tolerabilis eſt, quam ſi fuerit apoſtema,a quo licet animal enecetur, tamen principium eius ſuſtineri poteſt,at in tali continui ſolutione, & præcipue ſi ad partem ſiniſtram attineat, protinus magno cum ſanguinis fluore hominem mori neceſſe eſt,vt 5.de loc.aff.cap.2. ait Gal. *In palpitatione a continui ſolutione præſag.*

Si vero vulnus ad ventres vſque non pertigerit, ſed in cordis ſubſtantia tantum conſiſtat,ex ita affectis aliqui non ſolũ ea die, qua vulnerati fuerunt, ſed etiam ſequenti quoque nocte ſuperuiuere potuerunt, at ſuperueniente inflammatione extinguuntur, vt ibid.ait.Gal.

*Cor an ſcirrhos ſuſtineat.* An vero ſcirrhos ſuſtineat cor,vt 2.& 3.de præſag. ex pulſ. negat Gal. ambigunt doctiſſimi quidam viri, propterea quod in ſectionibus cadauerum viſi interdum ſint in externis cordis partibus parua quædam vlcera aliquantulum profunda,ſordida, & purulenta, quæ & antiqua fuiſſe non iniuria coniectandum ſit, cum quibus cum diu patientes ſuperuixerint, non videtur inconueniens etiam cum ſcirrhis per aliquod tẽpus citra mortem cor perſiſtere poſſe.

*Cor ſenſibili & doloroſo morſu non afficitur.* Cordi autem aut dolorem, aut morſum ſenſibilem, & doloroſum nemo vnquam contigiſse ſenſit,vt ſcribit Gal.2.de dec.Hip. & Plat.cap.8.ideo neque palpitatio ab his petenda eſt.

At dubitatio inſurgit,quia hic ex mẽte Gal. aſſeritur cordi nullum dolorem, aut morſum ſenſibilem, & doloroſum contingere poſſe, & ideo palpitatio hac de cauſa fieri nequit. Attamen ſupra de mente Auicen. poſita eſt palpitatio ob eximium ſenſum cordis,quid igitur dicendum eſt?Sol. quòd aliud eſt eximius ſenſus & morſus, qui in corde reperiri poteſt, vt palpitatio fiat, & aliud eſt ſenſus, & morſus doloroſus, pro quibus intelligitur magnus affectus,& continuum ſoluens,qui in corde ſuperſtite vita reperiri nullo pacto poteſt.

At ſi contigerit ob dolorem alterius partis,& præſertim oris vẽtriculi inflammatione correpti, tunc contingunt lypotimiæ, & ſyncopes,ideo Hippoc.7. aph.26.dixi,t a forti dolore ventris frigiditatem partium extremarum malum eſſe,ſimiliter 4.apho.65. ait,in febribus circa ventriculum & fortis ęſtus, & cordis morſus malum eſſe,fit enim propter præſentiam bilis in tunicis ventriculi ebullientis,& extremum ex eo malum ſignificatur.

Minus periculum nunciatur, ſi dolor incidat ob præſentiã bilis,aut alterius humoris contenti in cauitate ventriculi, quia hic cito educitur,aut per vomitum,aut per ſeceſſum,aut eius acrimonia obtunditur.

At ſi palpitatio accidat ob eximium calorem nondum tamen morbo-

*In palpitatione ob eximiũ calorem præſag.*

morboſum, curationis facilitas ſequitur facilem cauſæ calefacientis remotionem, ſiue cauſa attineat ad animam, ſiue ad corpus, quia ſi contigerit ob calorem alicuius partis principis, vel principi inſeruientis, quæ inflammatione tentetur, qualis eſt ventriculus, hepar, vel pulmo, tunc palpitatio periculoſa eſt, quia fouetur à magno præcipuæ partis morbo, cũ qua plurimum cor conſentit.

At ſi palpitatio incidat ob nimium cordis calorem iam morboſum ob prædictas partes, aut alias huiuſmodi factum, tunc ſi ſit in habitudine curari adhuc poteſt, quãuis difficilius, at ſi ſit in habitu, lethale eſſe cenſendum eſt, quia conſequitur febris hectica, & totius corporis conſumptio.

*In palpitatione ob neceſſitatem generationis ſpirituum animaliũ, præſag.*

Si vero palpitatio incidat ob neceſſitatem generationis ſpirituum animalium interdum facile ſedatur neceſſitas, & vna cum ea palpitatio eadem de cauſa ſuborta, vt ſi ortum duxerit a nimio corporis motu, qui ſpiritus animales diſſipet, & abſumat, tunc quies iniuncta eſt eius morbi ſolutio, quod ſi fiat ob defectum ſpirituum vitalium deficientium ob penuriam ſubſtantię aereæ, tũc pro ratione impedimenti intercipientis pronunciandum eſt, quia ſi ſubſtantia aerea intercipiantur ab angina, aut ſimili alia de cauſa permanente lethale eſt, è contra ſi cauſa intercipiens ſit velocis tranſitus.

*In palpitatione ob defectũ ſanguinis præſag.*

At ſi contingat ob defectum ſubſtãtiæ ſanguineæ, curatio perficitur per ea, quæ ſanguinem reparant, vel eius abſumptioni, & deperditioni reſiſtunt, niſi ſit immoderata, & repentine facta, ad quam conſequitur ſpirituum exinanitio, ſyncope, & mors.

*In palpitatione ob defectum ſpirituũ præſag.*

At ſi contingat ob defectum vtriuſque ſubſtantiæ, aereæ nempe, & ſanguineæ inſimul permiſtæ, cum hic fiat ob viarum obſtructiones factas à multitudine, craſſitie, & lentore humorum in leuibus pulmonis arterijs contentorum, qui ſpiritum intercipiant, tunc ſi eſt omnimoda interceptio lethale quam primum eſt.

Si eſt partialis, tunc quo maior eo deterior, augetur ſi humores obſtruentes ſint putridi, & febrem accendant, ſi fiat a ſcirrho aut crudo tuberculo eſt fere incurabilis, attamen diu ſuperuiuere poſſunt, ſi obſtructio pendeat à craſſitie humorum, in iuuene curari poteſt, at in ſene eſt incurabilis, ideo Antipatrus medicus nó potuit ab attenuantibus adiuuari, ſed oborta tandem difficultate ſpirandi vna cum cordis palpitatione obijt.

Quare graue, & periculoſum eſt dum inflãmatio, ſcirrhus, aut aliud id genus tumor cingentia arterias corpora teneat, earumq; arceat diſtentiones, at grauius eſt ſi ipſarum arteriarum tunicis tale quid inſederit, adhuc maius malum eſt ſi materia in ipſis arterijs conſtiterit.

*In palpitatione ob copiam ſanguinis in vaſis cordis præſag.*

At vero ſi in ipſius corporis cordis vaſis exiſtat, hoc iam malũ eſt extremum, etenim hi ſubito ſyncope corripiuntur, vt Gal. ait 2. de præſag. ex pulſ. cap. 4.

Grauitas autem morbi cognoſcitur ex pulſu, quia ſi ſit pulſus in vnico ictu inæqualis ob vitium inſtrumentorum, aut ob humorum inſignem abundantiam incommodior affectus exiſtit, quã ſi ſit in aceruo, vt teſtatur Gal. ibid.

Præterea deterior eſt effectus ſi inæqualitas attineat ad intermiſſionem, quam ſi attineat ad perpetuitatem, aut ad reciprocationem, eſt enim intermiſſio pulſus omnium inæqualitatum periculoſiſſima, & præcipue quæ fit in vnico ictu pulſus, hæc enim pręſentem mortem denunciat, vt Gal. ait. ibid. cap. 6.

*In palpitatione ob copiam ſanguinis in ventriculis cordis præſag.*

Si vero palpitatio in corde incidat ob copiam ſanguinis, qui in cordis finibus contineatur, hic niſi cito euacuetur, imminet periculum, ne calor inſitus cordis ſuffocetur, attamen facilis curationis exiſtit vt Gal. 2. de cauſ. pul. cap. 2. ait, maius malum minatur, ſi ſanguis in cordis ſubſtantia contineatur, cum ſit principiũ inflammationis, ſed hic quoque miſſione ſanguinis, & retractione à centro ad circumferentiam curatur, nec eſt morbus diuturnus, & conſtans, atque ægrè ſolubilis, vt idem 3. de præſag. cap. 2. ait.

Si vero ſanguis acrior, & mordacior euadat, ſitque imago cacochymiæ, palpitatio deterior euadit, cum morbus ſit principiũ eryſipelatis, ſed neq; hic ſpem ſalutis adimit, attamen niſi in eius principio ſoluatur, lethale eſt.

*In palpitatione ob materiam vaporoſã præſagium*

At ſi palpitatio pendeat a materia vaporoſa, tunc eſt longe mitior, quia morbi pendentes a materia vaporoſa ſunt leuiores, breuiores, ſolutoque longe faciliores, quam ſint, qui a materia humoroſa pendent, quod etiam confirmauit Auicen. 11. 3. t. 2. cap. 1. & 2. dicens palpitationem a materia vaporoſa eſſe longe leuiorem, & faciliorem, quam ſit illa, quæ fit a materia humoroſa.

Attamen ſi vapor colligatur in ſubſtantia cordis, grauior fit affectus, quã ſi colligatur in eius ventriculis, excipitur collectio frigidi

gidi flatus,qui legitimam palpitationem producit vitio cordis af fectus,quia licet hic quantum ex ſe eſt facile diſcuti poſſit,tamẽ, quia ſignificat materiam frigidam,& craſſam, atque affectum fri gidum in ipſo corde reſidere,ideo maximus morbus ſignificatur.

Ideo legitima palpitatio ratione cauſæ, quæ cordis affectus fi- xus eſt,longe deterior, ac fere ſemper lethalis, infrequens tamen eſt, quod cor ſuccos frigidos in eius ventres, a quibus refrigere- tur,contineat, an vero contingere poſſit,qui ambigit petat à Gal. 3.de præſag.ex pulſ.cap.4.

Si vero vapores notham palpitationem producentes extra cor generentur,vt in iecore,liene,meſenterio,vtero, pulmone, ventri culo,leuior adhuc erit affectus, verum ſi hi inter ſe conferantur, affectus pulmonum magis, & promptius cor afficit, quã affectus cæterarum partium, ideo in peripneumonia palpitatio ſtat cum magno vitæ diſcrimine. At ſi vapor ſit veneficus vndecunque fe- ratur mortem repentinam minatur. *In palpitatione ob materiam extra cor qualis præſagitio.*

## *QVID INTER PRAESIDIVM, & materiam præſidij interſit, & vnde deſumatur indi- catio euacuandi ſanguinem. Item de materia Chirurgica in palpitatione cordis. Caput Trigeſimum octauum.*

MATERIAE autem præſidiorum, quæ per indi- cationem ſunt inuenienda, aliæ attinent ad Chi- rurgiam,aliæ ad pharmaciã, aliæ ad rectam victus rationem: quæ attinent ad Chirurgiam, de qua nunc agendum eſt, præcipuè ſunt venę ſectio,ſca- rificatio,cucurbitulæ ſcarificatæ,non ſcarificatæ, hirudines, fon- ticuli, phœnigmi, frictiones, ligaturæ, & alia huiuſmodi, ſi quæ ſint. *Materiæ præſidiorũ chirurgicorum enumerantur.*

Quantum attinet ad venæ ſectionem,quæ eſt materia remedij euacuantis ſanguinem,tunc ipſa opportuna eſt, quando adeſt in- dicans euacuandi ſanguinem, nec quicquam adeſt, quod eam prohibeat.

Quid autem ſit illud,quod ſanguinis euacuationem indicet vi-

deo

*Indicãs euacuatione ſanguinis eſt ual de controuerſum.* deo apud omnes Hippocratis, & Galeni poſteriores controuerſũ eſſe, quamuis (vt ego arbitror) hoc non ſit valde arduum inuentu, ſi diſtinctè procedatur, vniuerſa namque huius theorematis enodatio pendet a legitima diſtinctione, habita inter præſidium, & materiam præſidij.

*Differentia inter præſidiũ et eius materiam.* Differunt enim hæc quàm plurimũ inter ſe, & præcipuè quia, vt docet Gal.lib.de conſt.art.Med.cap.14.9.Meth.cap.14.& 15. 5.de tuen.ſan.cap.10.4.in 6.de morb.vulg.t.9. 5.eiuſd.t.primo, & in docum.de puer.epilep.ca.7. lactuca, & ſonchus potius ſunt iuuantium materiæ, quam iuuantia.

*Secunda differẽtia.* Præterea vnum prȩſidium ſemper eſt vnius indicantis indicatum, vt 9.Meth.cap.12.ait Gal. quia calidum præſidium indicatur a ſolo frigido, & frigidum a ſolo calido, at materia præſidij poteſt eſſe multiplex etiam reſpectu vnius prȩſidij indicati, quia calidi præſidij indicati materia poteſt eſſe hyſſopus, origanum, pulegium, piper, theriaca, & ſingulæ materiæ calefacientes.

*Tertia differentia.* Similiter differunt, quia vna materia prȩſidij poteſt diuerſa habita ratione ſubeſſe multis præſidijs indicatis, quia hyſſopus non tantum calefacit, quod eſt vnum indicatum, ſed etiam attenuat, aperit, fundit, exiccat, & in propoſito ſectio venæ non ſolum ſanguinem euacuat, ſed etiam deriuat, diuertit, & refrigerat, vt lib. de cur.rat.per ſang.miſſ.cap.11. idem exemplo balnei 10.Meth. cap.10.oſtendit Gal. Idem exemplo ptiſanæ confirmat primo in lib.Hipp.de rat.vict.in ac.t.44 Quæ omnia quot effectus ſunt, & operationes, tot indicata eſſe poſſunt, quibus per vnam remedij materiam ſatisfieri poteſt.

*4. Differẽtia.* Similiter differunt, quia numquàm indicãs per ſuam naturam indicabit materiam præſidij, ſed ſemper indicabit præſidiũ, quia bilis numquam indicat rheubarbarum, aut aloen, ſed ſolum ſui purgatorium, & morbus calidus non indicat lactucam, ſed frigidum remedium tantum.

*5. Differẽtia.* Differunt tandem, quia præſidium ordinatur immediatè ad ſanitatem, tamquam ad vltimum, quod per ſe expetitur, vt Galen. ait, 11.Meth.cap.1. materia vero præſidij non ordinatur immediate ad ſanitatem, ſed ad præſidium tantum, ideo ſectio venæ ſanguinis euacuandi, aut reuellendi, aut deriuandi, aut refrigerandi cauſa, vt Gal. ait 9.Meth.cap.11.adhibetur, euacuatio autem,

tem, aut reuulſio, aut deriuatio, aut refrigeratio ſanitatis gratia inſtituitur.

Ideo dum quæritur, quodnam ſit indicans venæ ſectionem, patet aperte quæſtionem eſſe vanam, & abſurdam, quia venæ ſectio, cum ſit materia remedij euacuantis ſanguinem nō poteſt eſſe indicatum, quærendum eſt igitur quidnam ſanguinis euacuationē indicet, quod pro indicato diſtincto ab eius materia eodem 9. Meth. cap. 11. ſtatuit Gal. *Materia remedij nō poteſt eſſe indicatū a natura morbi, aut cauſæ.*

At quis deterreri poſſet ab eo, quod ſcribit Hippoc. 4. de rat. vict. ac. t. 19. & Gal. ibid. & 4. Meth. cap. 6. & 7. vbi apertè aſſerunt materiam remedij, nempè venæ ſectionem indicari a morbo magno, dum aiunt, ſi morbus eſt magnus, & ætas, & vires ferant ſeca venam, quod quidam videntes imaginati ſunt poſſe reſponderi, Hippoc. & Gal. ibi accipere venæ ſectionem, nō pro indicato, ſed pro ſigno indicati, ideo aiunt per venæ ſectionem ſignificari magnum remediū, quod ſolum debet a magno morbo indicari, quod etiam frequenter a Gal. pro vero indicato non ita rigoroſe vocis proprietatem inſectāte vſurpatum fuit, quaſi igitur diceret Hipp. ſi morbus eſt magnus vtere magno remedio. *Dubitatio*

Quæ ſanè interpretatio a vero tamen abhorret, quia nihil grauis iſta ſententia, quam tantum extollit Gal. contineret, imo nihil plus quām vulgus iners calleat, doceret, cum quilibet vel rudis facilè cognoſcere poſſit morbum magnū magna remedia requirere, nec excederet aphoriſmi ſententiam, qua docet extremis morbis extrema remedia opportuna eſſe, cum igitur alias dixerit contraria cōtrarijs curari, & extrema extremis opportuna eſſe, & repletio inanitione, & inanitio repletione corrigi, vanum erat addere magnum morbum magno remedio egere; præterea ſi magnū remedium intendebat, quare non dixit magnum remedium? ſed his vocibus nunc oblitus, deſcendit ad venæ ſectionem, quare nō ad purgationem, cum non minus purgatio ſit magnum remedium quam venæ ſectio? *Reſponſio reijcitur.*

Melius eſt igitur, vt dicamus, quod Hipp. 4. de rat. vi ac. t. 19. & Galen. ibid. & 4. Meth. cap. 6. & 7. ac locis alibi allegatis, dum aiunt ſi morbus eſt magnus, & ætas & vires ferant, ſeca venā, non intendant tradere ſcopos mittendi ſanguinem, & docere indicās præſidium, ſeu iuuans, ſed methodum inueniendi materias præſidio- *Vera reſponſio.*

ſidiorum, quia materia vnius præſidij poteſt eſſe multiplex, vt hyſſopus, origanum, calamēthum, piper, ſunt materiæ vnius præſidij calidi, & ſectio venæ, cucurbitula, hirudo, ſunt materię vnius præſidij ſanguinem fundentis, at Hippoc. & Gal. ibi in illa ſententia non loquuntur de præſidio, ſeu de iuuante, ſed de eius materia tantum tradentes methodum & viam inueniendi eam cæteris poſtpoſitis, hoc autem patet, quia volunt haberi rationem ætatis & virium, igitur in morbis magnis ſtatuunt eam præſidij materiam eligendam eſſe, quæ magno morbo congruit, talis autem eſt ſectio venæ, ſed hæc cum ſit materia validi præſidij, nec a quolibet æque ſuſtineri poſſit, ideo adiecit eam adhibendam eſſe ſi ætas & vires ferant, quod ſi de cæteris materijs intelligeret, accurata cautio de ætate & viribus neceſſaria non fuiſſet, non enim cucurbitula, & hirudo, multo minus frictio, & vnctio digerens, has cautiones requirunt.

*Intellectus ſententiæ 4. de rat. vict. acut. tex. 19.*

*Confirmatio eiuſdē ex Gal.*

Præterea quod Gal. loquatur de materia validi præſidij ſanguinem fundentis, quæ fit per ſectam venam, patet, ſi bene conſiderentur ea quæ habet in commento, ac alibi dum illius ſententiæ meminit, nempe ſi morbus eſt magnus, & ætas, & vires ferant ſeca venam, quia ibi diſcrimen ponit inter materias illius præſidij dicens, neq; enim plethorica facta ſyndrome ſanguinem ſemper mittemus, ſed frictione balneis multis & abſtinentia, idē lib. de cur. rat. per ſang. miſs. cap. 4. confirmat dum ait, in omnibus itaque iſtis modis propoſitis infeſtantium tum humorum, tum vaporum euacuationes apathematis, id eſt, paſſionibus hominem liberant, non tamen vena ſecta prorſum eſt opus, ſed ſufficit purgatio, frictio, balneum, & inunctio cum digerente medicamine, ergo qui vena inciſa iuuentur affectus deinceps dicamus, & ibid. cap. 6 ait. quocirca qui ſic affecti ſunt eos ſanguinis miſſione iuuare non conuenit, ſed frictionibus mediocriter calefacientibus, vnctionibus, vt aperte conſtet Gal. loqui de materijs prēſidiorum, non de prēſidijs indicatis, quam plurimis alijs Galen. locis hoc confirmari poſſet, ſed hęc ſufficere poſſunt, & prēſertim, quia alibi de hoc ſatis (ni fallor) actum eſt.

Quērenti igitur quidnam ſanguinis euacuationem indicet nō poſſumus reſpondere ſimpliciter, quod ſit peccatū ſanguinis, quia ſanguis peccans quantitatę imminuta, vt talis non indicat ſui

euacua-

euacuationem,vt nec peccans qualitate, cum ſic indicet ſui alterationem per contrarium,& dum peccat motu, indicet ſui reuulſionem ad oppoſitum locum non euacuationem, vt euacuatio eſt, ideo dum quæritur, quid per ſe, & primo ſanguinis euacuationē indicet,dicimus cum Hippoc.&Gal.2.aph.22.quod cum contraria contrarijs curentur, & euacuatio repletione, & repletio euacuatione ſanetur, ideo repletio ſanguinis eiuſdem euacuatione curata erit indicans eiuſdem euacuationis, neque enim ait ibid. Galen. aliud quicquam poſſumus excogitare præter contrarium cauſis morbos efficientibus. Igitur ſi euacuatio ſanguinis eſt eiuſdem imminutio, & hæc exceſſui aduerſatur, ergo tunc primo, & per ſe ſanguinem euacuamus,cum ſanguis peccat ſecundum exceſsum.

*Quid per ſe, & primo ſanguinis euacuationem indicet.*

Dicimus autem primo, & per ſe, quia nos non quærimus omnem cauſam euacuandi ſanguinem,ſed illam tantum, quæ primo & per ſe euacuationem præſtat, nam interdum euacuamus ſanguinem gratia reuulſionis, aut deriuationis, aut refrigerationis, at tunc ſanguinem euacuamus per accidens, quod ad rem noſtrā non attinet, quod ante copia ſeu plenitudo ſanguinis primo & per ſe eius euacuationem indicet,probemus ex Hippoc. & primo cum ſanguis per ſe multipliciter euacuari poſſit, vt aut per venæ ſectionem, quæ eſt materia validi præſidij, aut per cucurbitulas, per hirudines, per frictiones, per balnea, per exercitationes, per inediam,quæ omnia ſunt materiæ debilis præſidij,ideo ſi ſanguis multitudine (ait Galen.) ita creuerit,vt aut vires premat,tum arterias diſtendat, vel findat, vel obſtruat, tunc illico minuendus eſt, vt præcipit Hippoc in habitu athletarum faciendum,ideo Galen.3 in 6.de morb. vulg.t.29. in muliere, cuius venæ ſanguinis plenæ, colore liuidæ eminebant, reſciſſo earum vaſculo liquidæ pici & colore, & craſſitudine ſimilis ſanguinis abunde educi iuſſit, patet igitur quomodo ſola copia ſanguinis induxit eius euacuationem, ſed idem confirmans libro de cur.rat. per ſang. miſs. cap... 1dixit, ſi igitur qui plenitudine grauatur, aut tenditur, nec puer fuerit, nec ſenex, ac illi venam ſecare oporteat, præ oculis habens hoſce principales ſcopos, plenitudinis nempe tum quantitatem virium robur &c. vbi notandus eſt modus loquendi Galeni, qui ponit inter principales ſcopos plenitudinem,

*Duplex cauſa ſanguinis mittēdi alia per ſe, alia per accidens.*

*Materiæ debilis præſidij.*

dinem, & poſtea ait, ac illi ſecare venam oporteat ad differentiam aliarum materierum, quod morbi magnitudo dirimit, vt ſupra dictum eſt.

Confirmat plenitudinem eſſe principalem ſanguinis mittendi ſcopum ibidem cap. . . dum ait, qua ratione nec pueris pertundes venam ante quartum decimum annum, poſt quem ſi multus congeſtus ſanguis appareat, tempusque anni ſit vernum, & regio temperata, puerque natura ſanguinea, aut alicuius acuti morbi diſcrimen impendeat, ſanguinem minues, vbi proponit Galen. multum ſanguinis congeſtionem in puero natura ſanguineo, & ibid. cap. 6 dixit, vbi ergo extantibus plenitudinis ſignis valentes facultates fuerint venam incides; videlicet ſi ſenſitiua ſit affectio nullo diſcrimine, magisque etiam in phlegmonode, ſed lib. de tremore, pal. con. & rig. cap. 5. ait, quod igitur ſanguine abundante venam incidere oporteat nemo non nouit, ſi quidem in venis ille contineatur.

*Copia ſanguinis eſt verum indicãs eius euacuationem.*

Satis igitur per hæc patet copiam ſeu multitudinem, ſeu plenitudinem dicas, eſſe principalem ſcopum, in quem reſpicere medicus debet, dum primo & per ſe ſanguinem miſſurus eſt, dũmodo ætas & vires ferant, morbi vero magnitudinem diſtinguere an ſanguis debeat euacuari per venam ſectam, an per reliquas debilis præſidij materias, ſi quis autem pleniorem hac de re probationem deſideret perlegat ea, quæ in tractatu huic propoſito dicato adnotauimus.

## *DE MATERIA CHIRVRGICA inP lpitatione cordis. Caput Trigeſimum nonum.*

*Morbi cordis, vt plurimũ ſiũt a ſanguine.*

SED in propoſitis, de quibus alibi plenius, ad rem redeuntes dicamus, quod ſi cordis palpitatio pendeat a ſanguine, quod vt plurimũ in morbis cordis contingit, quia, vt ait Auicen. 11. 3. t. 2. cap. ſexto. repletiones, quibus cor redundat, ſunt repletiones ſanguinis, & vaporum, a quorum impetu ſummopere miſſio ſanguinis cor tuetur, ideo illico ſanguis, vt indicans ſui euacuationem, euacuãdus eſt, ſanguis enim

tunc

tunc obtinet rationem cauſæ principalis morbi.

Et ſi corpus fuerit plethoricum, primũ ſecandá eſt vena com-munis, deinde baſilica brachij, ſiniſtri, in mulierib. autem, & pręcipuè dum ſuppreſſi ſunt menſes, ſecandæ ſunt venæ inferiores, quæ tantundem valent, vt 4. de tuen. val. 4. ait Gal. deinde venæ brachiorum aperiendæ ſunt.

Nec minus agendum, ſi palpitatio viris contingat ob ſuppreſ-ſionem venarum ſedis, quia cum per illas partes cõſueuerit effluere collectus ſanguis, ſi ſuppreſſio inciderit, non poteſt eſſe ſine ple nitudine inferiorum partium, a quibus poſtea confluit ſanguis in cor, palpitationemque producit.

Ideo ſectis crurum venis primo fit ſanguinis euacuatio partiũ inferiorum, ac ſimul, & ſemel eiuſdem confluentis in cor reuulſio, cum fiat a partibus quàm maxime diſtãtibus a corde, vel niſi fiat ab illis venis, ab ipſiſmet hæmorrhoidibus faciẽda eſt, deinde de-riuatio à proximis cordi ratione ipſius quod iam in illud conflu-xit, quam maxime opportuna eſt, atq; hoc etiam faciendum eſt li cet palpitationis tempus extet, quia cum pendeat a ſanguine, eo educto illico ęgrotans ſubſidium recipit, alias imminet periculũ de lypotimia, & ſyncope, quæ ſunt viæ ad mortem.

Quod ſi vires fuerint imbecilles, ita vt ægri venæ ſectionem tuto ſuſtinere non poſſint, vel morbus ratione eſſentiæ ſpecificæ, & indiuidualis non ſit valde magnus, tunc ratione reuulſionis cu curbitulæ cum ſcarificatione, quæ tantundem valent, vel etiam ſine ſcarificatione patribus infernis affigendæ ſunt, vel hirudines venis hęmorrhoidalibus ſunt admouendæ, poſtea à partibus ſupę rioribus, quod iam in cor influxit detrahendum, ac deriuandum eſt, admouendo hirudines venis brachiorum, vel ipſis brachijs ſcarificatis, & magis ſiniſtro, quam dextro. *Lypotimia & ſyncope ſunt viæ ad mortem.*

Conſiderandum autem eſt quanta ſit ſanguinis plenitudo e-uacuationem indicans, deinde qualem euacuationis ſpeciem tũ morbus requirat, tum vires tutius ſuſtinere poſſint, quia vt ille a-gendum eſſe indicat, ita hæ interdum adeo actionem interpellãt, & prohibent, vt omnino abſtinendum ſit.

Si vero palpitatio pendeat ab aliquo reliquorum ſuccorum, cũ quibus tamen permixtus ſit ſanguis, tunc cum ſanguis obtineat rationem cauſæ minus principalis, minus etiam vrget indicatio *Sanguis vt cauſa minus prĩcipalis eua cuari de-bet.*

euacua-

euacuationis eius, attamen miſſio ſanguinis nullo pacto prætermittenda eſt, quia morbi cauſa imminuitur, qua imminuta, morbum etiam imminui neceſſe eſt.

*Sãguis, vt cauſa ſine qua non eſt euacuãdus*

Quod ſi a reliquis ſuccis ſinceris omnino pendeat morbus, ad ſit tamen ſanguinis refertio in toto corpore, tunc ſimiliter ſanguinis euacuationi parcendum non eſt, quia ſanguis ſubit rationem cauſæ ſine qua non poteſt curari morbus.

Quibus in caſibus ſemper perpendendæ ſunt vires, num materia magni pręſidij, qualis eſt ſectio venę indicati a morbo magno, qualis eſt præſens cordis palpitatio, poſſit à præſentibus, & futuris viribus ſuſtineri, vt ſupra dictum eſt.

Si vero palpitatio pendeat a materia vaporoſa a ſanguine eleuata conuenit miſſio ſanguinis, tum per ſe ratione cauſæ morbificæ, quæ cum ſit minera ſanguinea, à qua fouetur morbus, ipſa ſui euacuationem per ſe indicat, tum per accidens ratione morbi materialis inter euacuandum ſanguinis euacuationem conſequẽtis.

Ideo materia vaporoſa conſequens motum ſanguinis, dum cõfluit in cor, per ſanguinis euacuationem factam euacuatur, ideo ſi vires ferunt conuenit ſectio venæ, alias conueniunt cucurbitulæ, hirudines, frictiones, & fonticuli, tum pro reuulſione, tum pro deriuatione vaporum cor infeſtantium facienda.

Et ſi ſanguis ſit in toto corpore pro reuulſione ſecandæ ſunt venæ inferiores, vel chirurgicæ materiæ quæcunque ſint, ſiue ſcarificationes, ſiue frictiones, ſiue ligaturæ, ſiue phęnigmi, ſiue fonticuli admouendi ſunt partibus infernis, at pro deriuatione, magis conuenit ſectio venæ baſilicæ brachij ſiniſtri.

Si vero materia contineatur in aliqua parte infra cor, vt in lienoſis, & his, quibus iecur, vterus, meſenterium obſtructa ſunt, vt contingit in hypochõdriaca paſſione, & præſertim mulieribus, quibus menſtrua purgamenta defecerunt, hæ etenim plurimum ſanguinis calidi, & craſſi congerunt, à quo vapores copioſi eleuãtur, palpitationique fomentum prębent, tunc vt materia ibi quieſcit deriuanda eſt ſimiliter per partes inferiores.

Si vero moueatur ſurſum cor verſus, tunc eius retractio deorſum habet rationem reuulſionis.

Si verò materia contineatur in aliqua parte ſupra cor, vt in pulmonibus, tunc ſimiliter vt eſt in motu verſus cor, ei conuenit reuul-

reuulſio,quæ per partes ſuperiores fieri debet, vt vero quieſcit euacuatio per partes ſuperiores habet rationem deriuationis, ſiue fiat per venæ ſectionem,ſiue per reliquas materias euacuantes,vt ſupra dictum eſt.

Quod ſi palpitatio pendeat a ſucco frigido,& craſſo,a quo flatus eleuentur, vt in legitima palpitatione contingit, nec adſint ſigna copiæ ſanguinis exiſtentis ſiue ſub ratione cauſæ non principalis,ſiue ſub ratione cauſæ ſine qua non,tunc omnino venæ ſectioni parcendum eſt, quia ſanguine educto vniuerſus corporis habitus adhuc frigidior efficitur, cruditaſque adeo inualeſcit, vt ſaluti nulla amplius ſpes relinquatur. *Quãdo nullo pacto mittendus ſit ſanguis*

Ad hoc reſpexit Auicen. dum monuit cauendum eſſe, ne ſectione venæ deducatur æger ad alterum duorum, vel ad calidorũ ebullitionẽ, vel ad frigidorum incrudationem, quare recrudeſceret morbus ſecta vena dum habitus totius corporis frigidus iam eſt. *Auicennæ documentum.*

Ideo probanda mihi nullo pacto videtur ſentẽtia Altimari, qui in legitima palpitatione, quæ fit a flatu craſſo nulla exiſtẽte ſanguinis plenitudine,ſanguinem euacuari iubet, ſed decipitur (vt arbitror) fictus authoritate Gal. 5.de loc.aff.c.2.dicentis,hos ſanguinis euacuatione iuuari, non aduertens, ꝙ ibi Gal. loquitur de notha palpitatione,quæ ſequitur affectum calidum, & ſanguinis, & vaporum calidorum abundantiam. *Altimarus damnatur.* *Erroris eius cauſa.*

Nec quicquam obeſt quod curationem attenuantẽ adhibeat, quia ẽt calidi vapores medicamentis extenuantibus diſcutiũtur, cum magis vrget copia vaporum, quã cauſa, quæ illos produxit.

## DE MATERIA MEDICINALI IN *palpitatione cordis. Caput Quadrageſimum.*

QVONIAM cor, vt inquit Auicen. 11.3. t.2. cap. 6.eſt membrum principale,& prius, & ſublimius omni alio membro principali, quod nos etiam lib.1. ſatis demonſtrauimus, ideo debet medicus eſſe valde ſolers, & accuratus in curatione morborum eius. *Cor membrum principale.*

Non enim morbi,qui cordi contingunt,terminantur in detri-

mentum ſolius cordis,verum, vt idem Auicen.ait,ratione prædictæ principalitatis nocens radici vitæ,& vt optime teſtatur Gal. de cur.rat.per ſang.miſſ.cap, 5.terminantur in damnum totius viuentis,quicquid enim cor in caliditate, & frigiditate perpetitur, eius protinus & aliç corporis partes participes efficiuntur.

*Morbi cordis terminantur in necem animalis.*

Studeat igitur medicus dum circa fontem vitæ, & caloris innati verſetur, cuius.vera radix eſt cor, vt ne aliquis inter operandũ error irrepat,vitio cuius virtus imbecilla reddatur.

*In morbis cordis cauendũ eſt a medicinis vehementibus.*

Ideo in omni cordis affectu curando debet medicus cauere à medicamentis vehementibus,ſiue intendat euacuare,ſiue alterare,aut calefaciendo,aut refrigerando,aut humectando, aut exſiccando, aut adſtringendo,aut dilatando, & propterea cum medicinis tam alterantibus,quam euacuantibus ſemper miſcéda ſunt cordialia.

Differenter tamen,pro diuerſitate læſionis,aut cauſarum eius, tum quia cordialia calorem innatum ſeruant,tum etiam quia deducunt alias medicinas ad cor,vt ei ſubſidio ſint.

*Medicina ſolutiua dupliciter nocet cordi.*

Medicina autem ſolutiua dupliciter, vt ait Auicen. de med. cord.t.2.cap. 2.nocet cordi,primo quia cum eo quod nocuum eſt euacuatur etiam de benigno. 2. quia trahit excrementa ſupra hepar,& ventriculum,cum quibus cor maximum cõſenſum habet.

*Medicina calefactiua ſubſtantiam ſpiritus inſiti diſſipat.*

Medicina autem calefactiua nimis ſubſtantiam ſpiritus innati diſſipat,atque abſumit,refrigeratiua vero calorem innatum extinguit, ideo dum medicus refrigerare intendit, repentinam, & immodicam refrigerationem cauere debet.

*Nunquam ſolis refrigerantibus vtendũ eſt.*

Præterea nunquam debet ſolis, & nudis refrigerantibus vti, ſed ſemper aliquid calidi caloris innati conſeruandi gratia admiſcere ſatius eſt, ad differentiam calefactionis, quæ permiſta refrigerantia non expoſcit,& ratio eſt quia,vt Ariſtot. teſtatur lib. de morte & vita,animantia calido viuunt,& frigido moriuntur.

Solus exceſſus in cæteris contrarietatibus cauendus eſt, ideo neque excedens humectatio probanda eſt, quia calorem innatũ ſuffocat,& obruit,& excedens exſiccatio humidum radicale tollit, & abſumit,ſeniumque,& mortem accerſit, item nimia adſtrictio vias ſpirituum intercipit, ideo ceruſa, & gypſum ſtrangulat, ſimiliter nimia dilatatio ſubſtantiam caloris innati diſgregat, & diſſipat,& propterea crocus interficit.

Quia

Quia omne nimium naturæ inimicum eſt, & plurimum, atque repente euacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare, vt Hipp. ait 2.aph. 51. ſeu quouis alio modo corpus mouere periculoſum eſt, at quod paulatim fit tutum eſt, tum alias, tum cum ab altero ad alterum tranſitus fit, quia in elementorum commenſuratione facile variabili natura conſiſtit. *Omne nimium naturæ inimicum eſt*

Igitur in legitima palpitatione primo leniatur aluus cum clyſtere communi, vel additis interdum in decoctione ſeminibus aniſorum, fęniculi, cimini, carui, item centaureæ, & ſimilibus, cum hiera ſimplici, benedicta vtraque, electuario Indo minori, vel ſimilibus, quæ pituitam & extenuare, & educere valeant. *Ordo curationis per lenientia.*

Per os vero leniatur vēter cum caſſia, addito agarico trochiſcato, vel ſpeciebus hieræ, vel cum diacatholicone, vel melle roſato ſol. diſſoluto cum decoctione cordiali, in qua vel ſena, vel polypodium, vel vtrunque ebullierit, vna cum meliſſa, borragine, pimpinella, tormentilla, & ſimilibus.

Vel ſi æger ſit pronus in vomitū, & multo magis ſi adhuc nauſea adſit, tunc paretur vomitorium cum melle roſato, vel oxymelle ſimplici, addita aqua è floribus arantiorum, aut decocto raphani, aut modico agarici, qui ſua natura vomitum mouet, & cor roborat, ac vomitus prouocetur magis poſt ciborum aſſumptionē, quam ante, ſic enim facilior patet materierum, quæ in ventriculo continentur, eductio.

Deinde præparetur materia cum ſyrupo de duab. radicibus, de cort. citri, byzantino, de quinque radicibus, de betonica, de praſſio, conuenit etiā ſyrupus de calamentho, de mentha, diſſolutis cum decoctione fol. meliſſæ, corticum, & ſeminum citri, camedrios, carnepitheos, dictamni, tormētillę, ſtęchados, radicū petroſelini, betonicæ, ben albi, rubei, calami aromatici, fęniculi, origani, & ſimiliū, quæ pituitam præparare, ac cor roborare valent, accipiendo primum leuiora, deinde aſcendendo ad valentiora, prout humor magis, vel minus viſcidus, & tenax extiterit, cuius formula in mediocri eius viſciditate, & tenacitate, hæc eſſe poterit. *Præparantia.*

| | |
|---|---|
| ℞. Semin. citri confractorum | ʒ.s. |
| Radicis tormentillæ. | ℈.1. |
| Dictamni. | parum. |

| | | |
|---|---|---|
| | Fol. borraginis<br>Bugloſſæ<br>Meliſſæ<br>Chamedrios, | añ. p. I. |

Fiat decoctio ſecundum artem, deinde

| | | |
|---|---|---|
| ℞. | Dictæ decoctionis | ℥. iiij. |
| | Syrupi de corticibus citri<br>byzantini<br>Oxymellis s. | añ. ℥. s. |

Miſce pro ſyrupo.

Et ſic pro ſeptẽ doſibus, donec ſatis fluidũ factũ ſit corpus, deinde euacuetur cum agarico, qui inter euacuantia ſimplicia in morbis cordis prærogatiuam obtinet, cum ſit medicamentũ cordiale.

Probantur myrobalani chebuli, probantur hieræ magnæ ab Auicenna propoſitæ, verumtamen ex eius ſententia cauẽdum eſt a medicinis vehementibus, & acutis, ſimiliter probatur hiera cũ agarico, poterit igitur talis medicamenti formula præſcribi, ad pituitam educendam.

*Euacuantia.*

| | | |
|---|---|---|
| ℞. | Caſſiæ trituratæ. | ʒ. v. |
| | Diaphęniconis | ʒ. iiij. |
| | Agarici trochiſcati. | ʒ. ij. |

Miſce, & fiat bolus cum ſaccharo, at ſi mauis in forma potabili paretur in hunc modum.

| | | |
|---|---|---|
| ℞. | Florum cordialium. | p. I. |
| | Corticum citri. | ʒ. s. |
| | Sem. aniſorum. | ℈. I. |
| | Cinnamomi. | ℈. s. |
| | Paſſularum enucleatarum<br>Liquiritiæ raſæ | añ. ʒ. ij. |
| | Polypodij quercini<br>Foliorum ſenæ Orient. | añ. ʒ. ij. s. |

Fiat decoctio ſecundum artem, deinde

| | | |
|---|---|---|
| ℞. | Dictæ decoctionis | ℥. iiij. |
| | Agarici trochiſcati | ʒ. ij. |

Infundantur ſecundum artem & facta expreſſione adde

| | |
|---|---|
| Mellis roſati ſolutiui. | ℥. ij. |
| Electuarij Indi maioris. | ʒ. I. s. |

Miſce

Miſce & fiat potus breuis in aurora aſſumendus, quod ſi pilulæ magis placuerint, parentur in hunc modum.

℞. Pilularum de Hiera cum agarico } Alephanginarum } an. ℥. 1.
Trochiſcorum alhandal. g. iij.
Salis gemmæ. g. ij.

Miſce & cum ſyrupo de corticibus citri reformētur pilulę numero quinque, quæ inaurentur. Neq; in peccato craſſorū humorum in vnica purgatione inſiſtendum eſt, ſed repetenda eſt, & inter præparandum, attendendum eſt ad ea, quæ valide attenuant, & aperiunt, quales ſunt ſyrupi compoſiti, & præſertim oxymel compoſitum, de fumo terræ, de Biſantijs, item ad illum, qui de radicibus compoſitus dicitur, poſt hæc euacuandum eſt cum prędictis aſcēdendum ad hieras magnas ab Auicen. propoſitas; Interim multa, quæ vim calefaciendi, extenuandi, atque elatos flatus, & craſſas materias, a quibus eleuantur, diſſoluendi in legitima palpitatione conuenire videntur, ſunt autem cinnamomum, ſpica, zedoaria, ciperus, macis, ſericum crudum, crocus, mentha, ben album, & rubeum, ariſtolochia rotunda, caryophylli, cardamomum, cubebę, ſemina citri, eius flores, folia, & cortex, calamintha montana, lilium cōuallium, dictamnum Creticum, caſtoreum, & multa alia propemodum innumera, licet ne dum manſione, ſed etiam gradu in calore differant, quæ vario modo adminiſtrari poſſunt, vt vel in ſubtiliſſimum puluerem redacta, & iure, vino, vel deſtillato, vel alio liquore excepta, vel in tabellis parata, vel cordiali aliqua conſerua, vt de borragine, de bugloſſa, roſata permixta per os aſſumi poſſunt, vt exempli g. *Purgātiō repetenda ſunt.*

℞. Cinnamomi } Macis } Caryophyllorum } an. ℈. s.

Vini albi, aqua, in qua pluries ignitum aurum fuerit extinctum, diluti quantum ſufficit miſce pro potu, vel

℞. Ligni aloes
Cinnamomi
Caryophyllorum
Spicæ
Maſticis
Nucis muſcatæ } an. ℈. 1. s.

Cubebarum }
Cardamomi maioris } añ.℈.ij.
Corticum citri }
Granorum Paradiſi }
Galliæ muſcatæ ʒ. I.
Moſchi grana v.

Puluerizentur ſubtiliſſime, & miſce, doſis eſt drachma vna cum aqua borraginis vel meliſſæ, in qua aurum pluries fuerit extinctũ. Idem præſtare poteſt ſequens confectio in forma ſolida.

℞. Zedoariæ }
Spicæ }
Cyperi } añ. ℈. ij.
Serici crudi }
Corticum citri }

Puluerizentur puluerizanda, & cum ſaccharo tabarzet diſſoluto in aqua meliſſæ, in qua ſimiliter vel aurum, vel argentum fuerit extinctum miſce, & fiat confectio in rotulis, quarum duæ vel tres pro vice ieiuno ventre accipiantur, qui pulueres ſi magis placuerint, vnà cum conſerua cordiali, ſic præſcribi poteſt.

℞. Conſeruæ anthos }
De bugloſſa } añ. ℥.ij.
De meliſſa }
Fol. auri num. iiij.
Cardamomi }
Cinnamomi } añ. ʒ. I. s.
Macis }

Miſce, cuius ſemuncia pro vice, vt ſupra, accipiatur.

*Magnæ antidoti.* Huc ſpectant magnæ antidoti, quemadmodum eſt theriacá, mithridatium, diambra, diamuſcus vterque, alchermes, gallia muſcata, electuarium lętificans, aromaticum muſcatum, roſatum, diaciminum, dianthos, diamargariton calidum Auicennæ, diaxiboales, electuarium de gemmis Meſue, nec negligenda eſt ſubſequens aqua, quam in cordis frigido affectu quidam habent pro ſecreto, & eſt.

*Aqua mirabilis.*

℞. Florum anthos }
Florum borraginis } añ. lib. s.
Radicis bugloſſæ }

Croci

Croci ℈. iiij.
Pulpæ malorum cidoniorum ʒ. iiij.

Terantur terenda, poſtea infundantur in vini albi generoſi, vel maluatici libras tres, per diem naturalem, deinde ſepeliantur in fimo equino per quindecim dies parato vaſe vitreo bene clauſo, poſthęc deſtillentur per alembicum duabus vicibus,& liquor diligenter exceptus ſeruetur in vaſe vitreo bene clauſo pro vſu, cuius recipiat æger ieiuno ventre vnciam.

Hæc enim non minus iuuat, quàm prædicta, quæ cor confortant, frigidum eius affectum remouent, flatus diſſoluunt, materiamque craſſam, quæ in ventriculis cordis continetur, vel etiam in toto corpore diſperſa eſt, extenuant, & diſſipant, quæ palpitationi, ac incertis timoribus, & tribulationibus fomentum præbent.

Similiter ſunt valde efficacia ad animam exhilarandam, & ad lætitiam augendam, coctionemque iuuandam.

*Exterius admouenda epithemata.* Exterius pectori conueniunt epithemata, ex aquis de borragine, de meliſſa, de floribus arantiorum, de mentha, baſilicone, de ſpica, & reliquis cum ſpeciebus prædictis, vt

℞. Aquarum meliſſæ
Bugloſſæ
De ſpica
Vini maluatici } añ. ℥. iij.
Specierum aromatici roſati
Caryophyllorum
Diamargarit calidi } añ. ʒ. 1.
Croci grana vij.

*Linimēta* Miſce pro epithemate, & hoc bis vel ter calide repetito remoueatur, deinde inungenda eſt regio cordis cum oleo coſtino, vel nardino, vel de caryophyllis, cum theriaca, vel poteſt accipi præſtantiſſimum olei de ſcorpionibus Mattheoli, aliud in hunc modum parari poteſt, vt

℞. Theriacæ optimæ ʒ j.
Vnguenti ſantalini ʒ. j.
Succi limonis ʒ. s.
Croci ℈. 1.
Miſce pro linimento.

Vel ℞. Olei coſtini, iaſmini ãn. ℥. j.
Ambræ. grana iiij.
Camphoræ. gr. iij.

Miſce omnia cum modico vini maluatici pro linimẽto cordis regionis, vel extendatur ſupra petiam lineam, & regioni cordis admoueatur.

*Sacculi geſtandi.* Similiter ex floribus, herbis, ſeminibus, & radicibus contuſis, ac vnà permixtis confici poſſunt ſacculi ſerici ſupra regionem cordis geſtandi, vt.

℞. Fol. meliſſæ
Menthæ
Baſiliconis } ãn. m. j.
Florum arantiorum
Flor. borraginis } ãn. m. s.
Corticum citri. ℥. j.
Ligni aloes
Caryophyllorum
Macis, nucis muſcatæ
Galliæ muſcatæ
Serici crudi } ãn. ʒ. j.

Pulucrizentur pulucrizanda, & miſceantur, & cum panno ſerico fiat ſacculus pro corde, item poma parari ex eiſdem rebus poſſunt, quæ continue manibus geſtatá ſummopere cor ſuo odore confortant. vt *Poma odoranda.*

℞. Corticum citri
Calamenthi
Caryophyllorum
Sampſuci
Nucis muſcatæ
s. ocymi
Cinnamomi } ãn. ʒ. s.
Ambræ
Muſci } g. iiij.
Ladani ℥ s.
Miſce & fiat pila manu geſtandá.

Quod ſi palpitatio contingat ob ſolius cordis caloris affectum refrigeratum ob frigidam reſpirationem, tũc facile reuocatur ca-

lor ad ſtatum naturalem eius, ablata frigida reſpiratione, & mutata in calidam, ac adhibitis præfatis præſidijs calefacientibus, niſi affectus frigidus habitum contraxerit, quia tunc, vti difficilior affectus difficiliorem, ac magis perſeuerantem, & pluries repetitam medicamentorum prædictorum admotionem requirit, in quo caſu inter cætera conuenit theriaca, & mithridatium ſingulo mane & ſero per os aſſumptum, conueniunt inunctiones circa pectus in regione cordis cum prædicta theriaca, & vino administrata.

At ſi cor patiatur per conſenſum cum pulmone morbo frigido laborante, his addenda ſunt ea, quæ frigido morbo pulmonis obſiſtere poſſunt, inter quæ calida inſpiratio multam, ac celerrimã opem ferre ſolet. idem dicendum eſt de reliquis partibus ad portionem, cum quibus cor conſentire ſolet, ſiue ſit ventriculus, ſiue iecur, ſiue vterus, aut quæuis alia pars. *Morbus e cõſenſum.*

Si vero palpitatio ortum ducat ab humore bilioſo redundante, vel in toto corpore, vel in aliqua parte, ac palpitationem enutrit, tunc pro leniente vtendum eſt caſſia, manna, tamarindis, ſyrup. roſato ſolutiuo, diapruno ſimplici, & ſolutiuo, triphera perſica, hiera ſimplici. vt *Si fiat ab humore bilioſo purgatio.*

℞. Floris caſſiæ nuper extractæ. ℥. j.
Pulpæ tamarindorum
Tripheræ perſicæ } añ ʒ. ij. s.

Miſce, & fiat bolus cum ſaccharo. Vel ſic.

℞. Caſſiæ trituratæ. ℥. j.
Diaprunis ſol. ʒ. ij.

Miſce, & fiat bolus cum ſaccharo per horam ante prandium aſſumendus, vel ſi mauis in potu; paretur in hunc modum.

℞. Syrupi roſati ſol.
Mannæ electæ } añ. ℥. ij.
Tripheræ perſicæ. ʒ iiij.
Decoctionis cordialis. q. s. Miſce & fiat potus 6

Poſt hæc alteretur bilis cum refrigerantibus, & humectantibus, & eius feruorem extinguentibus, & ſi ſit putrida, cum illis metiẽda ſunt, quæ modice exſiccent, quæ autem hæc præſtare poſſunt, ſunt, cichorea, endiuia, lactuca, ſonchus, nimphæa, viola, acetoſa, acetoſitas, citri, limonũ, acetum ipſum, ſuccus granatorum, agreſta, *Medicamenta præparantia.*

ſta,ribes,poma acida, lac acidum,vel eius ſerum, ſi adſit febris, vel putredo in corpore,violæ,roſæ,ſpodium,corallus,ſantali omnes,margaritæ,coriandrum;bolus armena,terra ſigillata, carabe, camphora,& interdum quando maior calor vrget confugiendum eſt ad aquam frigidam, quæ etiam niue refrigeranda eſt, vt monet Auicen.cum inflammationis imminet periculum.

Similiter ſi adhuc calor augeatur,qualis pendet a bile aſſata,vt a vitellina,cerulea,eruginoſa,atra,tunc confugiendum eſt ad mandragoram, opium, ſemper memoria ſeruando, ne ſolis refrigerantibus ſit vtendum, ne cordis calor inſitus & vitæ radix extinguatur.

*Cautio.*

Ideo Auicen.cum his permiſcet muſcum, xiloaloen, præterea imminente inflammatione, cum refrigerantibus permiſcēda etiā ſunt ſtiptica,& intercipientia, in modica quadam portione,ita vt materiæ incraſſentur,viæque anguſtentur,ne humores nimis concitato curſu fluant in cor.

Sed in hoc moderatio quædam adhibenda eſt, ne forte nimiū adſtringentibus materiæ excrementitiæ nimis detinerentur,prohibereturq; earum expurgatio,vel membris reſpirationis aliquod damnum inferretur, quæ igitur tuto inter ſimplicia adhiberi poſſunt,ſunt roſæ,mala cidonia, ſantali omnes, vinum granatorum, emblicus,carabe,pyra,inter compoſita ſaccharum roſatum, diacidomon,diatrion ſantalon,mirobalani conditi,& alia huiuſmodi, vel ſic componantur.

℞. Sacchari roſati antiqui. ℥ ij.
Specierum diatrion ſantal. } añ. ʒ. 1.
Diamargaritonis frigidi.

Miſce, & cū modico oxyſaccharo fiat electuarium pro quatuor vicibus, inter compoſita autem refrigerantia, in calido cordis affectu,ſunt ſaccharum roſatum,violatum recens, acidum citri conditum,ſyrupus è ſucco citri,limonum, de agreſta, oxyſaccharum, miua cidoniorum, è pomis acidis,ſyrupus de nimphæa,de ribes, diamargariton frigidum, diatrionſantalon, trochiſci de ſpodio, de terra ſigillata,de camphora, poſt conuenientem præparationē euacuetur humor bilioſus,cum rheubarbaro,manna, ſyrupo roſato ſol.diapruno ſolutiuo, diaphœnicone,& poterit parari medicamentum in forma potabili hunc in modum.

℞. Fol.

℞. Fol. ſenę. or. } an. ℥. ij. s. *Euacuantia medicamenta.*
Polypodij q.
Florum cordial. p. j.
S. citri. } an. parum.
S. aniſorum.

Fiat decoctio. s. a. deinde ℞. dictę decoctionis ℥. iiij.
Rheubarbari electi. ʒ. 1. s.

Spicæ. g. vij. infundantur. s. a. & facta expreſſione adde infrà-ſcripta.

℞. Syrupi roſati ſol. } an. ℥. ij.
Mannæ electæ.

Miſce, & fiat potus breuis in aurora aſſumendus, cui ſi addantur tripheræ Perſicæ ʒ. ij. ob cordis confortationem adhuc tutior medicina erit.

Reprimatur interim calor impenſus, nõ ſolum cum prædictis, vario modo per os adminiſtratis, ſed etiã cum epithematibus frigidis, confectis ex aqua endiuiæ, acetoſæ, ſonchi, roſatæ, vt *Alterantia.*

℞. Aquarum roſatæ } an. ℥. vj.
Endiuiæ
Nimphæę.
Specierum diatrion ſantalon. } an. ʒ. iij.
Cordial. temperatarum.
Croci. g. v.
Camphoræ. ℈. s.

Miſce pro epithemate. Similiter parentur inunctiones ex oleo roſato, violato, de ſeminibus lactucæ, nenuphårino, de cucurbita. Vnguento roſato, ſantalino, quæ quam primum abſtergenda, ac innouanda ſunt, ne incaleſcant, iuxta decretum Gal. 10. meth. cap. 9 quibus addi poteſt ſuccus lactucæ, polygoni, intubi, plantaginis, ſemperuiuæ, vt magis refrigerent.

Si vero vapores ad cor trãnſmiſſi, ac palpitationem excitantes, eleuentur ab humore melancholico, quod ſæpe contingit, hic vt eſt modo calidus, modo frigidus, & ſemper ſiccus, ita de ſe vapores modo calidos, modo frigidos, at ſemper ſiccos emittet, calidi quidem ſunt, dum humor aſſatione genitus, ac adhuc feruens exiſtit, ideo ſimul eſt ater, nebuloſus, craſſus, & acer, atque calori, & ſpiritibus inſitis cordis plurimum infenſus, & copiosè colligitur

in

in membris naturalibus, hi qui calidi, & ſicci ſunt temperamenti,& præcipue in ætate conſiſtente, & magis viris, quam mulieribus,ac propterea hypochõdriaci vocantur,qui magis maniacam, quam melancholicam affectionem referant.

Si vero ſanguis non fuerit aduſtus,ſed præ calore,& mora con tracta circa illas partes reſolutis partibus eius magis tenuibus, & ſpirituoſis, naturalem ſuam luciditatem amiſerit,quod magis, & frequentius mulieribus,quam viris,& præſertim dum non probe ſingulis menſibus expurgantur,contingere ſolet, tunc magis melancholia,in qua timor, & mæſtitia perpetuo uiget, quam mania corripiuntur.

*Medicamẽta lenientia.* *Præparãtia.* Vterque expurgandus eſt,& primo leniente,conuenit electuarium lenitiuũ diaſena, ſyrupus de polypodio, violatus ſolutiuus, lenita aluo,præparetur materia cũ ſyrupo de fumaria, de lupulis, de borragine,de pomis, de corticibus citri, addito decocto borraginis,fumariæ,bugloſsæ,ſtęcados,lupulorũ,paſſularum,liquiritię, capillorum veneris,meliſſæ,epithimi,cuſcutæ,& ſimilium,vt

℞. Syrupi violati ſimplicis. } añ. ℈.vj.
De pomis,ſimpl. }
Semin. borraginis.
Fumariæ,meliſſæ,cuſcutæ.
Dicti decocti. ℥. iiij.

Miſce,pro ſyrupo. At ſi fuerit bilis atra adhuc feruens,addatur in decoctione,cichorea,endiuia,hepatica, lactuca,nimphęa,& præparata materia expurgetur cum epithimo,polypodio,ſena,mirobalanis Indis,& paretur medicamentum hunc in modum. *Medicamenta expurgantia.*

℞. Foliorum ſenæ orient. } añ. ℥. ij. s.
Epithimi. }
Polypodij recentis. ℥. iij.
Meliſſæ, corticum citri. } añ. p. 1.
Florum cordialium. }

Fiat decoctio. s.a. deinde ℞. d. decoctionis ℥. iiij.
Diacatholiconis. ℥. ij.
Syrupi de polypodio. ℥. iij.

Miſce pro breui potu, in aurora aſſumendo. ſimiliter probantur mirobalani Indi,nec quiſque hæſitet mirobalanos Indos humorẽ melancholicum euacuantes,ob eorum vim adſtringentem, remo

rari

rari poſſe tetros halitus in ventriculis cordis, quia dum infuſi dā-tur ſolutionis, & euacuationis gratia, tunc ſoluendo materias e-ducunt, ac cor mundificant, nec deſinent halitus in corde, vti con tingeret ſi exhiberentur ſoli, & abſque valida ui ſoluente.

At ſi quis magis pilulas deſideraret, conueniunt pilulæ de lā-pide lazuli, de lapide armeno, indæ, maſticinæ, quæ parentur in hunc modum.

℞. Pilul. maſticinarum. } aā. ʒ. I.
De lapide lazuli. }
De elaterio g. iij.

Miſce, & cum ſyrupo de corticibus citri reformentur pilulæ nu-mero quinque.

His peractis denuo præparetur materia cum ſyrupis compoſi-tis, vt de capillis veneris compoſ. Sabor regis, de fumaria, de radi-cibus comp. de eupatorio, atque oxymelle compoſito, vt *Medicamē ta præpa-rantia.*

℞. Syrupi Sabor regis. } aā. ℥. s.
De fumoterræ. }
De lupulis. ℥. j.
Decoctionis lupulorum.
Borraginis.
Fumariæ.
Cort. citri. dicti decocti. ℥. iiij.

Miſce, pro ſyrupo, & ſic pro quinque, parata materia, euacuetur cum Hiera logodion. ab Auicen. propoſita, conueniunt pilulæ, quæ ab eodem deſcribuntur libello de med. cord. t. 2. cap 5. tum pro euacuatione humoris melancholici, tum pro complicato cum pituitoſo, & bilioſo.

Expurgato corpore optimum eſt purificare cor ab atris fuligi-nibus, in quo caſu cōueniunt, bugloſſa, borrago, thimus, ſtęchas, mirobalani, meliſſa, conſeruæ ſimiliter de borragini, de meliſſa, de bugloſſa, ſimiliter conueniunt, quæ ſpiritum tenebricoſum, & opacum illuminant, & illuſtrant, vt ſericum crudum, margari-tæ, crocus, corallus, carabe, terra ſigillata, ſpodium, ſemina citri, camphora. *Purifican tia cor.*

Inter compoſitā confectio alkermes, confectio de Hyacintho, de terra ſigillata, & poterit parari medicamentum quod vtrique intentioni ſatisfaciat hunc in modum.

℞. Con-

℞. Confectionis alkermes. ℥.ſ.
Conſeruę de borragine. } añ. ℥. j.
De ſtæchade.
Specierum diatrion ſantal. ʒ. ſ.

Miſce,& cum ſucco de borragine q ſ. miſce,& ſit pro quatuor vicibus. Si vero fuerit humor melancholicus per aſſationem genitus,qui calidis,ac feruentibus habitibus cor lędat, tunc ad frigidiora erit aſcendendum.

Igitur confortetur cor, addendo prædictis cõſeruis de borragine,& de bugloſſa, etiam conſeruas de cichorea, de violis,de nimphæa,trochiſcos de camphora, vt

℞. Conſeruæ borraginis. } añ. ℥. j.
De Cichorea.
Margaritarum præparat. } añ. ℈. j.
Spodij.
Corallorum alborum.
Rubeorum.
Camphoræ. g. iij.
Croci. g. ij.

Miſce,cum ſucco endiuiæ, pro quattuor vicibus, probatur lactuca condita,ſaccharum cichoreæ,nenupharis. Cõueniũt epithemata ex aqua roſacea, lactucæ, endiuiæ, nimphææ, cum pulueribus cordialibus refrigerantibus,quæ poſſunt parari in hunc modum.

*Epithemata.*

℞. Aquæ roſaceæ } añ. ℥. ij.
Endiuiæ
Lactucæ
Nimphęæ
Specierum cordial. temperat. ʒ. j.
Corallorum amborum. } añ. ʒ. ſ.
Margaritarum præparat.
Camphoræ grana. x.
Croci. grana. v.

Miſce pro epithemate. Conuenit acetoſa, acetoſitas citri, ſuccus limonum, quod ſi adhuc calor intenſior euadat,ita vt ſit periculum inflammationis,tunc præcedẽtibus validis reuulſionibus, & ſine euacuatione, vt fieri poteſt cucurbitulis, ligaturis, frictionibus,& cum euacuatione,vt ſcarificationibus, hirudinibus,miſ-ſione

*Medicamenta chirurgica.*

ſione ſanguinis per venæ ſectionem, de quibus ſatis ſuprà dictum eſt, tunc valide refrigerandum eſt, tum cum his, quæ per os aſſumuntur, quæ debent etiam eſſe alicuius adſtrictionis prædita, vt materiæ confluentes intercipiantur, vt ſunt cydonia, roſæ, corallus, mirtus, orobanche, oxyphenica, pruna, pyra rhamnus. *Valida alterantia.*

Inter compoſita, diacydonitea ſine ſpeciebus, ſaccharum roſatũ, electuarium de baccis mirti, & his ſimilia. Præterea ait Auicen. ita refrigerandum eſſe, vt non ſolum camphoram, ſed etiam aquã frigidam, & aquam niuis miſtam cum aqua roſacea, dando ſorbitionem poſt ſorbitionem. conuenit lac acidum, niſi febris adſit, loco cuius conuenit ſerum lactis, aqua hordei cum ſucco lactucæ, & poteſt medicamentum parari in hunc modum.

| | |
|---|---|
| ℞. Seri lactis<br>Aquæ hordei | añ. ℥. ij. |
| Succi lactucæ | ℥. s. |
| Croci | grana. iij. |

Miſce pro potu, & ſi maior vrgeat vſus aſcendendum eſt ad mãdragoram, & ad opium, nec prætermittenda ſunt emplaſtra frigida ſupra regionem cordis geſtata, ex aqua ferrariorum, de acetoſa cum camphora, ſpodio, ſantalis.

Optimum puluerem proponit Auicen. qui maximam vim habet reprimendi impenſum cordis calorem, qui præcipue ſolet accidere, dum bilis vitellina, ęruginea, cęrulea, vel atra in corpore dominium obtinet, & recipit, ſeminum lactucæ, endiuiæ, ſpodij, roſarum, ſantalorum, ſeminum portulacæ, bugloſſæ, coriandri ſicci, coralli, carabes, margaritarum, ana partes ęquales, cuius recipiat ʒ. ij. in potu, vel in iure alterato cum acetoſa, vel cum endiuia, vel etiam cum lactuca, vel aqua ferrariorũ, vel chalybeata, vel in qua aurum pluries ſit extinctum. *Pro corde optimus puluis Auicenna.*

At ſi adhuc fortiori opus ſit refrigerante, accipe ſpodij, ſantalorum citrinorum, roſarum, ana partem vnam, camphoræ quartam partem, cuius accipiat æger ℥. ij. vt ſupra, & tandem vrgente neceſſitate liceat tibi accipere opium, & mandragoram, quia cum inflammatio adeſt, de ægrotante actum eſt.

At ſi halitus palpitationem facientes eleuentur ab humore melancholico frigido, & ſicco, conueniunt ea, quæ temperate calida ſunt pro alteratione, & corroboratione cordis, vt ſunt aurũ, *Palpitatio ſi fiat ab halitu melancholico*

argentum,hyacinthus,ſmaragdus,rubinus,topacius,granatę,ſap phirus,ſpodium,margaritæ, & ſimilia huiuſmodi, quæ quoniam ſicca ſunt, ideo permiſceantur cum humidis, vt ſunt borrago, bugloſſa,paſſulæ,liquiritia,mel,ſaccarum,iuſcula pinguia, & præcipuè miſceantur cum aqua carnis Auicennæ.cum iuribus deſtillatis, & tandem cum cibis,& potibus humidis,vt eſt vinum ſubdulce temperatum,conuenit os de corde cerui,capillus veneris,lupulus,meliſſa,epithimum,quorum quædam cor alterãt,& roborant, quædam halitus tetros e corde educunt.

Si vero palpitatio cordis ortum duxerit á veneno inueniendá eſt ſpecies veneni,ac illi occurrenda,vnicuique.n. ſua curationis ſpecies ferè competit. Si vero ſit ignota,vtilia ſunt fragmenta,cõfectio de Hiacintho,de terra ſigillata,lapis Bezoar,theriaca,& mitridatiũ,licet theriaca magis aduertetur veneno viperæ, vt ſcorzonera,ſapphirus magis veneno ſcorpionis,mitridatium vero indifferenter omnibus venenis.

*Theriacæ ſapphiri, & mitridati proprietas.*

Quod ſi palpitatio incidat ob defectum ſpirituum, qui non generentur ob defectum ſanguinis,tunc primo cum odoratis,& præcipue cum vino, & odore panis recentis,carnium toſtarum, reficiendi ſunt ſpiritus,poſtea,cum alimentis ex eiſdem, vt vino,pane, carnibus, ouis, & iuribus deſtillatis ex aqua carnis reficiẽdus eſt ſanguis,& ſi aliunde fluxerit,ſiſtenda eſt fluxio cum reuellentibus ad contrarias partes, ac quam maxime diſtantes trahendo cucurbitulis,frictionibus, ligaturis, hirudinibus, ſcarificationibus,ac ſectione venæ,ſi vires eam ferre poſſunt.

Et ſi fluat ab aliqua parte externa vulnerata,ibidem admoueatur medicamentum adſtringens,vel emplaſticum, ex roſis,balauſtijs,galla,malicorio, vel farina molendinorum, aloes,thure,cum oui albo molliſſimis leporum pilis,vel gypſo, vndecunque fluxerit, præterea cogimur etiam interdũ ad eſcharotica confugere, vt ad cotum combuſtum,calcem viuam,chalcitidem,chalcantũ,cõueniunt vero per os,quæ ſanguinem refrigerant, & incraſſant, & præcipue dum fluit ob eius tenuitatem,& tunc conuenit lactuca, portulaca, plantago, ſuccus cidoniorum, granatorum, oriza, far, omphacium,terra ſigillata,bolus armena,lapis hæmatites.

Inter compoſita miua cydoniorum,ſaccharum roſatum vetus, trochiſci de electro, micleta, triphera ex arte Phænonis.

Si

Si fluat à parte exeſa tunc illi cum renutrientibus erit occurrendum, inter quæ eſt ſarcocolla, thus, aloe, cum albo oui, ac molliſſimis leporum pilis ſupra relatis. Si ſpiritus deficiant, ob nimium & violentum motum, ſiue animi, ſiue corporis, quies ſtatim, & ſomnus iniungendi ſunt.

Si idem accidat ob defectum materiæ chyloſæ vitio alimenti, tunc conueniunt laudabilia alimenta, vt carnes pullorum, hędorum, & ſic de ſingulis boni ſucci alimentis, quod ſi accidat vitio concoctricis labefactatæ, ob intemperiem illa per contrariam corrigenda eſt, vt notum eſt; calida per frigidam, ideo conueniunt cydonia, pira, poma acida, cucurbita, citrulli, oxalis.

Inter compoſita ſyrupus acetoſus, de ſucco acetoſæ, de ſucco citri limonis, & ſimilium, extrinſecus conueniunt inunctiones ex oleo roſato, cydoniorum, myrtino, & addita cera, & pulueribus de ſpodio, corallorum, ſantalorum confici poſſunt linimenta. vt *Extrinſecus admouenda.*

| | |
|---|---|
| ℞. Olei roſati omphacini<br>Myrthini<br>Cydoniorum<br>Maſtichini | añ. ℥.ij. |
| Pulueris maſticis<br>Roſarum rubearum<br>Sandalorum omnium<br>Corallorum alb. rubeorum | añ. ℥.j. |

Miſce, & cum cera fiat linimentum molle pro ſtomacho, ſed inter omnia, quæ adminiſtrari poſſunt, nihil magis probatur, quam aqua Villenſis.

Si vero idem accidat ob intemperiem frigidam ventriculus calefaciendus eſt cinnamomo, caryophyllis, maſtiche, mentha, abſynthio, ſed nihil præſtabilius eſt, ſi frigidæ intemperiei iungatur humida, quam potus aquæ Tettuccij. Idem aſſerendum eſt de reliquis intemperantijs ſiue ſimplicibus, ſiue compoſitis.

At ſi ſpiritus deficiant ob anguſtiam viarum pulmonis, tunc ſiue ſit ſanguis, qui ſua multitudine illud præſtet, ſiue ſint humores craſſi, frigidi, pituitoſi, & lenti, iam ſupra dictum eſt eos euacuandos eſſe, & medicamentorum tam præparantium quam euacuantium materia ſatis patet.

Si vero ſpiritus deficiant ob violentam aliquam euacuationē

ſanguinis, iam dictum eſt quid ſit agendum, ſi vero idem accidat ob fluxum aliorum humorum, vt contingit in lienteria, diſſenteria, diarrhea, tum cũ ſtipticis, & fluxionem comprimentibus occurrendum eſt, cuius materia patet in proprio capite de fluxionibus ventris.

## DE RECTA VICTVS RATIONE, *in palpitatione cordis obſeruanda.*

### *Caput Quadrageſimum primum.*

IN legitima palpitatione cordis eligatur aer calidus, & ſiccus, & propterea tempore æſtiuo maximè probatur ruralis, hieme autem eligatur vrbanus, at vbique damnandus eſt ſubterraneus, imperflatus, nebuloſus, craſſus, & paluſtris, & qui inter montes in conuallibus reperitur.

Præterea in hieme alteretur accendendo ignem puriſſimum, ex lignis thirſorum, iuniperi, roriſmarini, ſaluiæ, lauri, mirti, inſpergatur domus, ſaluia, roſmarino, pulegio, ſatureia, mentha, ſerpillo, meliſſa, cala mintha, ſimiliter parentur ſuffumigia cum decoctione earumdem herbarum, addito croco, ladano, thure, ligno aloes, caryophyllis, cinnamomo, ſtorace, aceto, aqua roſata, cortice citri.

Item ſupradictas pilas manibus geſtare ac continue contrectare optimum eſt.

Pro cibo autem ægri vtantur carnibus laudatis, vt pullorum, hœdorum, veruecum iuuenum, vitulorum lactentium, leporum iuuenum, euitet bubulas, caprinas, & ouinas, nec non etiam ſuillas, probantur perdices, turtures, columbi, qui in turribus degunt, probantur turdi, merulæ, ac aues omnes nemorales, & montanę, quemadmodum vice verſa, improbantur, quales sũt, coturnices, anates, ac omnes paluſtres, probantur oua recentia ſorbilia, vel iuribus ſoluta.

Damnantur dura, & frixa, vt cibaria cuiuſcumque generis in ſartagine fixa ſummopere deteſtanda ſunt.

Inter

Inter piſces probantur ſaxatiles, & qui in littoribus maris agitant, vt barbones, oratæ, ſcarpena, trigla, & ſimiles alij, qui vel in iure albo, cum ſale, porro, & cinnamomo parari debent, vel cũ fęniculo, aniſo, petroſelino, ſupra craticulas oleo liberaliter inuncti aſſentur.

Fercula probantur ex pane, ouo, petroſelino, fæniculo, borragine, anetho, ac modico piperis, vel cinnamomi, euitet olera frigida, vt lactucam, cichoream, intubum, endiuiam, blitum, atriplicem, ſpinachia, maluam, & ſimilia, caueat a leguminibus, caſeo, lacte, butyro, caueat vſum frequentem fructum humidorũ, vt ceraſia, Armenica mala, perſica, pruna.

Concedimus tamen ficus, vuas panſiles, probantur amygdalę, fiſtichi, pinei, paſſulæ, pyra poſt cibum, ſed condita cum ſaccharo ſunt meliora, vt mirum in modum probantur mirobalani conditi, gingiber conditum, radices acori, ac eringiorum cum melle, dum legitima palpitatio infeſtat.

Probatur vinum album, fuluum, clarum, generoſum, modicá aqua cocta cinnamomo, vel coriandris, limphatum, euitet vinum nigrum, craſſum, acidum, auſterum, ſed multo magis euitet potum aquæ ſimplicis.

Si vero notha palpitatio contigerit, quæ foueatur a cauſis calidis, tunc ad contrariam victus rationem curatio conuertenda eſt, igitur euitet aerem calidum, & ſiccum, cibaria item calida, motum corporis, & animi, verſetur igitur in aere temperato, vel paulo frigidiori, bene perflato, ſiue vrbanus, ſiue ruralis ſit, at tempore hyemis omnino ſit vrbanus. *In cauſa calida, quę uictus ratio conueniat.*

Altereturque thalamus cum modicè odoratis, nequaquam cã lefacientibus, vt cum aqua roſacea, aceto roſato, nenuphare, ſantalis, parentur ſuffitus, cũ nenuphare, ſantalis, violis, roſis, aqua roſacea, & aceto roſaceo, camphora, inſpergatur pauimentum domus folijs ſalicis, canarum, capreolorum vitis, ſæpè renouando herbas, nenuphare, roſis, violis.

Comedat carnes laudabilium animalium, vt pullorum gallinaceorum, hœdorum, veruecum iuuenum, vitellorum, nec improbandæ ſunt tempore hyemis carnes columborum, turturum, perdicum, phaſianorum, auium montanarum, alterando earũ carnes cum acetoſa, omphacio, arantio, ſucco limonum, vino grana-

corum, parentur fercula in iuribus eorundem.

Similiter alterata cum frigidis,vt dictum eſt, & præcipuè tempore æſtiuo, ideo côueniunt panatellæ,hordeacea,caueat ab aromatibus,vtatur lactuca,borragine, acetoſa, cucurbita,prunis bene maturis,interdum ſubacidis, cucumere, anguria.

Pro potu accipiat vinum clarum, pauciferum, tenue limphatũ cum aqua, in qua coriandra ebullierint,& ſi ſit in proximo caueat a vino,cuius loco accipiat ſupradictam aquam cum ſaccharo, vel aquam hordei,ſimiliter cum ſaccharo, & vino granatorum.

E contra vero agẽdum ſi pendeat a cauſis frigidis,prout ſupra dictum eſt. Euitet plenitudinem, ſed magis in legitima palpitatione, in qua ratio victus debet eſſe tenuis, & attenuans.

Non dormiat interdiu, niſi tempore æſtiuo multum fuerit aſſuetus, quod magis in palpitatione a cauſa calida, & in corpore ſicco condonandum eſt, at vt ſomnus diurnus nocere poteſt, ita multo magis intempeſtiuæ vigiliæ obſunt, quæ ſi forte adſint, & præcipuè in palpitatione a cauſa calida,prouocetur ſomnus, cum lotionibus partium extremarum, ex aqua communi in qua ebullierit malua,violaria,nymphęa,lactuca,roſæ, anethum,confracta capita papaueris albi, folia ſalicum,cannarum,coitus ſit moderatus, & in notha palpitatione parcus, quieſcat poſt cibum in quacumque palpitationis ſpecie, ſtudeat aluei beneficium ſingulis diebus habere,quæ niſi ſponte fluat, vtatur clyſterijs, glandibus.

Et in notha palpitatione ſint lenes, ex decocto maluarum, betæ, furfurum,violaceæ, butyro, oleo communi, & melle,& ſale, in legitima vero conueniunt acriores, vt ex decocto mercurialis, hyſſopi, betonicæ, camomillæ, aniſi, fęniculi, addita hiera,agarico, & ſimilibus, fugiat vſum aloes, & præcipue in notha, licet vti oleo amygdalarum dulcium per os in aluo adſtricta, ſed paretur ſine igne, quod ſæpe aſſumi poteſt pondere quinque, & ſex vnciarum.

At tempore hyemis, quibus aluus eſt adſtricta,conuenit terebinthina Cypria, conuenit medulla s.carthami, cum caricis, ſimiliter decoctum maluarum, prunorum, betæ, paſſularum, nam ſi adſit hypochõdriacus affectus, qui vt plurimum palpitationem generat, exiccatio,atque ventris conſtipatio ſummopere nocet,

augendo

âugendo calorem venârum, qui temperâri debet frigidis, humidis, ac aluum lenientibus.

Circa animi accidentia, vt eſt irâ, ſollicitudo, mœror, componat ſe ſe, adeat rus, ſæpe balneis humidis vtatur, blande ambulet, lætam conſuetudinem habens, cum amicis, ac vnâ blandis ſermonibus, ac moderatis, honeſtiſque ludis tempus in lon gum protrahat, ſic enim animum laxando, mitior, ac minus anxius morbus euadet.

Sed in legitima palpitâtione extrâ paroxiſmum ira quândoq; de induſtria excitanda eſt, quia cum ſit feruor ſânguinis circa cor, habet rationem materiæ medicamenti ſanantis frigidam eius affectionem, vt in notha eſt cauſa morbifica. Et hęc quo ad naturam, cauſas, âtque legitimam curationem palpitationis dicta ſufficiant.

*Libri Secundi Finis.*

# HANNIBALIS ALBERTINII CAESENATIS

## Medici, & Philoſophi,

## DE LIPOTHYMIA, ET SYNCOPE. LIBER TERTIVS.

### *QVARE DE LIPOTHYMIA, ET SYNCOPE inſimul ſit agendum, & quot ſint modi læſionis inſiti caloris cordis, ac cum quibus partibus cor compatiatur. Caput Quadrageſimum ſecundum.*

POSTQVAM de palpitatione iam ſatis diximus, reliquum eſt modo, vt de lipothymia, & ſyncope differamus in quarum explicatione, viros doctos imitati vtramq; vnica tractatione complectemur, tum quia lipothymia eſt via ad ſyncopen, tum vel maxime, quia cauſæ vtriuſque non differunt inter ſe, niſi ſecundum magis, & minus.

Nam quemadmodum ſi quid præternaturale cordi occurrat, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens, ſiue humoroſum, ſiue vaporoſum, ſiue poſitiuum, ſiue priuatiuum ſit, illud poteſt ſpiritus, & calorem inſitum eius imminuere, & lipothymiam producere, ita ſimiliter, ſi eiuſdem quantitas, aut qualitas, aut malignitas augeatur, poteſt eundem deſtruere, ſaltem quo ad ſenſum, & ſyncopen accerſere.

*Spiritus, & caloris innati læſio duplex eſt.*

Spiritus autem, & caloris innati læſio poteſt eſſe duplex, alia natu-

naturalis,vt Gal.in Commentarijs de tuenda valetudine demonſtrauit, quam nullum animal conſtans ex ſubſtantia corruptibili, ac putredini obnoxium vllo vnquam medio effugere poteſt, cui ſi proſpici ſic poſſet,vt nec ab illa quicquam aut euacuaretur, aut prorſus immutaretur, vt ridiculus ille Aegyptius arbitratus eſt, id eſſet optimum,at quia continuè ab ea aliquid defluit,ideo quod defluxum eſt alimento nititur reparare, at nunquam æqualé benignitatis, ac perfectionis gradũ vti prius potiebatur,conſequi poteſt, atq; hinc calidi innati inſenſibilis degeneratio oritur.

Alia caloris innati læſio eſt præternaturalis,vt idem Galen.ait 12 Meth.cap.5.& hæc ſimiliter eſt duplex,alia enim paulatim, & ſenſim incidit,vt contingit in manifeſtis morbis,alia autem ſubito,& repentè incidit, ſine vllo morbi manifeſto occurſu. *Cauſa degenerationis calidi innati,quæ ſit.*

Nos in præſenti, qui de lipothymia, & ſyncope tractare intendimus, agemus tantum de eo cordis virium caſu, qui non ſolum præter naturam fit,ſed etiam qui ſubito, & repente incidit,omiſſis cæteris, qui ſenſim, & paulatim,aut inſenſibiliter contingunt, quoniam ſermonem habemus de lipothymia, & ſyncope, quorũ vterque eſt repentinus,& ſubitaneus caſus,vt Gal.ait 12. Meth. cap.quinto,& primo ad Glauc.cap. 14. *Lipothymia,et ſyncope eſt repẽtinus caſus uirium*

Quod ideo nobis faciendum eſt, quia de quodam particulari modo interitus, ac de eius curatione, in præſenti tantum verba facere intendimus, non vtique, quia omnis modus interitus,ſiue naturalis, ſiue præternaturalis, & violentus, ſiue repentinus,ſiue ſenſim factus ad fontem caloris non attineat,vt quidam viri alioquin docti perperam arbitrati ſunt, quia iam de naturali animalium interitu ſatis Ariſt.demonſtrauit lib. de mort. & vit. in animalium ſenectute calorem in corde extingui, cum ſpacio temporis inſtrumenta reſpirationi inſeruientia,qualia ſunt in reſpirantibus aerem pulmo,& in piſcibus aquam reſpirantibus branchiæ, ſicciores redduntur,& per conſequens minus aptæ ad dilatandũ.

Ideo imminuta flabellatione calor innatus cordis intenditur, ac intenſior effectus humidum radicale, in quo hæret depopulatur,& ita animal interit. *Cauſa interitus naturalis animalium.*

Similiter adeo clara,& aperta apud omnes eſt Gal. & omnium Medicorum ſententia, quod nullum animal interit illæſo corde, vt abſque probatione fide ſatis dignum ſit.

Cum igitur ad cor attineat vita, & mors, ad idem etiam attinebit modus intereundi, ſiue ſit ſubitaneus, ſiue ſenſim factus, atque eædem etiam ſunt vtriuſque cauſæ interitus.

Differentes tantum ſecundum gradum magnitudinis, & vehementiæ, quia vt in ſequenti capite apparebit, multitudo humorũ, & vaporum in cor irruentium poſſunt eſſe damno, & detrimento ſpiritibus, & calori innato cordis, ſed non eodem modo, ſi enim actio ſit vehemens, & valida, derepente calor, & ſpiritus imminui, aut etiam ſuffocati, aut corrumpi poſsũt, quod nihil aliud eſt quàm lipothymiam, aut ſyncopen, aut etiam ipſam mortem ſubire, ſi vero ſenſim ſpiritus & calorem innatum depopuletur, ſenſim etiam, & ſine ſyncope deperditur.

Similiter ſi frigiditas cordi occurrat, primo ipſa calorem innatum imminuit, ac ſimul etiã vſum refrigerationis remittit, & pulſus euadit, rarus, paruus, & tardus, quod ſi frigiditas intendatur, ita vt valida, & vehementi actione in cor agat, tunc cum calor cordis a contraria frigiditate extingui poſſit aut extinguetur, aut ſaltem pro ratione actionis eius detrimentum patietur vſque ad ſyncopen, ac præter raritatem, tarditatem, & paruitatem pulſus, accedit etiam aſphexia, ideſt, pulſus ablatio, quo ad ſenſum.

Sed quia noſtra intẽtio non eſt agere de omnibus modis interitus virtutis vitalis, ſed de ſubito, & repentino eius caſu tantum, ideo noſtra tractatio de lipothymia, & ſyncope tantum erit.

*Alia eſt facultas uitalis, et alia pulſatilis.*

Nec agentes de lipothymia, & ſyncope intẽdimus agere de læſa pulſatione, niſi quatenus ipſa accidit lipothymiæ & ſyncope, quia latiſſimum extat diſcrimen inter vtramque, alia enim eſt facultas pulſatilis, & alia eſt vitalis, vt ſupra ſatis oſtẽſum eſt, ac infra etiam de ea aliquid dicetur: igitur vt facultates inter ſe diſtinguũtur, ita & operationes, & tractationes diſtingui ſtatuendũ eſt.

Verum cũ à quibuſdam præclariſſimis viris confundantur, hac ſola ratione (vt ipſi aſſignant) decepti fuerũt, quod viderint in lipothymia, & ſyncope imminui, & auferri pulſum, non animaduertentes pulſus actionẽ ſpectare ad virtutem pulſificam, quæ conſequitur vitiũ vitalis ob rationes ſupra adductas lib. 2. ca. 2. Vitalis autem alteratur facillimè quacũque corporis viuentis parte læſa, ideo alius eſt pulſus ſanorum, & ægrotantiũ, ægrotantium autem, alius eſt pulſus lethargicorũ, alius phreneticorũ, alius pleuriticorum,

*Alius eſt pulſus ſanorum, et pulſus ægrotorum.*

rum,

rum, alius hydropicorum, alius ictericorum, alius paralyticorum, cõuulſorum, anginoſorum, & aliorum huiuſmodi, vt optime 4. de cauſ. pulſ. docet Galen.

Læſio autem pulſatilis differenter accidit, quia dum pulſus cõſequitur læſionem cæterarum facultatum, quæ ſunt extra cor, illud in tantum contingit, in quantum ſpiritus, & calor innatus cordis compatitur cum illis partibus læſis, quę conſenſum poſtea pulſatili communicant, igitur virtus pulſatilis cordis immediate cõpatitur cum corde, cum ſit in eo, cum cæteris vero partibus perpetuo mediante corde & arterijs.

Quare concludamus has eſſe facultates diuerſas, & propterea earum operationes, & tractationes ſimiliter diuerſas eſſe debere, at vt ad læſionem facultatum naturalium, & animalium læditur pulſifica, ita ad læſionem facultatis vitalis, cuius eſt per vim co-ctricem, & alteratricem generare ſpiritus vitales, & per eos producere vitam, multo promptius læditur pulſifica, quia vtraque, vitalis ſcilicet, & pulſifica in eodem ſubiecto corde commorantur, & vtraque ad proprias operationes edendas vtitur eodem inſtrumẽto, calore ſcilicet, & ſpiritibus. *Vitalis et pulſifica virtus sũt eadem ſubiecto.*

Vtitur quidem alteratrix calore, vt ſimplex qualitas eſt, pulſifica vero vtitur calore, vel ſi mauis calido innato, vt corpus eſt, ideo læſo communi iſtarum facultatum inſtrumento, vtramque lædi neceſſe eſt.

Diuerſimode tamen, quia aut in corde palpitante eſt tanta affectio, vt etiam alteratrix compatiatur, aut non, ſi ſit, aut paſſio sẽſim fit, & ita fiũt morbi pro ratione affectionis communicatæ nec fit lipothymia, nec ſyncope, aut fit repẽte, & confertim, & ita aut læſio non communicatur virtuti ſenſitiuæ, & motiuæ, quæ cũ corde conſentire ſolet, ob communicationem materiæ ſpirituum animalium, quæ a corde influit, & tũc nec fit lipothymia, nec ſyncope, aut læſio communicatur virtuti ſenſitiuæ, & motiuæ, ita vt à corde non influat per arterias carotides materia ſpirituum animalium, & ita vel ex parte deperditur ſenſus, & motus, & tunc fit lipothymia, vel ex toto deperditur ſenſus, & motus, atque interdũ quidem vna etiam pulſus cordis, & arteriarum quo ad ſenſum, & tunc fit abſoluta ſyncope, & ideo dicitur repentinus caſus omnium virtutum, vt in ſequenti capite apparebit. *Methodo diuiſiua inueniuntur morbi cordis.*

## *QVID LIPOTHYMIA, ET SYNCOPE, & quæ ſit earum cauſa contentiua. Caput Quadrageſimum tertium.*

*Quid per virium lapſum ſit intelligendũ.*

QVOD ſyncope ſit præceps virium lapſus Gal. 12. meth. cap. 5. eius eſſentiam docens teſtatus eſt, quem cæteri omnes medici ſecuti ſunt, atq; quod per virium lapſum intelligendus ſit lapſus pluriũ virtutum, teſtatus eſt ideo Gal. vſus dictione plu-ralitatis, virium nempe.

Quod Auicen. etiam 11.3.t.2 cap. 6. expreſſit dicens, ſyncope eſt deſtructio plurium virtutum ſenſitiuæ, & motiuæ propter debilitatem cordis, vbi Auicen. dixit plurium virtutum, non omnium, & expreſſit ſenſitiuam, & motiuam, & ſubticuit naturales, quia virtutes naturales extra cor in ſyncope, vt ſyncope eſt, non patiuntur detrimentum ſenſibile.

Bene poſſunt pati, ſi ſyncope perſeueret ob perſeuerantiam cauſæ, & tunc non erit ob ſyncopen, ſed ob eius cauſam, quia caſus virtutum naturalium non poteſt ita repente incidere, ſicut poteſt ſenſitiuæ, & motiuæ, qui conſtituit ſyncopen, vt infra apparebit. quòd confirmatur à Gal. 2. in Hipp. de rat. vict. in acut. t. 47. & 5. de loc. aff. cap. 1. quamuis videri poſſit oſcitanter legenti contrarium aſſerere 2. in primum porr. t. 5.

*Cauſa & terminus ſyncopen conſtituẽs.*

Subiungit autem Auicennas vltra ſenſitiuam & motiuam ob debilitatem cordis, declarans cauſam caſus ſenſitiuæ & motiuæ, & ſimul terminum conſtituentem ſyncopen ipſam, quia eſſentia ſyncopes non ſeruatur in deſtructione virtutis ſenſitiuæ, & motiuæ tantum, nã apoplexia, & carus eſt caſus ſenſitiuæ, & motiuæ.

Debet igitur ſyncope non ſolum eſſe caſus ſenſitiuæ, & motiuæ, verum etiam vt diſtinguatur ab apoplexia, & caro, debet caſus ſenſitiuæ, & motiuæ in ſyncope pendere à debilitate cordis, ꝙ additur tanquam vltima differentia, vt vna cum præcedentibus ſit totum quoddam eſſentiam ſyncopes conſtituens, & implens.

Cum igitur eſſentia ſyncopes complectatur caſum omniũ iſtarum virtutum ob debilitatem cordis, ideo vtcunque cadat ſenſitiua, & motiua ſine debilitate cordis, non poterit eſſe ſyncope, vt

contingit in apoplexia, & epilepſia, & caro, ſimiliter vtcumque debilitetur cor,dummodo nõ proſternat virtutem ſenſitiuam, & motiuam, non poteſt vocari ſyncope.

Idem dicendum eſt de lipothymia,quæ earundem virtutum ſaltem imminutionem requirit,at perpetuo verum eſt,quod ad caſũ virtutis vitalis repentinum neceſſario ſubſequitur repentinus, & proportionatus caſus virtutis ſenſitiuæ, & motiuæ, ideo ſemper ſubſequitur vel lipothymia, vel ſyncope, quia virtus vitalis eſt fundamentum omnium virtutum, quæ in animali reperiuntur, & hac de cauſa membrorum principatus ſupra cõſtitutus fuit in corde,quod eſt eius ſubiectum. *Virtus vitalis eſt fũdamentum omniũ virtutum.*

Verum quid per virtutem vitalem intelligendum ſit, non adhuc ſatis conſtat, quidam enim per eam intelligunt alteratricem cordis,& eam,quæ ſpiritus tantum viuenti ſubminiſtrant, quidã per eam intelligunt facultatem pulſificam,ita vt velint deficiente pulſatili deficere vitam,& pulſatilem,& vitalem realiter eſſe idẽ, ſolum differre nomine. *Quid per virtutem vitalẽ ſit intelligendum.*

In qua ſententiarum varietate nihil aliud colligere poſſumus, niſi quod parum cognita,& perſpecta ſit natura ſyncopes, nec mirum videri debet, quod ignoretur morbus, cum ignoretur facultas,cuius vitium morbus vocatur,fieri enim nõ poteſt,vt 2.meth. cap.4.ait Gal. vt qui id, quod ſecundum naturam ſit, non norit, dignoſcere id,quod præter naturam ſit,poſſit, & propterea ſuperiore libro,vbi de animæ principatu actum eſt,vidimus quantopere ratio,& natura virtutis vitalis viros doctiſſimos latuerit.

Sed vt conſpicua,ac luce clarior appareat natura ſyncopes, reuocemus iterum,ſed breuibus,in memoriam vſum, & vtilitatem cordis,ſaltem quantum ad vitam attinet, quod ad noſtrum inſtitutum in primis referre videtur,poſt poſitis cæteris. *Vſus & vtilitas cordis qualis ſit.*

Eſt autem hæc,vt ſit ſubiectum facultatis, & ideo, vt viuendi facultatem corpori viuenti tribuat,& vt ait Auicen.p.p.d.6. cap. 4.qui veritatem hanc (licet quaſi ſub nube)vidit,quod ſit præparans alias virtutes,quemadmodum ſi dixiſſet, cum nulla pars viuentis corporis poſſit proprias functiones in lucem edere, niſi viuat, & ex ſe viuere non poſſit propter paucitatem caloris innati, viuat autem ope virtutis vitalis in corde reſidentis,præparantis, & communicantis vitam, igitur viuens dicitur proprias functiones

nes in lucem edere,ope,& beneficio virtutis vitalis præparantis, & communicantis vitam.

*Virtus vitalis quid Auicenna.* Sic itaq; Auicennas virtutem vitalem propter nominis defectum circumſcribit, quod ſit præparans alias virtutes, quam alij pro toto illo, quod partem tuetur, ne putreſcat, ex parte ſaltem circumſcribere non ineptè voluerunt, imitantes eundem Auicen. qui dixit illam non eſſe virtutem nutrientem, & ſentientem, ita vt cum vtraque definat eſſe, membrum viuere deſinat,quod deſumpſit a Galeno 5.de loc.aff.cap.1.dum ait,ſi enim neque ſentiendi,neque mouendi ab electione facultatem animal habuerit,neq; nutriatur,veluti in latentibus euenit animalibus, nihilominus viuere ipſum poſſe, quoad cor mãſerit illæſum,haud quaquã negandum eſt, quin videmus ſæpè numero multis deinceps diebus alios neque intelligere,neque ſentire,neque etiã moueri,at nihilominus viuere.

Proſequitur ibidem Auicen. & membrum cui accidit mortificatio,eſt non habens ſenſum,nec motum,& accidit ei, vt putreſcat,& corrumpatur,quia poſt ſenſum, & nutritionem quod ſeruat partem à corruptione,vitalis virtus dicitur.

*Virtus vitalis æmulatur virtutem ſalis* Aemulatur igitur virtus vitalis naturam ſalis, & eſt virtus alteratrix cordis,non quidem ſubſtantiam ſpirituum tantum alterãs, ſed eos viuificos reddens,eſtq; eadem re cum ea, quæ ſanguinem in ſubſtantiam cordis mutat,at non eadem ſecundum rationem, quia vt nutrit ſubſtantiam cordis reſpicit conſeruationem partis, vt vero vitam extra ſe producit, reſpicit conſeruationem totius, nec illud tantum præſtat,vt partem a putredine vindicet,ſed præter hæc (vt optime addidit Auicen.) præparat omnes viuentis virtutes.

*Virtus vitalis quid ſit.* Ideo iſta facultas vt eſt remotum principium operandi, eſt ſubſtantia eandem cum anima eſſentiam habens,vt vero eſt propriũ, & proximum,eidem eſſentiæ aliud addit, quòd naturalem potentiam habet ad elargiendam vitam animalibus, at hæc potentiã eſt accidens de ſecunda ſpecie qualitatis,& ſuſcipit magis,& minus,& corruptibilis eſt cum ipſa virtute vitali,cuius eſt conditio, quæ dum concidit,nulla virtus in viuente integra,aut illæſa ſeruari poteſt.

Nec mirum videri debet, quod ad caſum virtutis vitalis, quæ eſt

eſt præparans omnes alias virtutes,ſubſequatur caſus omniũ virtutum,quæ in viuente reperiũtur,quia quod deſtruit cauſam cauſæ,dicitur deſtruere cauſam cauſati,igitur cadente vitali facultate, quæ præparat omnes alias virtutes, neceſſario omnium ab illis pendentium deſtructio,& interitus conſequi neceſſe eſt, & inde (ſeruato tamen modo,& menſura caſus) oritur ſyncope,quæ non ſolum ruina tantarum virtutum dicitur,ſed præceps,& repẽtina illarum conſternatio. *Qui deſtruit cauſam cauſa deſtruit cauſam cauſati.*

Hæc autẽ differt a lipothymia,ſeu lipopſychia, quæ ſunt vnũ, & idem re,ſolo nomine differẽtia,quod hæc ſit principium, & vti via ad ſyncopen, ſi enim lipothymia, ſeu lipopſycha, quæ animi defectus vocatur,increſcat, in ſyncopen migrat, qui eſt intenſior quidam animi defectus, ac veluti interitus quidam prædictarum virtutum,ideo caſum virtutis ſolet præcedere lipothymia, vt ait Gal. 12.meth.cap.5.& 1.ad Glauco.cap.14. *Differẽtia ſyncopes à lipothymia ſeu lipopſychia.*

Generatur autem dum cor frigido, & præternaturali affectu corripitur, vitio cuius repente virtus vitalis diſſolutionem patitur,ac vna ob eius caſum actio vitalis,deinde ſenſitiua,& motiuã cadat. *Syncopes generatio.*

Syncope igitur eſt repentinus caſus actionis vitalis cordis, cũ conſequutione repentini caſus actionis ſenſitiuæ, & motiuæ ob frigidam affectionem eius innati calidi, ſub qua definitione complectimur etiam definitionem lipothymiæ,cum a ſyncope nõ differat niſi ſecundum magis & minus,forma eſt repentinus caſus actionis vitalis, cum conſequutione repentini caſus actionis ſenſitiuæ,& motiuæ,ſubiectum eſt cor,accipiendo illud vna cum ſpiritu eius inſito, quod læditur vt vitę productiuum eſt. *Definitio.* *Forma.* *Subiectum*

Cauſa efficiens eſt frigida affectio eius innati calidi, & dicitur repentinus caſus,quia non quilibet caſus actionis vitalis eſt ſyncope, ſed ſolus repentinus,vt teſtatus eſt Gal. 12.meth cap.5. *Cauſa efficiens ſyncopes.*

Similiter dicitur caſus actionis vitalis cordis, ad differentiam actionis vitalis cæterarum partium animalis,aut ſimul totius corporis, eſt enim virtus vitalis cordis tanquam omnium actionum cauſa,& principium,cum omnes quotquot in viuente corpore reperiuntur pendeant à vita cordis,vt 1.libro ſatis oſtenſum eſt,prę terea in ſyncope requiritur, vt conſequatur caſus actionis ſenſitiuæ,& motiuæ.

Quod teſtatus eſt Auicennas 11.tertij tract.2. cap.6. dum dixit, ſyncopen eſſe deſtructionem plurium virtutum ſenſitiuæ, & motiuæ propter debilitatem cordis, cum enim cor debilitetur, tūc non poteſt præparare alias virtutes ſubminiſtrando idoneos ſpiritus vitales, atque viuificare totum viuentis animalis corpus, tanquam principium vitæ, & actuationis omnium facultatum.

Igitur ea deficiente, cæteræ facultates, & quo ad operari, & quo ad eſſe deficere coguntur.

*Forma quo tuplici ſymptomatum genere integretur.* Et in hac definitione forma integratur triplici genere ſymptomatum, primum eſt principale, & eſt caſus actionis vitalis, ſecundum eſt caſus ſenſitiuæ, tertium motiuæ, ac primum dicit cauſam reliquorum duorum, cum reliqua poſteriora primum conſequantur, ac eorum ortus referantur in caſum actionis vitalis.

Hinc palam fit male ſentire illos, qui arbitrantur ſyncopen & lipothymiam eſſe ſymptomata pertinentia ad actionem læſam facultatis pulſantis, cum enim alia ſit actio vitalis, & alia pulſatilis, patet etiam earum facultates debere eſſe diuerſas, ac realiter diſtingui, licet ſubiecto ſint vnum, & idem.

*Syncope attinet ad facultatē vitalē nō ad pulſatilem.* Eſt igitur ſymptoma attinens ad actionem fruſtratam facultatis vitalis, quam præparantem vocauit Auicennas, quod autem iſtæ facultates intenſe diſtinguātur oſtendit Gal. 1.de cauſ. pulſ. cap.2.& 2.aph.41.vbi ſyncopen conſiſtere in læſione vitalis facultatis aſſerit his verbis, quicunque vero nulla tali de cauſa ſæpius, ac fortiter exoluuntur, hi ob virtutis vitalis imbecillitatem hoc patiuntur, non dicit ob pulſatilis virtutis imbecillitatem.

Similiter 3.de differ.pulſ. cap. 5. loquens de virtute pulſatili, eam vocauit pulſus cauſam, non vitæ, quam tamen legem non vbique ſeruauit, & propterea alibi pluries, & præcipue 4.de differ. pulſ.c.2.& 4.de præſag.ex pulſ.cap. 11. & 12. virtutem pulſatilē vitalem vocauit, vbi late ſatis, & ratione organi tantum, vt qui de nominibus parum ſollicitus ſemper fuerit, vitalem virtutem acceperit, de quo alias ſatis diximus.

*Ad vitalis læſionē læditur pulſatilis, ſed diuerſimode.* Sed licet ſint facultates diſtinctæ, non minus tamen ad lęſionē virtutis præparantis concidit pulſatilis actio, quam præparans ipſa, nec minus ad lęſionem virtutis pulſatilis concidit actio præparans, quam pulſatilis ipſa.

Quod ad caſum virtutis præparantis concidat eius actio, mirum

rum non eſt. Concidit autem actio pulſatilis ad caſum virtutis præparantis, quia pulſatilis non minus vtitur ſpiritu (licet eo vtatur, vt corpus eſt) ad motum pulſationis edendum, quam vtatur vitalis, (licet eo vtatur, vt qualitate ſola eſt præditus) ad propriam actionem producendam, ergo læſo communi vtriuſque inſtrumento, vtramque detrimentum pati neceſſe eſt.

Differenter tamen, quia deficiente præparante vita primo, & per ſe in quarto modo dicendi per ſe deficit, at deficiente pulſatili deficit vita, nec primo, nec per ſe, ſed per conſequutionem, & per accidens, quia deficit illud, quod neceſſario præparanti inſeruire debet, & ſine quo vt miniſter præparans eſſe non poteſt.

Et læſa pulſatio duplicem habet rationem ad vitalem, primo enim habet rationem ſigni, quia cum pulſatio perpetuo ſequatur vſum, & neceſſitatem vitalis, tanquam eius miniſtra, & ancillula, ideo vitalis dum alteratur ad calidum, neceſſitat pulſatilem ad pulſum magnum, celerem, & frequentem edendum, niſi ſit infirma, & imbecillis, aut obſtet impedimentum aliquod ex parte arteriæ, & ſignificat vitalem egere maiori, celeriori, & frequentiori miniſterio pulſationis ob acutum calorem, idem proportionaliter in alijs affectibus contingit, ſiue ſimplicibus, ſiue compoſitis, ſiue vterque ſit cum materia, ſiue citra materiam, quemadmodum docet Gal. 1 de cauſ. pulſ. cap. 5. *Pulſatio comparata ad vitalem.*

Secundo pulſatio habet rationem cauſæ alterantis ſaltem accidentaliter relata ad vitalem: quia cum pulſatilis (vt dictum eſt) inſeruiat vitali, ſi ipſa aliqua ratione lędatur, tunc non bene cor refrigeratur, & euentatur, nec a fumidis recrementis expurgatur, vnde aucto vſu, & neceſſitate refrigerandi, euentandi, & expurgãdi pulſus augetur, niſi facultatis ſuffocatio inciderit, quia tũc pulſus non ſolum non augetur, verum potius ex toto aboletur, & vna etiam omnis caloris euentandi neceſſitas & vſus.

Syncope igitur eſt ſymptoma pertinens ad actionem repente, & confertim, & vehementer imminutam virtutis præparantis in corde accidentis, ob frigidam affectionem caloris innati cordis, quam ſequitur caſus virtutis ſenſitiuæ, & motiuæ.

Vbi cum ſtatuamus ſyncopen eſſe ſymptoma, cogimur aſſerere eam non eſſe caſum virtutis vitalis, nec ſenſitiuæ, & motiuæ, vt poſuit Auicennas, differunt enim hæc inter ſe latiſſime, ita vt nullus *Auicẽnas male ſtatuit ſyncopen eſſe caſum virtutis vitalis*

nullus vnquam caſus virtutum,cum ſit morbus poſſit eſſe ſymptoma,& e conuerſo nullum ſymptoma poſſit eſſe morbus,ſeu virtutum caſus,q̄ eſt idem,quia quælibet actio læſa attinet ad ſymptoma, & ſi lædatur ob morbum neceſſario a morbo diſtinguitur,vt effectus a ſua cauſa,vt latiſſime demonſtratur a Gal.2.meth. cap. 3.& 4.& cumulatius in lib.de cauſ.ſymptomat.

Dicamus igitur Auicen.improprie locutum fuiſſe,q̄ ipſi condonari poteſt,non enim ex profeſſo intendebat diſtinguere morbũ a ſymptomate,ideo accepit caſum virtutum pro caſu actionum.

Syncope igitur eſt caſus actionis vitalis,& ſenſitiuæ,& motiuę, quod eſt idem,ac ſi dicas,eſt ſymptoma virtutis vitalis cordis fruſtratæ,& ab hac dependet fruſtratio actionis ſenſitiuæ, & motiuæ,quia à corde actio præparans non communicatur ſenſitiuæ,& motiuæ,deficit autem actio præparans, quia fruſtratur eius facultas ob frigidam affectionem cordis,quæ eſt qualitas mutata,cum nondum ſit intemperies, nec ad morbum referatur, vt infra demonſtrabitur,& eſt cauſa continens ſyncopes, & lipothymiæ.

*Quomodo calor innatus patiatur & intereat.*

Sed ad clariorem notitiam iſtius affectionis, ob quam repente & confertim,& vehementer imminute læditur virtus vitalis, neceſſarium prius mihi videtur,vt modus, quo calor noſter innatus interit,inueniatur,ex eo.n.vt nobis notiori,licet natura ſit poſterior,non ſolum frigida effectio,quæ cauſa continens lipothymiæ & ſyncopes ſtatuitur,ſed etiam cæteræ omnes antecedentes tum proximæ tum remotæ eluceſcent.

Igitur deficit calor innatus cordis eo prorſus modo, quo calor deficit in igne externo,vt docet Gal.de cauſ.mor.cap.3. & lib. de trem.palp.con.& rig. cap.6.& de vtil.reſp.cap.3.& de cur.rat.per ſang.miſſ.cap.5.

At non vnico modo calor in igne externo deficere videtur, ſed vt ibidem habet Gal.multipliciter,qui tamen ad duos generales modos reducuntur.

*Ignis externus multipliciter deficit.*

Deficit enim,vel quia ſuffocetur,vel quia reſoluatur, ſi autem duo deficiendi modi quadruplicem cauſam, ſinguli binã habẽt. Primo enim deficit ignis, niſi perpetuo modice refrigeretur, quod contingit dupliciter,vel quia nimis refrigeretur,& ideo candela aeris frigidiſſimi occurſu ſuffocatur,vel quia nihil refrigeretur,& ideo ignis in anguſto vaſe cõcluſus ſimiliter ſuffocatur.

Secun-

Secundo deficit ob excedentem materiæ copiam, quæ ſimiliter eſt duplex, vel alimentalis, vt dum ignis a nimia lignorũ, vel olei mole extinguitur, vel eſt excrementitia, & hæc vel eſt naturalis, vt dum idem ignis a copia fuliginoſorum excrementorum, quę ab eo generantur, ſimiliter extinguitur, vel eſt præter naturam, vt dum a puluere, aut alia extranea materia ſimiliter ſuffocatur, & extinguitur, & hi ad primum modum attinent.

Tertio deficit deficiente ei alimento, ideo deficiente oleo in lucerna, vel deficientibus in igne lignis reſoluitur ignis.

Quarto extinguitur ignis a ſuo ſimili, ideo maior flamma diſſipans ſubiectum minoris, minorem reſoluit, & extinguit, & hi reliqua duo, ad ſecundum deficiendi modum attinent.

His omnibus de cauſis etiam igni noſtro interno, quo viuimus, cuius fons, & origo eſt cor, extingui contingit, niſi enim modice refrigeretur, a temperato aere per os, & pulmones attracto ſuffocatur, & ideo homines in calidis hypocauſtis ſæpe animo linquuntur. *Ignis noſter internus ſimiliter vt externus extinguitur.*

Vel ſimiliter ſi nimis refrigeretur, extinguitur, vti a ſuo contrario, ideo ambulantes per loca frigidiſſima ſæpe mortui ſunt, & mulieres hyſtericæ à ſemine in venenum frigidum conuerſo ſæpè necantur.

Similiter niſi ei continue ſanguinea, & aerea ſubſtantia ſubminiſtretur, qua vt corpus, & ſubſtantia eſt accenditur, alitur, & nutritur, calor, & ſpiritus, vt flãma in corde inſita extinguitur, ideo nemini mirum videri debet, quomodo calor inſitus a ſpiritibus influentibus, qui nihil aliud ſunt, quam ſanguis, & aer exquiſite permiſti, tãtopere recreetur, quia ſpiritui inſito, vt corpus eſt, quid ſanguine ad nutriendum vtilius reperitur? & eidem vt calidum, & flamma quid quæſo ad refrigerandum familiarius aere exiſtit?

Ideo ſi intercipiatur tranſitus vtriuſque, vel alterius ſubſtãtiæ, qua cum communicari, & qua accendi, ali, refrigerari, ac tantopere recreari debet, cogitur extingui.

Nec minus extinguitur, niſi fuliginoſa excrementa ab eo contracta, per expirationem, & arteriarum compreſſionem expurgentur, vel nimia alterius materiæ ſiue alimentalis, ſiue excrementitiæ copia, qua obruitur, tollatur.

Excipitur quartus intereundi modus a quarta cauſa genitus

*Quartus intereundi modus igni noſtro non conuenit.* aqua vt à ſuo ſimili extinguitur abſumpto,& diſſipato proprio ſubiecto, in quo hæret,non enim, vt maior flamma in igne externo extinguit minorem per abſumptionem ſui ſubiecti, ita in corpore viuente natura tantam caliditatem in corde ſuſtinere poteſt, vt humidum illud, quod ſubiectum caloris dicitur,& radicale vocatur, ſui ſubitam ac violentam abſumptionem citra viuentis interitum patiatur, ſed accidit tantum, vt ſpiritus influens abſumatur,qui cum ſit materia,& alimentum innati.

Igitur hic erit interitus per defectum alimenti, & hac ratione innatus, vt Auicen. ait 11.3.t.2.cap.6. cogitur minorari,& reſolui, atque in fumum conuerti, & conturbari, quod fortaſſe etiam Gal.animaduertit lib. de cur. rat.per ſang.miſſ. cap.5. dum referens cauſas,a quibus calor cordis interire poteſt,prætermiſit interimentem à ſuo ſimili,dicens.

Sic qui in corde eſt calor interdum ſe ipſo minor efficitur, aut propter ſanguinis copiam, aut propter ingentem inopiam, aut propter qualitatem frigidam, vbi per ſanguinis copiam intelligit cauſam ſuffocantem, ad quam reducuntur etiam cæteræ ſuffocantes relatæ, per ingentem inopiam intelligit defectum alimenti, & cauſam reſoluentem, & per qualitatem frigidam intelligit ſuum contrarium, a quo calor extinguitur, quæ tamen ad ſuffocantem redigitur, & prætermittit interimentem a ſuo ſimili.

*Caloris inſiti duplex conſideratio.* Præterea ſic locutus eſt Gal. quia calor inſitus dupliciter conſiderari poteſt, vel vt eſt ſubſtantia, vel vt qualitas, ſi conſideretur, vt ſubſtantia,dupliciter interire poteſt, vel à cauſa ſuffocante, hanc tangit dicens per ſanguinis copiam, vel a cauſa reſoluente, quam tangit dicens, vel propter ipſius inopiam.

Si vero conſideretur calor, vt qualitas eſt, tunc à ſolo contrario interit, ideo ait ipſum extingui per ſuum contrarium,ideo iure prætermittit cauſam interimentem a ſuo ſimili.

Quod vero calidum inſitum non ſubijciatur interitui per ſui ſubiecti abſumptionem, patet. Nam in corpore viuente duplex genus caloris præternaturalis, ac conſumentis conſideratur, alter enim eſt mediocris, vt teſtatur ſæpe Gal. in lib. 5.de diff. febrium, & 3.de præſag. ex pulſ. cap. 4. & Auicen. de med. cord. tractat. primo, capit. 4. perſeuerans tamen, ac partibus ſolidis in-

inſixus; qualis attinet ad febres hecticas.

Et hic, cum nec intenſus, nec valde mordax ſit, ideo cordis humiditates, quas maxime natura tuetur, non æquè inuadit, ac cæteras totius corporis depopulatur, ſed ſenſim, ac ſenſim totum corpus ſub vaporis modo, vt Gal. ait 10. meth. capit. 11. digerens, ac abſumens, partium humiditates, quas minus natura reſpicit, atque tuetur, abſumit prius, quam cordis carnoſam, & radicalem aggrediatur.

Ideo dum radicalis cęterarum partium humiditas abſumitur, rorida cordis tantum abſumitur, quare hic radicalem cordis humiditatem quæ caloris innati ſubiectum, imò ipſum calidum innatum eſt, attingere non poteſt. *Quādo humiditas rorida cordis patiatur.*

Alter vero calor præternaturalis eſt intenſus, & arens, qualis febres ardentiſſimas, & colliquantes conſequitur, ideo ſi hic in corpore viuente inſurgeret, atque acute, & valide cor inuaderet, non eſſet abſurdum, quod, quantum ex ſe eſt, vſque ad radicalem cordis humiditatem penetraret, eamque depopularetur, ſi tamdiu vita duratura eſſet, at quia cor non ſuſtinet magnos morbos, ideo nec intenſam illam caliditatem, quæ tantæ ſiccitatis, & tam ſubitæ, & violentę actionis eſſet author, citra viuentis interitum vllo pacto ſuſtinere poteſt. *Cor non ſuſtinet magnos morbos.*

Quod aperte in febribus hecticis manifeſtum fit, dum, vna cum ſolius eius roridæ humiditatis abſumptione, videmur, vt teſtatur Galenus primo de differ. febr. capitulo nono, & libro de marc. capit. 5. cæteras omnes corporis partes extremam, ac abſolutam humidi radicalis abſumptionem, quam torridum marcorem vocat, pati, cui etiam neceſſario proxima mors impendet.

Ideo in febribus tabidis, ſiue fiant incipiendo, ſiue ardentes ſubſequantur, in quibus corpora ita contabeſcunt, vt nihil aliud remaneat, quam pellis, & oſſa, cor nihil aliud patitur, quam abſumptionem roridæ humiditatis eius, quam, & natiuam ibid. vocat Gal. atque intemperiem calidam, & ſiccam, ratione cuius ſpiritus influentes a ſuo ſimili abſumuntur, & diſſipantur, inſiti vero cordis patiuntur ob inopiam alimenti tantum.

Quare re vera ſi ad viuum rem reſeces præternaturalis caloris actio, quæ viuentibus accidit, non poteſt imitari illam, quæ

in igne externo viſitur, quod accidit non ratione materiæ, aut agentis, ſed tantum quia vita noſtra tantam, & tam repentinam caliditatis actionem in corde ſuſtinere non poteſt, quia multo prius tenor virium cordis diſſoluatur.

Ad hoc fortaſſis reſpexit Paul. Aegyneta lib. tertio, cap. 34. dũ dixit cordis affectus ſi primario accidit, omni deſtitutus Medicorum auxilio in præſentaneam mortem precipitat, at ſi conſortij lege afficiatur, ſyncopen ſuſtinebit, niſi valida ſit; quia ipſa vires cordis, vt valida diſſoluet.

*Quot morbos cor ſuſtinere poſſit.*

Idem ante Paulum teſtatus eſt Ariſt. 3. de part. anim. cap. 4. & Gal. 5. de loc. affect. cap. 2. Tutius tamen eſt, vt dicamus cor poſſe ſuſtinere multos morbos per eſſentiam genitos, vt intemperiem calidam, quemadmodum cõtingit in febribus, qui interdum etiã facilioris ſunt curationis, quam ſint aliqui per conſenſum ſuborti, vt dum cor conſentit ob venenum aſſumptum, vel ob præſentiam febris peſtiferæ.

Has omnes extinctionis cauſas repetit Galen. 2. de ſymp cauſ. cap. 5. dum ait, ab ira nemo interit, vtpote nec calore refrigerato, & tangit cauſam extinctionis a ſuo contrario, nec eius robore ſoluto, & tangit cauſam extinctionis ob defectum alimenti.

Subdit, ex gaudio tamen ingenti nonnulli puſillanimes periererunt, quod intelligitur tamquam a cauſa alimentum digerente, æquè atque ex timore, qui tamquam cauſa refrigerans, vti cõtrarium, & concentrans, vti cauſa ſuffocans calorem innatum extinguit ob copiam materiæ.

Non enim vnà cum robore, & feruore mouetur extrorſum animalis facultas in puſillanimis, ſed contra ſi quid prius habuit roboris, id tunc remittit, ac reſoluit, ergo cum facultas plurimum relaxata, reſolutáque extrorſum fertur, vt contingit dum a cauſa digerente extinguitur, digeritur.

His igitur de cauſis calor, & ſpiritus inſitus afficitur, & ſi affectus perſeueret, interit; at ſi hoc idem repente, & dubito, & valide incidat, fit ſyncope, ſin mitior repentinus, tunc, animi deliquiũ, ſeu lipothymia oritur. vt Gal. ait primo ad Glaucon. cap. 14.

*In ſyncope, & lipothymia p. petuo lęditur calor inſitus cordis.*

In quibus affectibus perpetuo læditur calor inſitus cordis; vel quia ſuffocetur, quod fit a nimia mole materiæ; ſiue vaporoſæ, ſiue humoroſæ, ſiue alimentalis, ſiue excrementitiæ, ſiue naturalis,

ſiue

ſiue præter naturám, vel læditur a ſuo contrário, ſiue excedente, ſiue deficiente, vel læditur calor inſitus cordis, quia reſoluatur, quod fit quia alimento priuatur.

At quod calor inſitus cordis lædatur, quia a ſuo ſimili abſumátur, non eſt vſquequaque tutum dicere, cum hoc fiat per ſubitám abſumptionem ſui ſubiecti, quod etſi externi ignes facillimè patiantur, non tamen ignis noſter internus in corde reſidens ad tantam calamitatem citra præcurrentem interitum deduci poteſt.

*Affectio ī animalib. duplex eſt.*

Et hæc poſtrema interitus cauſa, ad modum interitus per diſſolutionem reducitur.

Sunt enim duo generales modi, quibus facultas cogitur interire, vt Galen. ait lib. de pulſ. ad Tyron. cap. 11. & 4. de præſag. ex pulſ. cap. 11. & in 6. Hippoc. de rat. vict. in ac. t. 47. & lib. de dieta Hipp. cap. 7. vnus nempe per diſſolutionem, ſeu per diſſipationē, ſeu per virium fatiſcentiam, & eſt primus modus, a poſtrema cauſa, ſcilicet ab alimenti inopia pendens, quem pariunt hi affectus, qui fiunt ex corde ob ingentem eius intemperiem, ſiue per ſe hæc ab initio, ſiue propter alia viſcera conſtituatur, vel ex ſtomacho, vel alia parte valde ſenſibili, vitio cuius vehemens, & longus dolor excitetur, fiunt etiam ex iecinoris affectibus diuturnis, vitio quorum ægri alimentum non ſentiunt, eundem parit affectus totius, vt ſunt febres hecticæ, vt eodē 4. de præſag. ex pulſ. cap. 11. ait Galen.

*Duo tātū generales modi interitus reperiuntur.*

Alter eſt per depreſſionem, ſeu per aggrauationem, ſeu per virium ſuffocationem, & eſt ſecundus modus, quo facultas cogitur interire, & fit a duabus primis cauſis, nempè vel a nimia materiæ copia, vel á contrário frigore, & hunc pariunt affectus, qui a thorace, pulmone, aſpera arteria, gutture, faucibus procedunt, nonnulli etiam ſtatim cor ipſum occupant, vt ibid. habet Gal. & nos infra fuſius agemus.

At tandem omnes modi interitus caloris cordis ad vnum tántum modum, eumq; notiſſimum reducuntur, vt ad refrigerationem, caloris enim extinctio refrigeratio eſt.

*Modi oēs caloris inſiti interitus ad unū reducūtur.*

Sed quis dubitare poſſet, quomodo ſit verum, quod interitus caloris ſemper reducatur ad refrigerationem, cum interdum ſyncope, & mortes accidunt ob calidas intemperantias, item ob inflammationes vel cordis, vel propinquorum viſcerum, vt infrá

*Dubitatio*

appárebit, non igitur tunc cor refrigeratur, ſed potius ſummo ar-det incendio, vitio cuius ſyncope, & mors ſuboritur.

*Solutio.* Cui reſpondet Gal.4 in 6.epid. t. 17.dicens, duplicem in animali reperiri poſſe calorem, alter enim naturalis eſt, alter vero præternaturalis, hi duo calores ita ſe habent ad inuicem, vt quãtum creſcit vnus, tantum imminuatur alter, quantum creſcit præternaturalis tantum imminuitur naturalis, & è conuerſo.

Si igitur augeatur cauſa calida præternaturalis, tabeſit naturalis, ac refrigeratur, & tandem extinguitur.

*Caloris naturalis extinctio refrigeratio eſt.* Quare perpetuo verum erit, quod caloris naturàlis extinctio, etſi fiat a cauſá calida, refrigeratio eſt, ideo dicebat Galen.lib.de trem.con.palp.& rig.cap.6.quapropter corrumpi calidum, vt ita dicam, omnibus morientibus commune eſt.

Si igitur ita eſt, ergo morientes ob febrem ardentem, etiam ſi cor ardeat præter naturali calore, attamen viuifico, & naturali refrigerantur, & hinc eſt, quod pulſus eandem frigiditatem atteſtantes, vt lib.de Marc.cap 5.ſcribitur, euadũt parui, tardi, & frequentes, at vtroque calore emoriente, morbifico, & naturali, fiunt rari, & interdum intermittentes. quod amplians Gal.4.in 6.de morb. vulg.t 30.dixit, oẽ cor prope mortẽ frigida intemperie laborare.

*Non omne cor prope mortem laborat frigida intẽperie.* Quod vt in morbis frigidis perpetuo verum eſt, ita in calidis, & acute necantibus cor prope mortem frigido affectu tantum citra intemperiem laborabit, cum iam calida intẽperies præcedat, ac radices fixerit.

At ſyncopẽ non ſolum eſt refrigeratio caloris natiui in corde reſidentis, ſed etiam eſt refrigeratio præter naturalis caloris cordis, & totius corporis, nam cum febris ſit calor natiuus in igneum mutatus, ideo ſyncope potens in corde extinguere calorem innatum, poterit proculdubio extinguere etiam igneum, qui re eſt idem cum natiuo.

Et propterea Gal.9. Meth.c.4. dixit, in ſynocha febre ſanguinem eſſe euacuandum vſque ad animi deliquium, quod re ipſa etiam comprobauit, vt corpus refrigeretur, primum namq; in deliquio in contrarium (inquit) ſtatum agitur corpus, celerrime ex animi deliquio refrigeratum.

Idẽ cõfirmat lib.de tre.con.palp.&rig.cap.6.dũ ait, nã, qui ſtomachico, aut cardiaco delirio torquentur, valide quidem frigent.

Igitur

Igitur læſio ſyncopen producens ad refrigerationem attinet, quæ refrigeratio eſt ſymptoma pertinens ad qualitatem mutatã corporis cordis accipiendo cor vnà cum ſpiritu eius inſito. *Refrigeratio in ſyncope ẽ qualitas mutata, nõ morbus.*

Et hæc refrigeratio eſt affectio non morbus, quia cum caſus ſit repentinus, & ſubito factus, debet etiã pendere a cauſa repentina & ſubito agente, refrigeratio igitur quæ eſt cauſa caſus ſyncopes erit repentina, & ſubito agens, quod autem eſt repentinum, & ſubito factum ad nullam intemperiem attinet, dicebat Galen. 3. de loc. affect. cap. 7.

Quare refrigeratio vti cauſa ſyncopes non erit intemperies, & per conſequens non erit morbus, erit igitur affectio, & ſymptoma ad qualitatem mutatã, vt dictum eſt, pertinens dependens, de cauſa præter naturali, vt infra apparebit, quod ſi ſyncope paulatim, & ſenſim adueniret, poſſet etiam eius cauſa ſenſim fieri, & ita fieri intemperies.

Non negamus enim nos calorem inſitum cordis nõ poſſe deficere ob affectionem morboſam labefactãtẽ facultatẽ ſpirituificã.

Sed nos non loquimur de quocumque defectu caloris, verum de eo tantũ, quem ſequitur lipothymia & ſyncope, quæ ſubito, & repente adueniunt, & ideo aſſerimus hanc mutationem caloris repentinam & rationem cauſæ continentis lipothymiæ, & ſyncopes adeptam non poſſe eſſe morbũ in intẽperie, ob relatas rõnes.

Sed neque etiam poteſt eſſe morbus in mala cõpoſitione, quia licet in corde contingere poſſint apoſtemata, coarctationes, oppilationes, & morboſi ſitus, vt Auic. ait. 11. 3. t. 1. cap. 2. attamẽ ſiue citiſſimè necent, ſiue ſyncopẽ producant, non officiunt niſi hanc præfatam refrigerationem producant. *Mala cõpoſitio, et ſoluta continuitas sũt cauſæ antecedẽtes ſyncope.*

Idem & de ſoluta continuitate aſſerendum eſt, at quod refrigeratio ſyncopen patiens, pendeat ab aliquo morbo, ſiue ſit intemperies, ſiue mala cõpoſitio, ſiue ſoluta continuitas, nihil vetat.

Verum nos nõ quærimus cauſam affectionis legitimã, vel ſyncopen producentis, ſed affectionem, & cauſam ipſam continentem lipothymię, & ſyncopes, quam dicimus eſſe refrigerationẽ, vt affectio, non vt morbus.

Neq; mirum videri debet, quod calor noſter inſitus citra morbum tantopere patiatur, quia cum ſpiritus inſitus cordis ſit corpus nobiliſſimũ immediate animæ inſeruiens, ac maximo mune- *Quare calor noſter inſitus citra morbũ tantopere patiatur.*

ri vitæ addictum, plurimoq; calore egens, qui a nullo ad illud cõ fluit, ſed è conuerſo ab illo ad alia, ideo hac duplici de cauſa facillime noxam contrahit, vt aſſerit Gal. de vſu pul. cap. 2. ſic itaq; minima quæq; eius læſio magnifacięda eſt, hæc aũt noxa ob ſubſtantiæ tenuitatem facilius incidit, eſt enim ſpiritus in corde effuſus, & ſubſtantia calida per proportionem, reſpõdens puriſſimæ flammæ in lucerna accenſæ.

Ideo quemadmodum hæc facillime alteratur, & extinguitur, ita pro varia influentis, a quo continuè accenditur, nutritur, & recreatur diſpoſitione, repente, ac fere temporis momento alterari, aut corrumpi poteſt, quod quotidiana experientia conſtat conſideráti quantopere, & quàm citiſſime in iracundia accendatur, in timore refrigeretur, in gaudio diſſipetur, ac in reliquis animi affectibus patiatur.

Patitur igitur citra morbum, & primo non ſolum alteratioñe, ſed ſui interitum naturalem, ac ſenſim factum, quem ſenium, ſeu marcorem appellamus, qui paulatim, & ex naturæ pręſcripto non ſolum rationalibus, imò nec animalibus tantum, ſed etiam ſtirpibus, plantiſq; ipſis contingit ob exiccationem humidi radicalis, quæ exiccatio omnibus viuentibus a primo ſuæ generationis momento communis eſt.

*Morbus ineuitabilis qualis ſit.* Igitur ab hoc affectu nec cor, nec iecur, nec alia viuentis pars, vt Gal. ait de marc. cap. 5. immunis vnquam reperitur, licet non omnes æqualem exiccationis gradum patiantur, quia a quibuſdã partibus ob propriæ ſubſtantiæ duritiem, ac tenuitatẽ minus defluit, vt ab oſſibus, & a cartilaginibus, a quibuſdam autem licet magis defluat, attamen ob reparationis celeritatem citiſſime reficiuntur, ſaltem quo ad partes carnoſas, vt iecori, quod principium ſit ſanguinis, cordi vero id cõtingit ob robur virtutis attractricis.

Hæc igitur licet in ſanguinis inopia alimento æquè, ac cæteræ partes nunquam deſtituantur, non tamen ob hoc ſenium, aut corruptionem, vt nec aurum, & adamas effugere valent.

Præterea patitur ſui corruptionem, dum violenter alteratur a cauſis morbificis, & ignem noſtrum internum corrumpentibus, quæ, quæcumque ſint, poſſunt eſſe morbi.

Patitur tandem, ſed non a morbo, verum ab affectione frigidá confertim, repente, ac vehementer inuadente, dum ſyncope, vel

lipothymia

lipothymia accedit,vt ſupra ſatis dictū eſt,quæ ſi perſeueret in intemperiē frigidam cordis, & tandem in mortem terminatur.

Quod autem duplex detur affectio in animalibus,alia quæ nōdum in morbum tranſierit, ſiue calida, ſiue frigida, ſiue humida, ſiue ſicca,ſiue ſimplex,ſiue compoſita ſit, quæque in fieri tantum conſiſtat, alia vero in facto eſſe ſuā eſſentiam obtineat, morbuſq; abſolute dicatur,alias oſtenſum eſt ex ſententia Gal. 1.de loc.aff. cap.3. & primo de præſag. ex pulſ. cap.3. & 3. eiuſd. cap. 2. & 3. dicentis, aliud eſſe calefieri adhuc, & aliud calefactum iam eſſe. dum enim corpus calefit,nondum morbo laborat, at dum calefactum eſt, iam intemperie facta torquetur. *Affectio ī animalib. duplex eſt.*

Quod autem locum habeat in corde affectio, quæ in fieri tantam ſuam eſſentiam obtineat, ac nondum in morbum tranſierit, & quod virtus vitalis in calore poſita ob talem affectum ita concidere poſſit,vt vel extinguatur, vel extinctioni proxime accedat, ſatis oſtendunt mulieres hyſtericæ, quæ a veneno frigido ita afficiuntur, vt earum virtus vitalis nullum neque in pulſu, neque in reſpiratione vitæ ſignum oſtendens, penitus extincta videatur.

Nec eſt quod quis in intemperiem eam audeat referre, quia,vt ſupra ex Gal.ſententia dictum eſt 3.de loc.affec.cap.7. quod cito fit,& cito deſinit, ad nullam intemperiem referri poteſt.

Igitur iſtā mala,& innaturalis affectio,quæ nullo pacto ſit morbus,ſed qualitas tantum,cauſam ſyncopes contentiuam,aut lipothymiæ,ſi mitior fuerit,aſſerimus eſſe. *Cauſa cōtētiua ſyncopes.*

Verum animaduertendum eſt, quod dum fit mentio de cauſa contentiua, (quicquid ſit de cauſa contentiua in morbis tantopere quæſita) nos inquirere cauſam ſyncopes, & lipothymiæ, vt ſupra palpitationis tantum, quæ ſunt ſymptomata, hoc quidem vel ad actiones læſas,vel ad qualitatem mutatam, illud vero ad qualitatem mutatam tantum attinentia, & habentia neceſſario pro cauſa contentiua, vt Galen. ait in ſynop.de pulſ. cap.9. & primo de ſympt.cauſ.cap. 5.quemlibet affectum, a quo neceſſario,& immediate dependent, & eſt cauſa factiua eorum, quæ eſſentiam in fieri obtinent,vt eſt ſaltatio,pugna, lucta, curſus, cantus, & ſimilia, vt prædicta refrigeratio,eſt cauſa lipothymiæ,& ſyncopes. *Cauſa contentiua declaratio.*

## LAESIONEM IN SPIRITIBVS INFLVENTIBVS *contingentem non attinere ad cauſam continentem ſyncopes. Caput Quadrageſimum quartum.*

IDEO toto cęlo aberrare mihi videntur illi, qui ſyncopen referunt in læſionem ſpirituum influentium, tanquam in cauſam continentem, & factiuã ſyncopes, & lipothymiæ, hoc enim fieri nullo modo poteſt, quia cum ſpiritus influentes non ſint animati, nec ſint corporis viuentis pars vlla, cõſtant enim ex ſanguinea, & aerea ſubſtantia inſimul, ( vt ſæpe dictum eſt) exquiſite permixta, & per corpus continue impetum facientes, abeunt, & redeunt, fluuntque, & iugiter regenerantur.

*Læſio terminans in partem nõ viuentem non lædit.* Ideo ſi læſio terminaretur in illis, nihilque vlterius pars viuens pateretur, neque ſyncope, neque lipothymia, neque damnum aliquod animali vnquam contingeret, tunc enim læſio terminaretur in parte non viuente, viuentibus perpetuo illæſis perſiſtentibus.

Sed cum deficiat anima, neceſſe eſt, quod, vt primo de loc. aff. cap. 2. & 2. eiuſdem cap. 9. ait Gal. pars animæ particeps patiatur, qualis eſt ſpiritus inſitus cordis.

Quod aperte ſignificare voluit Gal. lib. de vtil. reſp. c. 3. dum poſtquã enumerauit modos, quibus ignis externus extinguitur, ait, eodem modo igitur vero non diſſimile eſt contingere, & circa inſitam animalibus caliditatem, vtpote quæ materiam, vnde accenditur, ſanguinem habet, a natura item inſitum principium motus in vtramque partem, ita vt altero priuata, & reliquo ex neceſſitate priuetur, & ob id ipſum ſiue a reſpiratione prohibeas, ſiue a ſanguine, ſtatim corrumpitur, nam & lucernæ flammam tolles ſuffocando, aut omnino oleo priuando.

Vbi aperte Gal. per inſitam animalibus caliditatem intelligit partem animatam, cum inſitum ſui motus principium obtineat, ac anima ex eius ſententia nihil aliud, quam hæc exiſtat.

*Inſita caliditas quæ ſit.* Non admittimus tamen per inſitam caliditatem inſitum ſpiritum vna cum influente, qui in vtramque partem intus, & extra cõtinue per arterias fertur, quia qui inſitus eſt, animatus, penitus im-

mobilis,

mobilis,ác implãtátus,ác principium illius,qui mouètur, exiſtit, qui quoniam inanimatus eſt, ideo principium ſui motus internũ non habet,ſed à corde, & ab arterijs mouetur, ipſe vero ſequitur motum earum,non ſecus ac flatus ſequitur follium dilatationem, & conſtrictionem, multo minus aſſerendum eſt ipſum eſſe animam,cum ſit corpus inanime.

Similiter quòd læſio ad partem viuentem attinent,non ad ſpiritum influentem, clare expreſſit Auicen. 11.3 t.2.cáp.6.dum dixit ſyncopen eſſe deſtructionem plurium virtutum ſenſitiuæ, & motiuæ propter debilitatem cordis, vbi voluit cor partem animatam pati debilitatem ad hoc vt ſyncope oriatur, non ſpiritũ influentem tantum,bene verum eſt, nihil poſſe ſpiritui inſito cõmunicari, quod prius in ſpiritus influentes, & in caloris flammam non agat, nam niſi prius hi labem, ac detrimentum contrahant, ſpiritus inſitus (quantum attinet ad violentum, & præternaturalem eius interitum,vt naturalis excipiatur) integer & illæſus ſeruatur. *Læſio ad partem viuentẽ attinet.*

Et hoc non ſolum contingit in affectibus poſitiuis, ſed etiam in priuatiuis,quia euacuationes,& defectus non deducũt ad ſyncopen, niſi prius tánta ſpirituum influentium copia exhauſta ſit, vt ob id deſit cordi illa iam pluries celebratá recreatio, qua cor auidiſſime fruitur,vt teſtatur Gal.6 de plác.cap.15.

Idem aſſerendum eſt de cæteris qualitatibus ſiue manifeſtæ, ſiue occultæ ſint, cum nulla extrinſecus ad cor peruenire poſſit, niſi ſpiritus influentes tanquam per neceſſariam ianuam pertranſeant,vt Gal. ait 1. de cauſ. pulſ. cap.1. & 4. ad ſpiritus innatos cordis, vt conſtat diſcurrenti per omnes modos interitus, quos cordis calor ſubire poteſt, ſiue ſit propter alimenti, ſiue propter expurgationis defectum, ſiue extinguatur a ſuo contrario excedente,ſiue a ſuo contrario deficiente,omnino debet paſſio ſpiritus influentes prius inuadere, poſtea inſito cordis calori communicari.

AGGRE-

## AGGREGATIONEM SPIRITVS, ET *ſanguinis in cor non eſſe cauſam contentiuam ſyncopes. Caput Quadrageſimum quintum.*

*Aggregatio non eſt cauſa cõtinens ſyncopes.*

NEC minus improbanda mihi videtur illa aggregatio ſpirituum influentium poſita pro cauſa cõtinente ſyncopes, quia licet motus ſpirituum influentium ab intus ad extra,& econuerſo ſit manifeſtiſſimus, qui duplex eſt, alter enim inſequitur manifeſtum motum dilatationis, & compreſſionis cordis, & arteriarum, alter vero ob varios affectus inſequitur manifeſtam virtutem attractricem, & expultricem cordis vltra arterias,vt ait Gal.2.de cauſ.ſympt.cap.2.& 5.( quod autem hi motus ſint diſtincti, patet aperte, quia quo tempore ſpiritus ſemel, vel in gaudio expanduntur,vel in timore contrahuntur, quã plurimæ fiunt cordis, & arteriarum diſtentiones, & contractiones.)

Similiter licet aggregatio ſemper in ſyncope concurrat, ( non enim de hoc dubitandum eſt, vt iunior aliquis forſitan dubitare poſſit ) tamen illa aggregatio de ratione cuius vt cauſa continẽs, eſſet,vt affectus eſſentiam ingrederetur, eſſetque factiua eius, talis enim eſt natura cauſæ continentis, vt Gal. ait in ſynopſi de pulſ.cap.9.& 1.de ſymptomatum cauſ.cap. 5. vt ſemper præſens ſit dum adeſt effectus,ſitque factiua eius, in nulla ſyncope poteſt eſſe cauſa factiua,niſi vt cauſa antecedens, licet omnem ſyncopẽ concomitetur,quia niſi ſpiritui inſito cordis quid aliud cõtingat, quam aggregatio ſanguinis & ſpiritus in corde,profecto nõ ſubſequeretur caſus virtutum.

*Cauſa continens ſyncopes eſt refrigeratio*

At patitur ſpiritus inſitus,paſſio autẽ eſt refrigeratio,ergo refrigeratio erit cauſa continens,& aggregatio antecedens, ſed augẽs caſum, quia in nimio gaudio,intenſo dolore, & ſuperflua aliqua euacuatione, ac in reliquis huiuſmodi caſibus primum fit ſpirituum influentium expãſio, inde oritur indigentia recreationis,& triſtis ſenſus in corde,quo aucto, atque imminente interitu ſpirituum & caloris inſiti cordis ob defectũ ſpirituum,quibus recreari ac nutriri calor ſolebat,fit ſyncope,quam concomitatur aggrega-

tio

tio ſpirituum, quæ ſimul fit à natura vt pereunti facultati opem ferat.

Cum igitur ſyncope fiat à refrigeratione, vt teſtãtur pulſus ablati, ergo aggregatio eã concomitans, ac conſequens non poterit dici cauſa contentiua eius.

Similiter incipiat fluere ſanguis, & vnà cum eo ſpiritus, imprimis neque lipothymia neque ſyncope contingit, at ſi fluxus in tãtum proſequatur vt ſpiritus inſitus cordis ob priuationem proprie recreationis incipiat defectum ſentire, incipiunt etiam languere vires, & lipothymia oritur, & vna cum ea aggregatio, quæ tanquam accidens conſequens eam concomitatur.

Verum fluxu perſeuerãte ſi in tantum patiatur ſpiritus inſitus cordis, vt notabiliter in corde deficiat, tunc magis natura cũ aggregat in corde, vt dictum eſt, ideo ſubtracta materia ſpiritus animalis ſubſequitur caſus ſenſitiuæ & motiuæ ob debilitatem cordis, & ita ſyncopes eſſentia conſtituitur, vna cum ſua aggregatione, quæ fit à valida attrahendi vi cordi innata, nam natura, vt interitum euitet, ſtatim colligit, & aggregat, quod reliquum eſt, vnde dupliciter augetur ſyncope, primo quia propter aggregationem multo magis ſenſoria deſtituuntur ſpiritibus. *Syncopes generatio.*

Secundo, quia in actu repentinæ aggregationis ſpirituum in cor, vt pereunti facultati opem ferant, aggregatur etiam ſanguis, & ita geminatur cauſa ſyncopes, ſi ob materiam ſuffocantem inceperit.

Sed quis arbitrari poſſet, aggregationem poſſe ſaltem eſſe cauſam continentem ſyncopes ortæ a materia ſuffocante, quia, & ab ea inchoat, ac conſummatur, verũ licet in ea aggregatio fiat antecedendo tamen nunquam per ſolam illam aggregationem fieret ſyncope, niſi ſpiritus inſiti cordis, vti pars viuens aliquo ex relatis modis affecti, refrigerarentur.

Ideo in timore aggregatio materiarum in cor non eſt cauſa cõtentiua, ſed tantum inter cauſas antecedentes enumeranda eſt.

Et hac ratione nullo pacto mihi probatur opinio eorum, qui dicunt tunc ſyncopen conſtitui, cum poſt quamlibet affectionem in ſpiritibus contingentem ſequitur aggregatio, tunc enim caſus non ſequitur aggregationem, nec e conuerſo, ſed ambo cordis affectum, qui poſtea ab aggregatione augetur. *Reprobatio opinionis quorũdam.*

Sed

*Inſtantia.* Sed quidam aduerſus aggregationem inſtant hoc modo, ſyncopes eſt via ad ſubitam mortem, & vehemens ſyncope in ſubitam mortem neceſſario terminatur, vt Auic. ait 11.3.t.2.c.1. igitur vtriuſque, ſyncopes ſcilicet, & ſubitæ mortis eadem eſt cauſa, at ſubita mors poteſt ſubſequi ad caloris inſiti interitum, qui interdum deficit a ſuo ſimili alimentum abſumente, interdũ a ſuo contrario immodico citra aggregationem.

Vt igitur citra aggregationem poteſt calor inſitus ſubito a ſuo ſimili, vel a ſuo contrario interire, ita & multo facilius poteſt ſubito imminui, & ſolam ſyncopen citra mortem abſque aggregatione producere.

*Galeni cõfirmatio.* Quod etiam confirmari videtur à Galeno 2. de cauſ. ſympt. cap. 5. dum loquens de gaudio ait, non enim vna cum robore, & feruore mouetur extrorſum animalis facultas, ſed contra, ſi quid prius habuit roboris id nunc remittit, ac reſoluit, ergo cum plurimum relaxata, reſolutáque extrorſum fertur, digeritur. & ibidem paulo poſt ait, cum autem mortem afferant eiuſmodi perturbationes, paſſioneſque, nihil profectò miri eſt, ſi animi excitant deliquia.

Idem clariſſime confirmat 3. de criſib. cap. 9. dum ait. Neque rationem ſequentibus mirum videtur naturæ vim imbecillam in principio quidem acceſſionis, & augmento, & ſtatu poſſe perdurare, cum adhuc habitus ipſe in vnum veluti compreſſus contineatur, tempore vero declinationis, e contrario, ſe mouente calore, hoc eſt à medio ad extrema retrocedente, naturæ habitum ſpargi, atque diſſolui.

Igitur illi ſubito moriuntur, quibus naturæ habitus ſpargitur, atque diſſoluitur, quod eſt mori ſubito citra aggregationem, ergo ijdem ſyncopen pati poſſunt citra aggregationem.

*Reſponſio.* Verum reſpondetur facillime, quod in actu paſſionis ſpiritus & caloris a ſuo ſimili vel a ſuo contrario, concentratur, & aggregatio ſuccedit, niſi mors repentina eam præueniat, ideò in declinatione paroxyſmi poteſt naturæ habitus ſpargi, atq; diſſolui, & ita ſubſequi mors ſine aggregatione, idem contingit in puſillanimis, in quibus facultas extra vna cum robore & feruore non mouetur, ſed contra ſi quid prius habuit roboris, id tunc remittit atque reſoluit, ergo cum facultas plurimum relaxata, reſolutaque

extror-

extrorſum fertur,digeritur, verum ſi cum robore mouetur,nec extinguatur,ſubſequitur aggregatio.

At nullo modo ea aggreganda eſt inter cauſas cōtinentes ſyncopes, ſed tantum inter antecedentes, fit autem iſta aggregatio in ſyncope ex timore,non tamen ſola, quia duplici ratione in timore fit ſyncope, primo quidem, quia calor in corde refrigeratur,ſecundo quia ſimul etiam concentratur. *Aggregatio non eſt cauſa continens, ſed antecedēs ſyncopes.*

Ideo Gal. 2. de ſympt.cauſ.cap.5 loquens de timore ait, quippe extingui calorem accidit in timore propter affectus ipſius naturam,vt cuius generatio in refrigerando conſiſtat, ſuffocari autē eo quod totus ſanguis vna commeet, atque ad principium deferatur. *A timore duplici ratione fit ſyncope.*

Similiter duplici ratione ſpiritus in timore ſyncopen producēte recurrunt in cor, primo quia in timore animus contriſtatus ab obiecto triſtabili,& ab eo refugiens, ſpiritus eius miniſtri,& ſatellites,ſeu ianitores,qui ab imperatoris latere nunquam recedunt, eundem motum inſequuntur. *In timore duplici ratione ſpiritus fluunt in cor.*

Ideo attracti a virtute attractrice cordis ſe ipſum contrahentis motu quodam diuerſo a pulſatione a ſumma cuti in intimas, ac penetrales thoracis partes ſeſe recipiunt,ideo pulſus fit celer, vibratus,inordinatus,& inæqualis,atque vt 4. de diff. pulſ. cap. 3. ait Gal.in timore,& angore cor plene palpitare videtur,quemadmodum in gaudio ſpiritus eodem motu a pulſatione diuerſo mouentur ad extra,quaſi ad lætitiæ authorem amplexandum, & ita ſpiritus hinc inde recurrentes imitantur animum modo gaudentem,modo triſtantem.

Et cum repentina illa retractio,& aggregatio ſpirituum ſit motus violentus, & in corde repente ſanguinem inculcans, ideo in ſyncope ex timore ratione refrigerationis, & ratione multitudinis ſanguinis in corde aggregati, oritur periculum extinctionis, & ſuffocationis ſpirituum,& caloris innati & vitæ interitus,ideo natura prouida,vt periculum caueat, ſuper primū motum aggregationis ob timorem exortum, nouam aggregationem ab vniuerſo corpore molitur, vt cordi ſubſidium ferat, ac inde natura reſipiſcat, quod ſuccederet, ſi ſpiritus tantum in corde aggregarentur,verum quia vna cum illis inculcatur ſanguis,ideo loco ſubſidij, & opis geminatur malum.

Quod

*Cum ſpiritibus confuit etiam ſanguis.* Quod vero vnà cum ſpiritibus confluat etiam ſanguis, aſſerit Gal.5.in 6.de morb.vulg.t.30.dum ait;Nam quæ de caloris motu,lociq; in vigilantibus,ac dormientibus tranſmutatione audiuiſti ea,& de ſanguine te audiuiſſe exiſtimato,naturalis enim calor in hoc, & in his, quæ ex hoc nutriuntur maxima ex parte conſiſtit.

Idem clarius confirmat 5.aphor.53.dũ ait.Hæc enim eſt quædam ratio communis, in quibus natura aliquid violenter excernit,vt eo ſanguis,ac ſpiritus tendat,quibus duobus veluti inſtrumentis natura vtens,ea,quæ infeſtant,per vim expellit,atque hac ratione dolentibus partibus inflammationes adueniunt, natura excernente, atque expellere cauſam doloris properante, vt vero hoc faciat ſanguine, & ſpiritu locum implente, idem habet 13. Meth.cap.3.

*Efficiens cauſa aggregationis quæ ſit.* Fit autem illa attractio,& aggregatio à virtute cordis attractrice omnium vehementiſſima,vt lib.de marc.cap.5.ait Gal quæ in mentem cuiuis venire poſſit attractionum, quã cor præditum eſt, arripiens, ac veluti exorbens influentes materias,ac citiſſime ſuorum ventriculorum finibus excipiens.

Nam ſiue fabrorum folles ſpectes, vt ait Galen. 6. de vſu par. cap.15.quemadmodum ipſi dilatati intro aerem trahant, id omnium maxime cordi ineſt.

Siue quo pacto elychniorum flammæ oleum attrahant, ne ea quidem carent facultate,cum ipſum caloris natiui ſit principium.

Siue vt lapis Heraclius qualitatis familiaritate ferrũ attrahat, quid ſpiritu ad refrigerandum cor eſt familiarius? quid ſanguine ad idem nutriendũ eſt vtilius? mihi quidem videtur, vas aliquod tunc fuiſſe diuulſurum, cum omnibus ſimul vtitur attrahendi facultatibus, niſi conditor noſtri, ne quid huiuſmodi accideret,admirabile quoddam huic fabricatus eſſet ſubſidium.

At viriũ omnium, quibus cor attrahit, nulla cum ea, quæ per dilatationem arteriarum fit, conferenda eſt: ideo de eà loquens Gal.ait, id omnium maxime cordi ineſt,& hę ſunt cauſæ efficientes attractionis in ſyncope.

*Finalis cã aggregationis quæ ſit.* Irritatus modo a finali, vt ſcilicet facultati pereunti opẽ ferat, & ideo ſpiritus inſiti cordis ob aliquam ex relatis affectionibus patientes a cauſa ſyncopizante, atque ſubinde ob ſubſequentem

aggre-

aggregationem geminata non ſufficiunt pro uita, tum in fonte ſeruanda, tum pro irrigatione, & conſperſione viuifici caloris, qui toti corpori debetur.

Ideo partes extimæ calore, & ſpiritibus deſtitutæ pallent, & frigent, & caput, & collum, & ceruix ſudore frigido perfunduntur, & cum neque etiam cerebro ſatis materiæ pro ſpirituum animalium generatione, ob uitalium penuriam, contribuatur a corde, hinc totum corpus motu, ſenſuque deſtitutum concidit, mortiſque imaginem repræſentat, ſed iam ad cauſas extinctionis eius tranſeamus.

## *LIPOTHYMIÆ, ET SYNCOPES cauſæ proximæ.*

### *Caput Quadrageſimum ſextum.*

SED hic affectus, quem repentinam refrigerationem caloris inſiti cordis, & cauſam ſyncopis contentiuam vocauimus, & qui in nullo morborum genere reponi poſſe abunde ſatis demonſtrauimus, oritur, vel vitali facultate læſa, vel ob errorem externum, ſic enim ſymptomata, & affectus incidere docuit Galen. 3. de ſymptom. cauſ. cap. primo, & primo meth. cap. 8. *Symptomata, & affectus quo modo accidant.*

Si vitalis facultas læditur, tunc vel labefactatur, & illud eſt propter morbum cordis in intemperie, quæ vel eſt calida, uel frigida, vel humida, vel ſicca, vel ex his compoſita, vel etiam cum materia, uel impeditur, & illud ſimiliter eſt propter morbum cordis, ſed uel in compoſitione, uel in ſoluta continuitate, quæ ſunt inſtrumenta facultatis motiuæ, ideo labefactant facultatem pulſatilem, qua labefactata, vitalis, cui pulſatilis inſeruit, impeditur propter uitium cordis in compoſitione, uel in ſoluta continuitate.

Sed nunc cauſas, a quibus vitalis facultas uel labefactatur, uel impeditur, & errores externos, eam fruſtrantes ordinate recenſeamus, methodi diuiſiuæ innitentes.

Vel igitur refrigeratio ſpiritus inſiti cordis, quam ſyncope cõſequitur pendet a ſubſtantia, vel ab accidente. Si a ſubſtantia, hęc vel eſt poſitiua, vel priuatiua. Si poſitiua, vel eſt in corde, vel extra cor. Si eſt in corde, vel eſt in eius corpore, vel in eius finibus, ſi eſt in eius corpore, non poteſt aliud eſſe a prædominio, quam ſanguis.

*Cauſæ ſyncopes a ſubſtantia poſitiua.*

Nam repletiones quibus modis corpus abundat, ſunt repletiones ſanguinis, vt teſtatur Auicen. 1 1.3.tract.ſecundo, cap. 6. & tunc inflammationem excitat, quæ ad augmentum non deducitur citra mortem, & confluit a toto corpore, vel a iecore, & generatur, vt cap. de palpit. ſupra viſum eſt a iecore, & in cor ob calidam eius intemperiem attrahitur.

*Cauſæ ſyncopis ſubſtantia humoroſa.*

Si vero ſubſtantia ſit in finibus cordis, hæc vel eſt humoroſa, vel vaporoſa, ſi humoroſa, vel eſt integra, & non poteſt eſſe alius humor, quam ſanguis, nam repletiones, quæ cordi contingunt, ſunt repletiones ſanguinis, vt ſupra ex ſententia Auicen. dictum eſt.

Igitur hic ſua multitudine nimis replens cordis ſiccus ſpiritus, & calorem innatum ſuffocare poteſt, vt interdũ contingit in principijs febrilium acceſſionum, in repẽtino, & valido timore, in corpore plethorico, vt Galen. ait 5. de loc. aff. cap. 2. & 1. aphor. 3. & in 4. Hipp. lib. de rat. vict. t. 23. & 27. & ſi ſanguis ſit bilioſus, vt affectus ad naturam eryſipelatis accedat, vel ſit pituitoſus, vel melancholicus, tunc cum ſupra peccatum eius in quanto accedat etiam mala qualitas ſanguinis, deterior fit ſyncope, quia pro ratione degenerationis a benigno humore, grauior etiã fit affectus.

Si vero ſubſtantia humoroſa in finibus cordis exiſtens, ſit putrida, eſt idem ſanguis, ſed putrefactus, & longe deterioris conditionis, cum putridus humor ſit in ventriculis cordis non poteſt nõ eſſe ſyncope grauiſſima, & conſequitur febrem peſtilentem, & generatur vel ab aere corrupto & peſtilenti, vt contingit in epidemica peſtilentia, vel idem accidit ob prauam victus rationem.

*Cauſæ ſyncopes a ſubſtantia vaporoſa.*

Si vero materia in finibus cordis exiſtens ſit vaporoſa, hæc ſimiliter vel eſt integra, & ſunt vapores craſſi, & turbulenti, qui ſpiritibus influentibus permiſti cor ſua claritate & puritate priuant, craſſitudinemq; ac turbulentiam inducunt, quod etiam frequentiſſime accidit.

Et

Et tunc iſti vapores, vel in corde colliguntur, vel aliunde eleuantur in cor, ſi in corde colligantur, vel hoc fit ob interceptam reſpirationem fumidos vapores non expiantem, vel ob impuritatem materiæ, ex qua ſpiritus generantur, ſi fiat ob interceptam reſpirationem, vel eius cauſa eſt externa, & hæc poteſt eſſe laqueus fauces conſtringens, poteſt eſſe aqua, vt in obrutis, tranſitum aeris ad cor intercipiens, vel cauſa eſt interna, quæ vel eſt ſpontanea, vt contigit ſeruo barbaro, qui ſponte ſibi reſpirationē intercepit, vel eſt coacta, vt contingit in apoplexia, vel epilepſia maligna, idem contingit in angina, peripneumonia, in quibus interdum cogitur reſpiratio intercipi.

Si fiat ob impuritatem materiæ ex qua ſpiritus generantur, hæc materia vel eſt aerea, vt accidit his, qui degunt in aere craſſo & nebuloſo, qualis in vallibus, & antris, & prope flumina reperitur, vel eſt ſanguinea, quod accidit dum in ſinibus cordis abūdat ſanguis pituitoſus craſſus, & melancholicus, cuius generatio patet ex dictis.

Si vero vapores aliunde eleuentur in cor, neceſſario eleuantur ab aliqua minera, quæ vel eſt in toto corpore per vniuerſum venoſum genus diffuſa, quod præcipue contingit habitui melancholico, & hæc vel generatur a iecore ob eius intemperiem calidā, vel colligitur ob lienis non expurgantis imbecillitatem.

Vel minera eſt in aliqua parte, & ita vel in venis & vapores eleuantur a venis lienis, meſenterij, vteri, hepatis, ventriculi, vt ſæpe cōtingit in melācholia hypochondriaca laborantibus, vel minera eſt extra venas, & ita vel eſt impacta, & vapores eleuantur ab aliquo tremore, vel in liene, vel in iecore, vtero meſenteriæ radices agente, vel non eſt impacta, & ita ſuperius os ventriculi obſidet.

Si uero materia vaporoſa in ſinibus cordis contenta ſit putrida, hæc adhuc deterior eſt ob additam putredinem, & hæc vel eleuatur a toto corpore ad cor, & poteſt eleuari a bile flaua, cerulea, æruginoſa, atra, poteſt eſſe ſalſa pituita, poſſunt eſſe eorū ichores dum inſigniter putreſcunt, vt contingit in febribus ardentibus & malignis.

Vel vapor eleuatur ab aliqua parte male affecta, hæc autē vel eſt externa dum aliqua pars obſidatur a bubone peſtifero, cācro, carbunculo, vel etiam gāgræna, vt ſupra dictum eſt, dum loque-

bamur de cauſis, quæ poſſunt corrumpere ſanguinem in finibus cordis contentum.

Vel eſt in parte interna obſeſſa á veneno intus genito, & hoc uel generatur ex materia alimentali, & eſt grumus ſanguinis retentus, uel ex excrementitia, quæ uel eſt utilis, & eſt ſemen retentũ, ut accidit mulieribus hyſtericis, uel eſt inutilis, & ſunt uermes mortui ex putrefacta pituita geniti, uel eſt in parte interna a ueneno extrinſecus per os aſſumpto, & poteſt eſſe quodlibet uenenum putrefaciens, ut napellus.

Si uero calor inſitus cordis ſuffocetur á materia extrá cor exiſtente, hæc non poteſt eſſe niſi humoroſá, uel cibalis, quod ut exquiſite intelligatur, reuocanda ſunt in memoriam ea, quæ á Gal. 2. de præſag. ex pulſ. cap. 4. traduntur, dum cauſás inæqualitatis pulſus recenſet, ait enim facultatem pulſatilem creare intermittentes pulſus, qui ſunt propinquæ ſyncopes ſigna, uel quia ob humorum copiam uirtus ággrauata impediatur, quo minus motum debito tempore auſpicetur, interdum impeditur propter eandem copiam, adde ſimul & propter craſſitiem, non tantum ággrauãdo, ſed etiam obſtruendo oſcula uenarum cordi uicinarum per quæ attrahit, & emittit materiam, ut ſunt uaſa pulmonis.

*Cauſæ inæqualitatis pulſus.*

Interdum non tantum obſtruit oſcula uenarum, ſed etiam uniuerſam uaſorum capedinem, & hæc de materia, quæ in uenis contenta ſyncopen efficere poteſt. Nunc de materia extra uaſa cõtenta uideamus quid Gal. addat: Sæpe etiam (ait) contingit, ut materia non occupet intrinſecus uaſa, ſed foris exiſtẽs præ craſſitudine quaſi uinculũ ſit facultati, nonnunquã præ multitudine, & copia quaſi onus grauet, interdum nec uinculum, nec onus exiſtens, impedimento eſt tantum, quo minus in ſpacijs inanibus arteriæ diſtendantur.

*Quod officit pulſatili, uitalem lædit.*

Cum itaq; quod facultati pulſatili officit, uitali ẽt ſit detrimẽto, ergo ſi materia extra uenas præ craſſitudine eſt uinculum, & præ copiá onus, ac impedimentum facultati pulſatili, ut dictũ eſt, & facultatis pulſatilis læſio eſt cauſá læſionum facultatis uitalis, ergo materia, & in uenis, & extra uenas, præ copia, multitudine, craſſitudine, eſt uinculum, onus, ac impedimẽtũ uitali, quo minus uitã uiuenti debitè ſubminiſtret, ꝙ uiuens in uitæ diſcrimen adducit, quod confirmatur per ea, quæ ibi Galen. ſubiungit, ſcilicet

maius

maius diſcrimen,extremum malum,ſubitaneá ſyncopá,et repentina mors , quæ ſunt læſiones facultatis vitalis, non pulſatilis tantum.

Si igitur calor inſitus cordis ſuffocetur à materia extra cor exiſtente, illa vel eſt in venis, vel extra venas, ſi in venis poteſt eſſe ſanguis, qui vt Galen.ait 9.meth.cap. 11. ita multitudine creuerit, vt vires premat, idem confirmat Hipp. 1. aph.3. & Gal. 4.de rat.vict.in acu.t.23.& 27.

Similiter poteſt eſſe humor pituitoſus, & melancholicus, qui adeo in venis redundent,vireſque,& multitudine, & põdere premant,& aggrauent, vt ob id non ſolum facultas pulſatilis non impeτet omnibus arterijs, ſed & vitalis pene extinguatur, vt Galen. ait de pulſ.ad Tyron. cap. 11. & ſecundo de præſag. ex pulſ. cap. primo, & 4.

Excipitur autem bilis ab hoc propoſito, quia bilis, antequam increſcat,ita vt vires opprimere poſſit,alia illi, vt Galen. ait lib. de plenit.cap. 11. ſuperuentura eſt affectio.

Si vero ſit extra venas,vel eſt impacta in aliqua parte,& poteſt eſſe quilibet humor, ſiue inflãmationem, ſiue ſcirrhum, ſiue quẽcumque alium tumorem excitet, præter eryſipelas, & bilem id excitantem,quia ſermo nunc eſt de cauſa præ copia,& multitudine,& craſſitie vires ſuffocãte,& præcipue dum exiſtit circa viſcera principalia,& prope cor exiſtentia,vel cũ eo conſenſum habentia, vt eſt ventriculus, iecur, lien, pulmo, vterus, pericardium, & celerior, & frequentior eſt ſyncope, quo tumor eſt maior, & in parte, qua cum cor magis conſentit,vt eſt pulmo.

Si vero materia extra venas exiſtens, & caloris inſiti ſuffocationem minans non ſit in aliqua parte impacta, poteſt eſſe quælibet materia ſiue alimentalis, vt ſecundo in Hippoc. lib. de rat. vict.in acu. t.44. dum ob ſubitam ad eſculenta permutationem venter, compatiente ipſi facultate vitali, grauatur, vt contingit in grauibus annonæ penurijs, nam egeni, cum plurimum ieiunauerint, ſi forte ciborum copia contingat, tunc plurimo aſſumpto cibo protinus ſuffocantur.

Idem contingere poteſt ob crudorum humorum copiam, quæ in primis venis,& ventriculo continetur,cum oris eius imbecillitate, vt contingit in febre ſyncopali humoroſa.

Similiter poteſt eſſe quilibet humor excrementitius,& hic ſiue ſit naturalis,ſiue præter naturam, ſiue primæ, ſiue ſecundæ, ſiue tertiæ digeſtionis,ſiue integer,ſiue putridus,qui ſua copia,& pondere aggrauet, & premat.

Idem cõtingere poteſt in principijs febrilium acceſſionum, dũ ſanguis de tota ſuperficie externa repente ad interna viſcera confluit,vnde compreſſiones,& obſtructiones fiunt cum periculo ſuffocationis innati calidi cordis.

*Cauſa ſyncopes a ſubſtãtia priuatiua.* Si vero cauſa refrigerans ſpiritus inſiti cordis ſit ſubſtantia priuatiua,hec primum, & proxime eſt defectus ſpirituum influentiũ, deficiunt autem ſpiritus influentes pluribus de cauſis, vt Gal.ait 12.metho cap.5 & 2.de rat.vict.in acut.t.47.at non quilibet ſpirituum defectus ſyncopen excitat,quia viſum eſt ſupra,quomodo ẽt palpitationem producere poteſt, & multo facilius, quia maior cauſę efficacia,& vis requiritur in ſyncope, quã in palpitatione.

Ideo defectus ſpirituum influentium,vt ſyncopen excitare valeat, debet eſſe notabilis,& repentinus:vtrumque incommodum ſpiritus facillime patiuntur,quod accidit ob maximam eorum tenuitatem,& repentinam flexibilitatem.

Deficiunt igitur ſpiritus repente,vel quia alij non generentur, vel quia poſtquam geniti ſunt deperduntur;Si ſpiritus non generentur, vel illud accidit vitio materiæ, ex qua, vel vitio agentis, a quo,vel vitio viarum alimenti tranſitũ non libere admittentiũ.

*Cauſæ defectus ſpirituum vitio materiæ.* Si accidit vitio materiæ vt proponitur a Gal. 12. meth. cap.5. vel accidit vitio materiæ propinquæ, vel vitio remotæ, ſi accidat vitio materiæ propinquæ,hæc eſt ſanguis,qui vel imminuitur,vel corrumpitur, ſi imminuitur,vel hoc fit ſenſibiliter,vt contingit in qualibet ſãguinis immodica euacuatione, ſiue per nares, ſiue per os,ſiue per hæmorrhoidas, ſiue per vterum in mulieribus.

*Modi defectus ſpirituum per anaſtomoſim.* Et ſi fluxionum modi vel fiant per anaſtomoſim, venarum ore aperto,tum propter vaſis imbecillitatem, tum ſanguinis, qui ad ea eius impetu ruat copiam,aut propter eius acrem qualitatem, vt 5.meth.cap.2.ait Galen.

*Per diapedeſim.* Vel fluat per diapedeſim,quod fit cum ſanguis reſudat,aut fiat ob tunicam eius rarefactam, aut ob ipſius ſanguinis tenuitatem, aut gracilium vaſorum ore aperto.

*Per diæreſim.* Vel fluat per diæreſim,quod fit,quia vaș ſit diuiſum, fiunt autem

tem hi fluxus, aut a cauſa externa, vulnerante, contundente, vt a gladio, lapide, ferro, vt ab aſſumptis intrinſecus, vel extrinſecus medicamentis erodentibus admotis, qualia ſunt euphorbium, arſenicum, cantharides, aut fiat a cauſa erumpente, vt fit ob caſum ab alto.

Aut fluxus ſit a cauſa interna vaſa nimis replente, & diſtendente, vt ob nimiam ſanguinis copiam, quod accidit in diſpoſitione plethorica, & præcipue ſi ob immodicum motum, vel animi, vel corporis humor in flatum conuertatur, vel cauſa interna eſt mala humorum qualitas acris & erodens, cuius particeps eſt bilis, flaua cęrulea, æruginoſa, atra, ſimiliter, & ſalſa pituita, atque horum ichores, ac multo magis ſi putredine ſint præditi, gratia ſuperadditæ læſionis ab accidente, de qua infra.

Si vero materia propinqua inſenſibiliter imminuatur, hoc contingit, dum ſubſtantia ſpirituoſa, quæ a carne pulmonis pręparata eſt, vt materia ſpirituum vitalium intercipitur; hoc autem fit ob anguſtiam venoſarum arteriarum pulmonis, ſiue illæ anguſtentur ob conſtipationem, vel ob compreſſionē, vt infra patebit. *Materia imminuta.*

Si vero materia propinqua ſpirituum influentium corrumpatur, hoc vel fit a cauſa interna, vt dum ſanguis corrumpitur in febre peſtilenti, vel fit ab externa, vt accidit dum ſanguis corrumpitur ob morſum alicuius animalis venefici, vt ob morſum viperæ, ſcorpij, phalangiorum, vel canis rabidi, & conſimilium, vt ſupra dictum eſt; in quo caſu ſummam vim infert læſio ratione accidētis ſuperadditi. At ſi ſpiritus nō generantur vitio materię remotæ, hæc pariter vel eſt imminuta, vel corrupta, ſi imminuta, vel deficit tenuis, & eſt aer interceptus a cā vel externa, vel interna, & hac vel ſpontanea, vel coacta, vt ſupra dictum eſt. Vel deficit craſſa, & eſt materia chyloſa genita in ventriculo, quæ imminuitur longa inedia, in bulimo, in cruditate, cū enim ventriculus cibū non aſſumit, aut aſſumptum nō concoquit, nō generatur ſanguis, neque ſpiritus, vt 12. meth. cap. 5. ait Gal. Deficit aūt materia alimentalis remota ſpirituum, quæ eſt chylus, vel læſa facultate chylificandi, vel ob errorem externum, ſi læditur aut labefactatur ob intemperiem vētriculi, aut impeditur ob morbum eiuſdem in compoſitione, vel in ſoluta continuitate, vt patet in capite de morbis ventriculi. *Materia corrupta.* *Defectus ſpirituū vitio materiæ remotæ imminutæ*

Si læditur ob errorem externum, illud contingit ob malam ciborum conditionem, vel quia immoderata, vel quia intempeſtiua, vel quia inordinata ſit eorum aſſumptio, vel quia cibi ſint imminuti, vel mala qualitate præditi, cuius vitio crudi permaneant.

*Vitio materiæ remotæ corrupta.* Vel ſpiritus deficiunt ob corruptionem materiæ remotæ alimẽtalis, vel potius ob corruptionem materiæ ex qua generantur, cũ ſpiritus influentes non ſint præditi facultate altrice, hæc autem vel attinet ad ſubſtantiam aeream, vt contingit in peſtilenti aeris conſtitutione, vel qualis recipitur ex fodinis mineralibus, vel caminis, vel baratris, vel ex putredine alterius rei, aut ex ſtagnis, paludibus, fluuio, aut lacubus, aut fodinis ſubterraneis, non perflatis; vel attinet ad craſſam ſubſtantiam alimentalem remotam corruptam, vt contingit in cruditatibus nidoroſis ex chylo putrefacto, quod fit, vel ob ventriculi intemperiem, & præcipue calidã, vel ob malam ciborum conditionem, vt ſupra dictum eſt.

*Defectus ſpirituum vitio agentis.* Si vero ſpiritus non generentur vitio agentis, tunc facultas alteratrix cordis læſa eſt, & ideo vel labefactata, propter intemperiem calidam, frigidam, humidam, ſiccam, vel ex his compoſitam, ſiue ſit cum materia, ſiue citra materiam, quarum vnaquęque generatur a cauſis extrinſecis, & intrinſecis, pro vt infra latius dicetur. Vel eſt impedita, & illud eſt propter morbum in compoſitione, vel in ſoluta continuitate, de cuius eſſentia, & cauſis alibi.

*Defectus ſpirituum vitio viarum interceptarum.* Si vero ſpiritus non generentur ob vitium viarum interceptarum, & obſtructarum, ac non deferentium materiam ſpirituum influentium ad cor, tunc cum hæ ſint arteriæ, igitur vel arteriæ anguſtantur a materia comprimente, vel a materia conſtipante, ſi illæ anguſtentur a materia comprimente; hæc vel eſt in venis, vel extra venas. Si eſt in venis, poteſt eſſe ſanguis, vt 2. de cauſ. pulſ. cap. 2. & in Hippoc. 4. de rat. vict. in ac. t. 82. ait Gal. qui in pulmonis venis infuſus, leues arterias propinquas ita copia comprimat, & coarctet, vt tranſitus ſpiritibus intercipiatur, atque inde etiam poſt diuerſas, & difficillimas pulſuum inæqualitates ſyncopen excitet, propterea quod occupat riuos, & potiſſimum ſi ſanguis ſit craſſus, & lentus, vel pituita craſſa & lenta, quibus riuis, nec allicere ſpiritum, nec reddere cor valeat, & præcipue ſi vel prope ipſum cor ſit compreſſio, vel procul quidem, attamen in cor, & in nobiles partes impingat.

Si

Si vero arteriæ anguſtentur a materia comprimente extra venas exiſtente,hæc poteſt eſſe ſolida,& eſt vertebra luxata tracheã arteriam comprimens & anginam producens. Vel eſt humoroſa, & hæc vel eſt impacta,quæ in capite eiuſdẽ tracheæ arteriæ anginam ſimiliter foueat,& poteſt eſſe ſanguis bilioſus,pituitoſus,melancholicus,cuius generatio patet,ſimiliter poteſt eſſe humor frigidus,& craſſus,qui in pulmone ſcirryũ, vel tuberculum crudum producat,vel materia non eſt impacta,& hæc vel pulmonis cauernulas,vel intermediam regionem,quæ eſt inter thoracem, & pulmonem repleat,& reſpirationem lædat,vt 4.aph.34.& 12.meth. cap.5.& 4.de loc.affect.cap.8.ait Galen.

Si vero arteriæ anguſtentur a materia conſtipante,tunc ſimiliter poteſt eſſe ſanguis,qui copia,vel craſſitie,vel lẽtore,vel omnibus modis,quemadmodum 8.meth cap.4.& in Hippoc.4.de rat. vict.in ac.t.82. habetur, & leues, & aſperas arterias obſtruendo tranſitum intercipiat, ſiue occupet earum vniuerſam capedinem, ſiue in earum extremis finibus tantum ſit impactus. Vel poteſt eſſe humor frigidus,& liquidus,& craſſus, & tenax, & lentus, vt 4. de loc.aff.cap.8.ait Gal.qui in leuibus arterijs pulmonis receptus non ſolum pulſus omnimodam inæqualitatem producat, verum etiam translata materia ad aſperas,& palpitationem, & ſpirandi difficultatem,& ſyncopen,& mortem repentinam inducat,vt Antipatro medico contigit.

Hic autem humor vt plurimum deſcendit a capite, quod eſt in exhauſtum pituitæ promptuarium,poteſt etiam generari in pulmone ob eius intemperiem frigidam, eandem anguſtiam poteſt concitare pus manans ab aliqua vomica,vt anginoſis,pleuriticis, interdum contingit,vt 4.aphor.34.ait Gal.

Vel ſpiritus deficiunt, quia poſtquã geniti ſunt deperduntur, & tunc vel ſenſibilem euacuationem conſequuntur, vt contingit in quacunque immodica euacuatione materiæ alimentalis, vel excrementitiæ,ſiue naturalis,ſiue præter naturam,vt contingit in quacunque ſanguinis fluxione, ſeu alterius humoris, ſiue per ſudorem,ſiue per vomitum,ſiue per aluum,vt in lienteria, diſſenteria,diarhæa,ſiue per vtrũque ductum,vt in cholera,idem cõtingere poteſt in euacuatione materiæ purulentæ, ideo a tuberculi intus eruptione exolutio,vomitio,& animi defectus,vel in eruptione *Defectus ſpirituum ob deperditionem.*

ne aquæ ex hydropicorum ventre, in quibus omnibus, & ſimilibus euacuationibus, euacuatio ſpirituum conſequitur, vt ſupra dictum eſt, dum loquebamur, non de euacuatione ſpirituum, vt nunc, ſed aliarum materierum.

Si vero inſenſibilem euacuationem conſequantur, vel deperditio pendet a cauſa interna, & eſt vel facultatis detentorię imbecillitas, vel vaſorum raritas, vel ſpirituum tenuitas, vel deperditio eſt a cauſa externa, quæ eſt vel nimium gaudium, immenſa voluptas, intenſus dolor, curę, ſollicitudines, vigiliæ, immoderata exercitatio, quę attinent ad cauſas ab ipſo accidente deſumptas, de quibus licet aliquid dictum ſit ratione connexionis eius cum ſubſtantia, cui inhæret, dicendum tamen adhuc plenius eſt.

*Cauſæ ſyncopes ab accidēte materiali.* Si igitur refrigeratio ſpiritus inſiti cordis, quam ſyncopes conſequitur pendeat ab accidente, tunc illud accidens vel eſt qualitas materialis, vel ſpiritualis, ſi materialis, vel eſt manifeſta, vel occulta, ſi manifeſta, vel eſt prima, vel ſecunda, ſi eſt prima, vel *Simplici.* eſt ſimplex, & poteſt eſſe caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas. *Cōpoſito.* Vel eſt compoſita ex his, & poteſt eſſe caliditas & ſiccitas, caliditas & humiditas, frigiditas & ſiccitas, frigiditas & humiditas. vt Gal. ait. 12. meth. cap. 5. & 1. de præſag. ex pulſ. cap. 8.

Caliditas quidem innatam cordis caliditatem per alimenti abſumptionem corrumpens, & poteſt oriri vel a cauſa externa, vt ex admouendis, qualis eſt aer calidus inſpiratus, cibus calefaciens, vt allium, cępę, cibaria cum aromatibus condita, vt pipere, croco, & alijs huiuſmodi, potus vini generoſi, & antiqui, poſſunt eſſe medicamenta calida, vt theriaca, mithridatium, poteſt eſſe deleterium, vt euphorbium, cantharides, arſenicum, ſublimatum & ſimilia, vt docet Gal. 1. de cauſ. morb c. 2. & 1. de differ. febr. c. 4.

Vel ex faciendis, & poteſt eſſe immoderatus motus, tum corporis, vt nimia exercitatio, frictio, tum animi, vt ira, meror, curæ, ſolicitudines, vigiliæ.

Vel ex foris incidentibus, & poteſt eſſe aer nos ambiens nimis calidus, exuſtio ignis, vel ſolis, hypocauſtum, balneum calidum, & ſimilia, nā ab his cor calefieri poteſt, & licet vt Gal. ait de cauſ. ſympt. cap. 2. pars contingens, & continua cum cauſa calefaciente caliditatem aſſumere poſſit, deinceps etiam partem vicinam afficere, & hæc ſubinde ſibi proximam, vſque ad cor, tamen in viuē

te calor prius per arterias cordi communicatur, atque ita ad prin cipium inſiti caloris celerius aſcendit, quam quod per partẽ poſt partem multiplicatus cor attingat.

Si vero cauſa calefaciẽs ſit interna poteſt eſſe quilibet humor, ſiue alimentalis, ſiue excrementitius, ſiue naturalis, ſiue præter naturam putridus tamen, ideo calidus & feruens, & præcipue bilis flaua, æruginoſa, cerulea, & atra, ſimiliter ſalſa pituita, & horũ omnium ichores. *Cauſa calefaciens interna.*

Frigiditas autem intenſiſſima poteſt calorem inſitum cordis, vt a ſuo contrario extinguere, vt Gal. ait 12. meth. cap. 5. & 1. de cauſ. ſympt. cap. 7. & hæc non minus, quam caliditas oritur vel a cauſa externa, vel ab interna, ſi ab externa, vel extrinſecus incidit, & poteſt eſſe aer ambiens frigidiſſimus, vt contingit his, qui per loca frigidiſſima niuibus & glacie obducta deambulantes per longa itinera etiam mortui ſunt, vel poteſt eſſe balneum frigidiſſimum, vel medicamentum tale admotum, vt opium, mandragora, cicuta, hyoſciamus, vel cauſa externa intrinſecus aſſumitur, & poteſt eſſe aer frigidiſſimus inſpiratus, vel cibus immodicus, vel frigidus, vt ſunt acida poma, anguria, cucurbita, lactuca, portulaca, vel frigidæ potus, vel medicamentum frigidum aſſumptum, vt lactuca, opium, & reliqua, quæ a Gal. enumerantur de cauſ. morb. cap. 3. hæc enim ſyncopen producere poſſunt dum repente agunt in cor, vel in aliquam principem partem cordi cõſentientem, vt 12. meth. 5. ait Gal. *Frigefaciens interna.*

Vel cauſa eſt interna, & hæc vel eſt materia alimentalis, & eſt grumus ſanguinis alicubi detentus, vel eſt excrementitia, quæ vel eſt in venis, vt ſemen retentum in mulieribus hyſtericis, vel extra venas, vt hydatis in pericardio, vel pulmone.

Nec paruo humiditas, & ſiccitas cordi, & ſpiritibus eius inſitis damno eſſe poſſunt, licet nõ æque ſubito, ac affectus, qui in caliditate, & frigiditate conſiſtunt, vt Gal. ait libro de vtil. reſp. cap. 5. *Cauſa humectans, & ſiccans interna.*

Humiditas enim aciem caloris obtundit, eneruat, obruit, refrigerat, & extinguit, & poteſt generari a cauſa externa, vt a plurimo vſu balneorum ex aquis dulcibus, a copia pluuiarum, ab humectantibus cibis, quales ſunt cucumeres, anguriæ, peponum, cucurbitæ, à nimio ſomno, potu aquæ, ſimiliter a medicamentis humectantibus, vt patet, ſi vero cauſa fuerit interna poteſt eſſe in-

tem-

temperies humida, vt in hydrope, aſcite, leucophlegmatia.

Siccitas autem calorem exacuit, ſubſtantiamque eius extenuat, exugit, & corrumpit vt ait Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. vbi docet ſuccurrere ſyncope in febrientibus a nimio ſqualore, ariditate, & ſiccitate, cuius etiam ample meminit 10. meth. cap. 3. & hũc ſyncopoſum maraſmum lib. de marcor. cap. 5. vocauit.

Qui ſimiliter generatur, vel a cauſa externa, vt ab inedia, vigilijs, laboribus, curis, ſollicitudinibus, ira, ab aere nimis calido, a balneis ſulphureis, nitroſis, & ſalſis, & ab his, quæ tam per os aſſumuntur, de quibus ſupra, quam etiam, quæ extrinſecus admouentur, vt Gal. de cauſ. morb. cap. 4. & 3. de præſag. ex pul. capit. 8. & 10. meth. cap. 4. & 5.

Vel generatur a cauſa interna, vt a bile flaua, æruginoſa, cerulea, atra, a ſalſa pituita, ab eorum ichoribus, & præcipue putreſcẽtibus. Idem aſſerendum eſt ſi ſyncope accidit vitio compoſitarum qualitatum.

*Cauſæ ſyncopes a qualitatibus ſecundis.* Si vero pendeat a ſecundis qualitatibus, vel poteſt eſſe motus, vt Gal. ait. 12. meth. cap. 5. & hic vel eſt animi, vt accidit in ira, mœrore, ſollicitudine, curis, anxietatibus, vel eſt corporis, & poteſt eſſe nimia exercitatio, frictio, vel poteſt eſſe ſpirituum tenuitas, vel vaſorum eos continentium raritas, vna cum facultatis detentoriæ imbecillitate, vt accidit in febre ſyncopali minuta, Gal. teſte, primo in primum prognoſt. t. 8. nam debilitas detentoriæ facultatis in viuente, & humores tenuiores cum febre calida efficiunt, vt aliquid extra cutem excernatur, quod propter exiguitatem, eſt inuiſibile, & febris etiam magis conſumit tenuiſſimos humores, minus vero tenues extenuat, ita, vt exiccatio nunquam deſinat, donec ęgrum ad perditionem deducat, idem operatur crocus, qui ita ſpiritus dilatat, vt interficiat.

*4 Cauſa ſyncopes a qualitate occulta.* Si vero qualitas ſit occulta, tunc illa lędit, non quia calida aut frigida, ſed quia a tota forma aduerſatur inſito calori cordis, quæ vel generatur in corpore, vel extra corpus, ſi generetur in corpore, vel reſidet in venis, & eſt excellens & magnificus gradus putredinis nullo pacto diſſimilis a veneno, ꝙ a venenatis feris eiaculatur, vt teſtatur Gal. 3. in 3. epid. t. 75. & accidit febribus peſtiferis.

Si vero reſideat extra venas, vel eſt in aliqua parte impactus, vt contingit in quolibet tumore maligno, vt in bubone peſtifero

cancro,

cancro, gangręna, carbunculo. Si vero non ſit impacta, poteſt eſſe in ventriculo, vt vermes mortui, vel grumus ſanguinis, vel in vtero, vt ſemen corruptũ in mulieribus hyſtericis, vt ſupra dictũ eſt.

Si vero mala qualitas extrinſecus acceſſerit, vel intus aſſumitur, vt aer peſtilens inſpiratus, vel per ſe, vel per admiſtionem vaporum peſtilentium, qui eleuari poſſunt ab animalibus mortuis, & præcipue veneficis, vel ab antris ſubterraneis, ſimiliter poteſt eſſe cum cibis aſſumptus, ſiue ſit minerale, vt arſenicum, hydrargyrum, lithargyrium, ſiue vegetabile, vt napellus, aconitum, ſiue ſenſibile, vt viperę, ſcorpij, canis rabidi, pars, aut excrementum, vel extra admouetur, vt omne venenum corpori admotum, vt ſupra patuit.

Si vero accidens inſitum cordis calorem corrumpens ſit qualitas ſpiritualis, hæc vel generat in corde quid poſitiuum, & eſt timor repentinus, & immodicus, qui vel addit in corde ſubſtantiã, & eſt ſpiritus & ſanguis in ſinibus cordis inculcatus, vel addit accidens, & eſt frigida affectio, ideo Gal. 2. de cauſ. ſympt. cap. 2. de vtroque loquens ait, itaque etiam ex timore ſubito nonnulli iam interierunt, cum ſcilicet animulus eorum naturaliter imbecillus vehementi paſſione detentus, ſemel & confertim extinctus eſt, & ſuffocatus, quippe extingui calorem accidit in timore propter affectus ipſius naturam, vt cuius generatio in refrigerando cõſiſtat, ſuffocari autem eo quod totus ſanguis vna commeat, atque ad principium deferatur. *Cauſa ſyncopes ab accidente ſpirituali.*

Vel generat in corde quid priuatiuum, quod vel attinet ad animam, & eſt gaudium profuſum, in quo calor vna cum ſpiritu exhalat, ideo Gal. ibidem de gaudio loquens, ait ex gaudio tamen ingenti nonnulli puſillanimes perierunt, æquè, ac ex timore, non enim in gaudio cum robore, & feruore mouetur extrorſum facultas vitalis, vt in ira contingit, ex qua nemo interit, ſed contra ſi quid prius habuit roboris, id nunc remittit, & reſoluit, ergo cum plurimum relaxata, reſolutaque extrorſum fertur, digeritur. *Vel accidens ſpirituale priuatiuũ generat.*

Et de vtroque loquens ibidem ait, ſunt porro affectus animi timor ſubitus, & vehemens, quem ecplexin Græci vocant, prætereà quæ cõtraria huic timori eſt voluptas maxima, Græci perichariam vocant, quaſi exceſſum gaudij dixeris, ſcimus enim amborũ occaſione perijſſe quoſdam, iam reliqui quoque magni timores

om-

omnes,& cum his maximæ voluptates,etſi non pullulant,at certe reſolubilem,infirmumque ſpiritum reddunt.

*Vel accidens ſpirituale priuatiuũ generat.*

Si vero qualitas ſpiritualis,quæ in corde generat quid priuatiuum,attineat ad corpus,talis eſt dolor, qui,vt Gal. ait 2. in Hippoc. de rat.vict.in ac.t.48.valde virtutem proſternere poteſt,diſſoluendo ſubiectum calidi inſiti,generatur autem a ſolutione cõtinui, quæ vel eſt euidens ſenſibus, vel ratione tantum contemplabilis, ſi ſit ſenſibilis, vel fit a cauſa externa, & poteſt eſſe gladius ſecans, medicamentum erodens, ambo in partibus neruoſis,ac valde ſenſibilibus,vt ſunt capita muſculorum,vel ventriculi os,agens.

*Cauſæ continuum ſoluentes.*

Et cardialgia vocatur, quæ eſt cordis dolor, & morbus quem etiam cardiogmon appellant,quod ſit morſus in ore ventriculi,vt multis in locis teſtatur Gal.& præcipuè 2. Epid. part.2. huc vſq; ſupreſſa, at nupperrime Græce & Latinè impreſſa vna cũ tertia, Perilluſtr. D. Ioannis Sozomeni I. V. Doct. eximij, viri multis laudibus digni, & multis honoribus a Sereniſs. Venetorum Dominio aucti, opera & ſtudio, ac ab eodem Latinitate donata,cui plurimum medicæ rei candidati acceptum referre debent.

Vel ſit ab interna,& eſt materia acris, & erodens,& poteſt eſſe materia fluida,vt vtraque bilis,vel ſalſa pituita,vtraque vel integra,vel putrida ſupradictas partes neruoſas, & valde ſenſibiles obſidens,vel eſt materia terreſtris,vt lapis, qualis accidit veſicæ, renibus,& inteſtinis, materia vero, quæ extendendo continuum ſenſibiliter ſoluat,nõ reperitur, niſi in plethora, & ruptio attinet ad vaſa ſanguinem continentia,at hæc cum nullum,vel exiguum dolorem experiantur ideo nec ſpiritus diſſolutionem, nec ſyncopen inducunt,nec ad rem noſtram faciunt.

Si vero dolor fiat a ſolutione continui ſola ratione contemplabili,hæc vel fit a ſubſtantia,vel ab accidẽte,ſi fiat à ſubſtãtia, hæc vel eſt ſpirituoſa, & ſunt flatus, qui generantur ab agente calore in craſſos,& glutinoſos humores,qui continentur, vel inter tunicas ventriculi, aut inteſtinorum, aut aliarum partium neruoſarũ ac valde ſenſibilium,nec erumpere poſſunt, vel detinentur in cauitate vt in colo ob obſtructionem,vt Gal.ait 12.meth.cap.8.vel vtrobique, nam & obſtructio ſpiritum cohibet, nec exire permittit, & craſſa, glutinoſaque ſubſtantia cum calefit continue ſpiri-

tum

tum gignit, contingit autem his, qui cibis frigidis, craſſis, & glutinoſis ſe inferſerunt.

Vel hæc ſubſtantia eſt humoroſa, & eſt ſanguis, pituita, vtraq; bilis, tam naturales, quam excrementitiæ, & hæ, vel impactæ in aliqua parte, vt accidit, dum os ſuperius ventriculi, vel aliquod inteſtinum, vel alia pars neruoſa vehementer dolet, quia vel inflammatione, vel eryſipelate correpta ſit.

Vel ſubſtantia humoroſa non eſt impacta, quod accidit dũ ventriculus, & præcipue ſecundum os eius mordetur a vitioſis ſuccis, hi autem vel in ventriculo generantur, & poteſt eſſe chylus putrefactus, bilis praſſina, vel confluunt ab alijs partibus, & poteſt eſſe ſalſa pituita a capite deſcendens, vel bilis vtraque, illa à iecore, ſeroſus ichor à liene, vel a toto corpore confluens, putreſcit autem chylus, vt ſupra viſum eſt, ſimiliter de generatione bilis praſſinæ, ac cæterorum malorum humorum iam ſatis ſupra dictũ eſt.

Vel ſubſtantia continuum ſoluẽs, ac dolorem inducens eſt terreſtris, & hæc vel intus genita eſt, & eſt lapis veſicæ, renum, inteſtinorum. Vel extrinſecus acceſſit, & poteſt eſſe inſtrumentum tendens, diſtorquens, vel contundens, ita vt inſenſibiliter tantum cõtinuum ſoluat, vt lapis, & lignum.

Si vero fiat ab accidente, tunc vel fit a caliditate, vel a frigiditate, vel a ſiccitate, vt 10. meth. cap. 7. ait Gal. Hæc vero vel extrinſecus ab aliquo venenatorum animalium, vel pharmaco, quod vehementer calefaciat, refrigeret, ſiccet, prouenit, vel ab ambiente aere, vel extrinſecus a ſuccis, qui in ipſo corpore habentur, vt 6. in 6. de morb. uulg. t. 5. ait Gal. quorum generatio ſupra patuit.

Dum igitur uentriculus, & præcipuè os eius ſuperius, uel inteſtina, uel capita muſculorum, uel alia pars acri ſenſu prædita ab iſtis cauſis afficitur, tunc ob dolorem ſpiritus diſſoluuntur, & facultas uitalis proſternitur, inde ſyncope, & ſi morbus augeatur, mors repentina ſubſequitur.

QVO-

## *QVOMODO VENENA IN CORPVS VIVENS, & alexiteria, tum in corpus viuens, tum in venenum agant, & quot ſint modi agendi vnius in alterum. Caput Quagrageſimumſeptimum.*

VENEFICA autem ſubſtantia, de qua nunc locuti ſumus, eſt illa, quæ agit in cor per qualitatem, quam uocant occultam, non manifeſtam, qualitas autem illa, quæ uariorum, & ſatis apertorum effe-ctuum abdita cauſa uidetur in multis rebus, occulta uocatur, quia ignoratur modus, quo effectus producitur, agit enim, uerbi gratia, uenenum uiperinum in corpus uiuens, ac illud interimit, ſed quo medio illud efficiat, non ita conſpicuum eſt.

Similiter agit calor animalis in alimentum, & nihilominus nõ calor ſolus producitur in alimento, ſed noua forma, nouumque mixtum efficitur, & ſubſtantia uiuens, ideo non uidetur calor a-ctionis cauſa fuiſſe, cum effectus eum excedat, uerum eſt aliquid aliud ſupra eum, quid autem ſit illud ſuperius, ignorari uidetur, quia ſi actio attribuatur formæ, non conſtat, quomodo forma agere poſſit, cum actio fiat ratione contrarietatis, forma autem nulli enti aduerſetur, & propterea non formæ attribuenda uidetur a-ctio, ſed excogitanda eſt aliqua qualitas, quæ quia latet, ideo occulta dicatur, ac illi actio iniungatur, occulta autem eſt, quia nulla alia qualitas ſupra calorem cognoſcitur, attamen operatio producta calorem excedit.

*Qualitas occulta nõ latet.* Cæterum actio occulta non ita latet, ut prima fronte nomen ei adſcribit, forma enim eſt principale agens, quòd inter agendum in animalibus calore vtitur, ut inſtrumento, ideo effectus calori ſuperior producitur, quia debet ſuæ cauſæ conſimilis fieri, non inſtrumento, calor.n.non agit uirtute propria, & vt calor eſt, ſed vt inſtrumentum, verbi gratia, formæ animalis calorem dirigentis, & ſupra eum poſitæ, quam ſatis appoſite nominaſſe illi videntur, qui actionem à tota forma eam vocarunt.

Hanc eandem ſignificare voluit Ariſt. 2. de gener. ani. cap. 1. dicens dura igitur mollia, lenta, rigida, & quicunque alij affectus

partibus

partibus inſunt animatis a caliditate, frigiditateue effici poſſunt, at ratio, qua iam caro, aut os eſt, non poteſt, ſed a motu proficiſcē te efficitur ab eo, quod genuit, quodque actu eſt id, quòd potentia eſt id, ex quo gignitur, quomodo in his quoque agitur, quæ arte efficiuntur, ferrum enim durum, aut molle efficitur calore, vel frigore, at vero entis a motu inſtrumentorum, qui artis obtinet rationem, ars enim principium, formaque eius, quod efficitur, eſt, ſed in alio, motus autem naturæ in ipſo eſt ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam.

Cum igitur ex verbis Ariſt. ſatis conſtet non calorem, ſed animam in animalibus, & plantis eſſe principium actionum, & per conſequens formas animantium materiam tranſmutare illud idē concedendum erit formis inanimatorum, ſunt enim omnes ſubſtantiæ ſolo gradu inter ſe differentes dantes eſſe rei, cuius ſunt, & principia paſſionum earum, ergo vnicuique vti naturæ conſimili debetur actio producta, ideo ignis per calorem calefacit, & per propriam formam mediante calore generat ignem. *Anima eſt principiũ actionum in animalib.*

Nec hæſitandum eſt, an calefactio pendeat a forma agente mediante calore quia cum calefactio ſit diſpoſitio ad futuram formam, neceſſe eſt, quod ab eodem, à quo futura forma dependet, proficiſcatur, idem enim eſt materiam diſponens, (vt habetur apud philoſophos) & formans.

Verum actiones à formis productæ ſunt in duplici differentia, aliæ enim terminantur in qualitatem, aliæ in ſubſtantiam, prima differentia iterum eſt duplex, alia eſt inſtrumento vniuoca, vt dũ forma ignis per calorem proprium generat calorem, alia eſt æquiuoca, vt dum magnes per vim ſuæ formæ attrahit ferrum, in ferro enim producitur motus tantum, & dum medicamenta purgantia proprium humorem attrahunt, in humoribus a virtute medicamenti vti a potiori, (vt Gal. ait 3. de ſimpl. med. facult. cap. 25.) producitur motus. *Actiones a formis productæ ſunt duplices.*

Secunda differentia earum actionum, quæ terminantur in ſubſtantiam, & in formam agenti ſimilem, & vniuocam, hoc habet, quatenus in agente reperitur talis proprietas agendi, ſiue ſequatur ſimplicis eſſentiæ naturam, vt in elementis contingit, dum forma ſimplicis corporis, ignis nempe generat ignem, & terra terrã. Siue ſequatur naturam miſti, a quo pro varia quatuor ſubſtan-

tiarum elementorum proportione variæ, ac innumerabiles propemodum agendi proprietates miſtorum formas conſequentes emergunt.

Ideo interdum non ſolum agens agit quia calidum, frigidum, humidum, & ſiccum ſint inſtrumenta formæ mediocris & paruæ actiuitatis, quæ ſibi ſimile generare non poteſt, niſi magnus diſpoſitionis gradus introducatur, ſed interdum agit, quia idem calidum, frigidum, humidum, & ſiccum ſunt inſtrumenta formæ ſummæ actiuitatis.

*Forma agens ſummæ actiuitatis.*

*Quomodo venena interimunt.*

Ideo in actione interdum ſufficit paruus gradus diſpoſitionis ad formam miſti introducendam, & hoc modo venena occulte, & repente interimunt, quia quilibet minimus gradus calidi, aut frigidi eſt ſufficiens diſpoſitio pro forma introducenda, quæ ſi fuerit ſummæ actiuitatis, ſtatim interficit.

Igitur forma veneni, quæ eſt natura miſti, vt miſtum eſt, non autem, vt animatum, cum ſit ſummæ actiuitatis, per leuem diſpoſitionem (ſic interdum ſibi ſat eſt) vehementer agendo, non ſecus, ac ignis, qui contra per magnam diſpoſitionem ſtipulas, ac ſtupā comburens generat ignem, formam ſibi ſimilem generat, & cū ſit ab humana natura diuerſa, confeſtim homo ab ea interit.

*Formæ miſtorū ſunt diuerſæ, nō contrariæ.*

Dico diuerſa, quia formæ miſtorū, vt cæteræ omnes inter ſe nō contrariātur, ſed diuerſificantur, prout diuerſæ earū proprietates oſtendunt, vt ait Auicen. 2. can. t. 1. cap. 4. vt alia ſit forma carnis, alia oſſis, & alia ſit forma ligni, & alia lapidis, quæ comparatæ ad aliud mixtum, alię maiorem, aliæ minorem diuerſitatem ſeruant.

Hinc fit vt viuentium animæ ſeruentur in hoc miſtionis gradu, non in illo, ac quædam viuentia nutriuntur pane, quædam carnibus, nullum autem ferro, aut lapidibus, quia forma panis, & carnis minorem diuerſitatem ſeruant a viuente, quam ſeruet ferrum, & lapis, ideo facillime caro, & panis a viuentibus in propriam ſubſtantiam tranſmutantur.

Quod ſi aliud miſtum reperiatur, quòd adhuc maiorem a ferro, & lapidibus, diuerſitatem ſeruet, hoc ad huc minus ad nutriēdum aptum erit, ſed ſi præter diuerſitatem, ſit etiam maximæ actiuitatis, tunc ob magnam vim agendi tranſmutabit miſti viuentis formam, quæ ſtat pro diſpoſitione animæ, & ita variatis diſpoſitionibus ad diuerſum miſtum diſponentibus, animatum

cor-

corrumpitur, & hoc modo venena occulte interimunt.

Nam anima illarum diſpoſitionum quaſi facta impatiens cogitur corpus deſerere, & tũc viuens interit, quod propterea fit, quia priori forma miſti immutata, noua vt diſpoſitio improportionata animæ ſuccedit, quæ ei inſeruire nullo pacto poteſt, ideo cogitur animal interire; hoc autem contingit veneno viperino, vel alio ſimili interemptis. *Quomodo venena occulte interimant.*

Quod docuit Auicen. 2. can. tract. 1. cap. 4. dum ait, venenũ eſt medicina, quæ corrumpit complexionem, non cum contrarietate tantum, ſed cum proprietate, quæ eſt in ipſo, ſicut facit napellus.

Idem clarius ſignificare voluit Gal. dum 2. proret. t. 17. loquens de viru canino dixit, atq; ob id immedicabilior exiſtit, quod partium ſolidarum ſubſtantia in aliam tranſeat conditionem, veluti in vitiliginibus leucis appellatis fieri conſueuit, & paulo poſt addit, non eſt igitur abſurdum, vt talis in corpore paulatim progenitus ſit humor, qualis eſt rabientium canum, & medicamentorum tractu temporis longiore corrumpentium.

Et primo de ſemine cap. 16. loquens de citiſſima, & exquiſitiſſima generatione ſeminis, in qua non acquiritur accidens, ſed forma ſubſtantialis ſeminis, ac ea ratione venenum immutare docet, ſubiungit.

Neque id mirum eſſe debet, quomodo etiam ſi quis paululum ſucci, aut medici, vel cyrenaici aſſumpſerit, eius qualitatem & in vrina, & in alijs humoribus præſe fert, id quod ruta quoque, vel allium, vel huiuſmodi reliqua facere conſueuerunt, validæ enim facultates ſibi ſimili qualitate vniuerſum corpus immutant; qua ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum quæ deleteria appellant, vbi in animalis corpus ingreſſa fuerit totum id momento temporis immutat, ſibique ſimili affectione alterat.

Nec ſecus fit curatio, quæ per venenorum remedia, & antidota adhibetur, quę alexipharmaca nuncupant, quæ contraria lethalibus alteratione totum etiam ipſa corpus immutant, & ideo non ſolum animalia veneno interempta alijs venena fiunt, ſed quælibet ſubſtantia, quæ non ſit veneno alexiterium, dum venenum tangit, atque contrectat redditur venenata, ac ſubſtantialiter tranſmutata, & ideo virga, per quam necatus fuit veneficus ſerpens, *Curatio venenorum imitatur modum læſionis.*

pens, facta fuit ſaltem ſecundum aliquas ſui partes, in quibus venenum fortius egerit, legitimum ſubiectum veneni, atque vt ſubſtantia venefica potuit ferientem interimere.

Quod autem illud ſit miſtum veneficum prioremque formam depoſuerit, patet, quia ſiue lignum, ſiue pomum ſit ſemel veneno affectum quam citiſſime corrumpitur, atq; putreſcit, niſi materiæ craſſitudo, ac dẽſitas actionem moretur, ſi vero ſit animal interit.

*Forma agens mediocris actiuitatis.*

Si vero forma agens fuerit mediocris actiuitatis, tunc vel eſt ſimilis, & ita ob mediocrem vim agendi deſtruit venenum miti, & blanda actione, & quæ cordi, & ſpiritibus eius inſitis nullam vim inferat, ob ſimilitudinem autem, quam cũ corde & ſpiritibus habet, eos ſeruat, fouet, vnit, nutrit, & auget, talia pręcipue ſunt odorata, cum modica quadam adſtrictione.

Si vero forma ſit diſſimilis, hæc poteſt eſſe duplex, alia enim aduerſus venena pugnat, quæ tuto aduerſus ea exhiberi poteſt, at, cauenda eſt ſumma doſis, quia ob mediocrem vim agendi noceret vitæ, licet fortius ſumma doſis ageret in venenũ, at tutius eſt debiliter pellere venenum ſine uitæ diſcrimine, quam ualide expugnare uenena, ſed cũ periculo uitæ.

Alia forma diſſimilis reperitur, quæ nullam uim, quæ cognoſcatur, habet aduerſus uenena, & hæc non ſolum penitus inutilis eſt in uiuente, uerum ob mediocrem uim agendi magnum detrimentum affert, non tamen eſt uenenum, cũ non ſit ſummæ actiuitatis nec confertim interimens, tale eſt excrementũ gallicum, & elephãtiacũ, & alia huiuſmodi, ſi quæ ſunt, quæ licet nõ noceãt ueneni inſtar cõfertim interimendo, tamen uires corporis ita labefactãt, ut patientes in proprijs actionib. imbecilles, ac morboſi perſiſtãt.

*Omne uenenum eſt ſubſtantia non qualitas.*

His ita conſtitutis patet manifeſte errare illos, qui dicunt dari uenenũ, quod non ſit ſubſtãtia, ſed qualitas ſimplex, nulla.n. qualitas reperitur, quæ alicuius ſuppoſiti qualitas, & inſtrumentum alicuius formæ dantis eſſe cõpoſito nõ ſit, igitur qualitas nunquã ex ſe operabiturr, ſed ſemper erit inſtrumentũ ſuperioris agentis, tale erit forma, ut agẽs principale, cõpoſitũ uero ut adæquatum.

Non igitur ſimplici qualitati poterit prima ratio agendi cõpetere, ideo uenenũ baſiliſci, qui ſolo intuitu homines perdit, corrũpit aerem, atque ita aer corruptus, ac per formam ueneni cõſtitutus in genere miſtorũ veneficorũ, ſeu ſubſtantia uenefica effectus

in-

interficit viuentes, ſiue corrumpatur per ſubſtantialem tranſmutationem, ſiue per admiſtionem corpuſculorum minimorum, quæ a baſiliſci oculis defluant.

Nec diſſimili modo alexiteriá ſeruant homines ab interitu venenorum, ac venena necent, quia ſi venenum necat, quia calidũ, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum, alexiterium auferẽdo exceſſum qualitatis interficientis, & ſeruando ſymmetriam, ac commoderationem temperamenti ſeruat vitam. *Alexiteriorum operandi modus.*

Si vero venenum necet, quia propriam formã ſimili alteratione in viuente introducat, tunc alexiteriũ per formam propriã, quę & maioris actiuitatis exiſtit agens in formam veneni mediantib. diſpoſitionibus proprijs momento illã deſtruit, ac formam viuentis non deſtruit, licet ei diſſimilis ſit, quia reſpectu illius alexiteriũ eſt mediocris actiuitatis, ideo alexiteriũ valide agit in venenum, in virtutẽ aũt mediocriter, nec interficere poteſt niſi in ſumma doſi.

Si vero alexiteriũ ſimilitudinẽ cũ calore & ſpiritib. ſeruet, tunc poſt veneni deſtructionem roborat ſpiritus & calorẽ innatũ, eoſq; ſimile, & amica alteratione, qua veneno aduerſabatur, afficit.

Ad quod reſpiciens Auicen.lib.2.can.tract.2.c.4.dixit bezoar eſt remedium, quod pro ſua proprietate conſeruat ſanitatem, & virtutem in ſpiritu vt veneni noxam a ſe repellat, & de med.cord. tract.2.c.1.ait medicina autem theriacalis & liberãs a veneno eſt illa, quę complexionem ſpiritus ab impreſſione veneni reducit ad naturalitatem, & ab ipſo præſeruat eam cum ſua proprietate, vbi per proprietatem intelligit vitalem virtutem, vt viuificantẽ totũ animalis corpus, vt vice verſa venenum habet vim corruptricem animalis, vtraque eſt virtus dependens a forma miſti.

Idem clarius ibidem c.2.confirmat dicens, & fortaſſe in theriacalibus neceſſaria eſt caliditas vehemens multis de cauſis, quæ ſunt vt ſit ſpiritus fortis motus, & vehementis extenſionis, vel ſparſionis, vt obuiet veneno ex longinquo præcipue cum theriacali proprietate, vel contrarietate, quæ reſiſtit veneno impugnando & expellendo ipſum, antequam cor attingat, & vt ſit fortis ad corrumpendum, & comburendum venenũ in modico tempore.

Ideo non eſt amplius inficiandum, quin aliqua alexiteria agant aduerſus venena, imo tunc in tantum ſpiritus innatus cordis venena expellit, in quantum alteratus a bezoartico per vim *Alexiterium agit in venenũ.*

bezoarticam maioris actiuitatis aduerſatur veneno. quod etiam Gal. 6. in 6. de morb. vulg. t. 5. & 5. de ſimpl. med. facult. cap. 18. expreſſit.

Sed clarius adhuc 1. de ſem. cap. 16. dum dixit, nec ſecus fit curatio, quæ per venenorum remedia, & antidota adhibetur, quę alexipharmaca nuncupant, quæ contraria lethalibus alteratione totum etiam corpus immutant, ſi. n. totum corpus immutant contraria lethalibus alteratione, ergo agunt in venenum, quod totũ corpus ſimili veneno alteratione affecerat.

Et hinc fit, ꝙ non quodlibet bezoarticum indifferẽter, & ęquè quodcunque venenum pellit, ſed theriaca, & ſcorzonera magis pugnat aduerſus venenum viperæ, quam Indi ſcorzonẽ vocant, alia magis phalangijs, alia magis ſcorpionibus, vt Gal. ait 1. de antid. cap. 1.

*Auerr. lapſus.* Ideo male ſentit Auerr. dum lib. collect. c. 3. ſtatuit venenũ per accidens curari a medicamẽto bezoartico, cũ bezoarticũ primo & per ſe agere in venenum poſſit ratione maioris, & occultæ contrarietatis, agit ẽt aduerſus ſpiritus vitales, at non per ſummam actiuitatem, aliter noceret vitę, ideo non ſemper pari alteratione agit in venenum, & in ſpiritus, quia ſicut deſtruit venenũ, ita non minus deſtrueret virtutẽ, verum agit in venenum, aut per vim ſummæ actiuitatis, aut per mediocrem, in ſpiritus vero ſemper per mediocrem, aut per minimam, & hinc fit quod tunc pellit venenum, nec officit virtuti.

Sic itaque bezoarticum primo mediante virtute manifeſta, qua præditum eſt alterat, & afficit ſpiritus, qui poſtea ſecundo bezoartici effecti ob nouam mixti formam acquiſitam, & occulta virtute affecti, & contrarij (vt videtur, cum reuera tãtum diuerſi) veneno redditi per vim maioris actiuitatis, quam ſit in veneno, venenum interimunt, ac veneno venenum fiunt.

*Conditiones alexiterij diſſimilis.* Ideo alexiterium diſſimile debet perpetuo habere tres conditiones, prima eſt quod comparatum ad corpus humanum ſit minoris actiuitatis, quam ſit venenum, alias non minus extingueret venenum, quam corpus humanum ſanandum.

Secunda eſt quod comparatum ad venenum ſit maioris actiuitatis, quam ſit venenum, aliter venenum extinguere non poſſet.

Tertia conditio, quæ in diſſimili alexiterio requiritur, eſt quod exhi-

exhibeatur in mediocri doſi,quam ſi forte excederet, eſſetq; ſummæ actiuitatis, vitæ noceret. *Conditiones alexiterij ſimilis.*

Simili vero alexiterio duæ priores ſufficiunt, nam non ſolum comparatum ad corpus humanum debet eſſe minoris actiuitatis, quam ſit venenum,verum etiam nullius, quam.n. actionem a tota ſubſtantia corruptricem infert in corpus humanũ hiacynthus, aurum,argentum,ſemẽ citri,terra ſigillata,margaritæ,& ſimilia? nullam profecto, ſed tantum perfectionem.

Secũda eſt,quod ſit ſaltem mediocris actiuitatis in venenum, vt ipſum expugnare poſſit,quæ vero cum diſſimilia ſint mediocrẽ actiuitatem habent in virtutem,illa ſunt,quæ magna cũ animaduerſione propinari debent,vt caro viperę,ſcorpij,doronicũ,argentum viuum,cantharides, euphorbium, theriaca, & reliqua iſtius ordinis,quæ ſunt,(vt ego puto) illa alexiteria, quæ tempore ſanitatis reiecit Auerr.

Similiter ad hoc idem reſpiciens Gal.6.in 6.de morb.vulg.t.5. & 5.de ſimpl.med.facult. c.18. poſuit alexiteria non omnia, ſed propemodum omnia, innuens quæ ſummæ ſunt actiuitatis mediam quandam naturam habere inter corpus humanum,& venenum,vt quam proportionem habet alexiterium ad venenum,eãdem habere ad corpus humanum,& e conuerſo.

## *QVOMODO QVAE PER OS ASSVMVNTVR, referantur ad corpus penes actionem,& paſſionem. Caput Quadrageſimum Octauum.*

POſſumus igitur aſſerere,quod quæ per os aſſumuntur alia patiuntur,alia agunt,alia neq; patiũtur, neque agunt, priora patiuntur a calore naturali, quia minime ſunt actiuitatis,& ſunt in duplici differentia,nam alia ſunt ſimilia, quæ prompte vertuntur in ſubſtantiã aliti, & alimenta vocantur vt 1. de element. c.7.ait Gal.alia ſunt diſſimilia, quæ cum non poſſint verti in ſubſtantiã aliti victa expellũtur extra corpus, & ſunt oĩa excremẽta. *Quæ patiũtur.*

Vtrumque genus tam ſimilium,quã diſſimiliũ habet magnam latitudinem,& quo ad ſimilitudinem,& quo ad paſſionem,nã car *Similium & diſſimilium latitudo.*

nes,& oua magis,quã piſces,& hi magis, quã herbæ humanæ naturæ ſimiles ſunt,ac magis patiuntur,& eorum,quæ minus patiũtur,alia magis,alia minus humanum corpus alterant,ideo lactucã nutrit quidem corpus augendo ſubſtantiã caloris innati, at ſimul agẽdo in corpus refrigerat,ac magis,quã hordeum, & quo magis in actiuis qualitatibus alimentum excedit,eo magis corpus,quod ex eo alitur, immutatur, ac magis a natura veri alimenti recedit.

*Verũ alimentum quid ſit.* Illud enim vere alimentũ eſt,quod corpus,quod alit, nullo pacto immutat,aut alterat,ideo Gal. 1.de aliment.fac. c. 1. ait ſunt aũt ſane pauciſſima id genus edulia,quotquot vero ea fuerint,alimenti duntaxat rationem plane habent, corpus eius, qui ſumpſit in qualitate non immutantia,& hæc de his,quæ patiuntur.

*Quæ agãt.* Quæ verò agunt,alia agunt in naturam, alia in ea, quæ præter naturam ſunt,quæ agunt in naturam, alia ſunt ſummæ, alia mediocris,alia minimæ actiuitatis, eorum quæ ſunt ſummæ actiuitatis,alia agunt manifeſtis qualitatibus,vt calida in ſummo,tale eſt euphorbium,vel frigida in ſũmo,vt meconium, & hæc vehementer corpus alterant,ac interimunt vt venena,alia agũt a tota ſubſtantia,& hæc longe magis corpus alterando longe deteriora venena ſunt,& deleteria vocantur,vt excrementum viperæ, ſcorpij, aſpidis,phalangiorum,& ſimilium.

Eorum vero,quæ agendo in naturam ſunt mediocris actiuitatis,alia ſimiliter agunt manifeſtis qualitatibus, vt calida, & frigida in ſecundo gradu,vel prope, alia agunt a tota ſubſtantia, & vt cor confortant alexiteria vocantur, quorum alia ſunt ſimilia, & ſunt,quæ cor,& ſpiritus eius vario modo confortant, vt infra apparebit,vt lapis bezoar,hiacynthus,ſmaragdus,& lapilli oẽs precioſi,margaritæ, item ſemẽ citri,cinnamomum,muſcus,olibanũ, ſtœchas,terra ſigillata,ſcorzonera, & ſimilia, quæ præter actionẽ per primas qualitates illatam confortant cor a tota forma, & per vim mediocris actiuitatis liberant à venenis.

Alia ſunt diſſimilia,quorum alia ſunt euacuãtia,vt omnia medicamenta purgantia, alia alterantia,vt excrementum gallicum, elephantiacum,caro viperæ,ſcorpij,cantharides,doronicum vſuale,argentum viuum, & alia propemodum innumera, quæ cũ ſint mediocris actiuitatis non nocent vitæ niſi in ſumma doſi exhibeantur, imò in mediocri doſi corpori humano maximam interdũ vtilita-

ſitatem,(vt paulo infra apparebit) præſtant, cum plurima eorum ſint aduerſus venena alexiteria.

Vtrãque ſpeciem alexiteriorum, ſimilium nempe,& diſſimiliũ complexus eſt Gal.5.de ſimpl.med.fac.c.18.dum dixit,alexiteria propemodum omnia ſi largius ſumpta fuerint, grauiter animãtis corpus oblędunt,& dixit propemodum omnia,vt diſtingueret ſimilia a diſſimilib. & hęc de his,q̃ agũt in ea,quę p̃ter naturã ſunt.

Quæ vero agunt in naturam,& ſunt minimæ actiuitatis,ſimiliter alia agũt manifeſtis qualitatibus, & hæc omnia fere alimenta ſunt,quæ a calore naturali magis patiuntur, quam agũt, vt ſupra dictum eſt. Alia agunt a tota forma,& hæc non poſſunt actionem producere niſi agens vtatur inſtrumẽto aliquo, qđ ſummæ ſit actiuitatis, ideo ignis,qui habet formam elementarẽ,& eã minimę actiuitatis,non generat ignẽ,niſi per calorẽ in quarto gradu auctũ.

Quæ vero agunt in ea, quæ præter naturam ſunt,vt in humoribus præternaturalibus,alia agunt manifeſtis qualitatibus non diuerſimode,atque agant in naturam,vt ſupra dictum eſt,modo calefaciendo,modo frigefaciendo,attenuando,incraſſando.

Alia agunt a tota ſubſtantia, quæ ſiue ſint ſemper ſummæ actiuitatis in venenum ſiue non,relata in naturam ſunt in duplici differentia,alia. n. agunt in naturam per vim ſummæ actiuitatis, & ſic ob ſummam agendi vim ſemper interficiunt, ac ſemper deleteria ſunt,& ideo dato quod habeant ſummã vim aduerſus aliqua venena,tamen ab vſu prorſus reijciuntur,ob eorum vim dileteriã & mortiferam, quid enim homini prodeſſet pellere vnũ venenũ, ac ſimul aliud non minus mortiferum introducere?

Alia agunt in naturã per vim mediocris actiuitatis, & hæc sũt illa alexiteria ſuperius relata,quæ vt mediocriter actiua agunt in naturam,nec nocẽt vitæ,niſi in ſumma doſi exhibeantur, interim ob ſummam vim,& magis actiuam, quam ſit in veneno, venenũ interimunt,vt eod.5.de ſimpl.med.fac.c.18 habetur, idem colligitur 6.in 6.de morb.vulg.text.5. talia ſunt caro viperæ, ſcorpij, & ſimilium,idem theriaca & mithridatiũ operantur,iſtius ordinis eſt etiam crocus,qui in nimia doſi interficit,in mediocri autẽ venena pellit,item doronicum vſuale,quod eſt ſpecies quædam aconiti,inter ea,quæ venena pellunt,connumeratur.

Hanc eandem ſpeciem æmulatur argentum viuum,quod licet

largius

largius ſumptum necet, tamen moderate ſumptum pellit morbũ Gallicum, itẽ nihil magis vermes interficit,& toxicũ(vt eſt apud auſoniũ poetã)extinguit,& cantharides morſibus rabidicanis, & euphorbium ſcorpionum vſibus, ſed magis caro ſcorpionis proprijs ictibus remedio eſt, item alia propemodum infinita repe-riuntur,quæ cum ſint moderatæ actionis in virtutem,ſummæ vero,aut mediocris in venenum aduerſus venena exhibentur,ſed in moderata doſi, alias ſi moderatam exceſſerint interficiunt, non ſecus ac ſumme deleteria.

*Quæ neq; agant, neque patiãtur.* Quæ vero neque patiuntur, a calore naturali, neque agunt in illum,ſunt ea, quæ & diſſimilia ſunt, & nullius, aut minimæ ſunt actiuitatis, nam quatenus diſſimilia ſunt,& actu & potentia, pati non poſſunt,quatenus vero ſunt nullius actiuitatis, neque etiam agere poſſunt, & hæc ſunt,exempli gratia,pili, & lapides, & alia huiuſmodi,hinc eſt quod ſiue pili, ſiue, quod frequenter contingit,acini vuarum deglutiantur, integri ac penitus immutati vnà cum fæcibus egeruntur,nec vllam corpori vim inferunt.

Nec ſane aliquis videns ſummam aliquam, vel acinorum, vel lapillorum congeriem ingeſtam, negotium ventriculo faceſſere, aut anxietatem,ſyncopen, & ſuffocationem inducere, hæc vt incerta reijciat, niſi prius maleficij rationem accurate contempletur,atque cognoſcat,hæc non vt lapillus,vel vt acinus eſt lædere, ſed vt nimia moles rei præternaturalis, cum etiam probi alicuius alimenti nimia quantitas excedens hæc eadem præſtare poſſit.

*Qualitas occulta ubi reperiatur.* Ex prædictis colligo qualitatem occultam reperiri in quolibet ſuppoſito, quod poſſit generare ſimile ſibi ſecundum ſubſtãtiam, quia vt caliditas, dum producit calorem dicitur agere manifeſta qualitate,ita dũ ignis producit ignẽ per vim propriæ formæ adiuuante calore,vt eius inſtrumento,dicitur agere occulta qualitate.

*Quartũ genus morborum neceſſario datur.* Colligo ſecũdo rationem,quare cogimur neceſſario dare quartum genus morborum,nempe a tota ſubſtantia, ſeu a tota forma, & ratio eſt, quia licet forma requirat in mixto præcedentem diſpoſitionem, ſine qua nec introduci, nec in ſubiecto conſeruari, nec extra ſe actionem producere poſſit,tamen illa diſpoſitio,quæ alioquin ex ſe poteſt eſſe principium alicuius operationis, nõ poteſt eſſe principium alterationis, ſeu actionis a tota forma, quia actio a tota forma eſt ſupra gradum cuiuslibet accidentis: ideo

alte-

alteratio in corpore viuẽte facta qualitati illi, aut morbo in complexione adſcribi non poteſt, ſed tantum formæ dirigenti qualitatem, vt eius inſtrumentum.

Nec valet dum dicitur, ſi venenum debet interficere, neceſſe eſt, quod primo alteret corpus ad calidum, frigidum, humidũ, vel ſiccum, quia alteratio illa interdum non eſt morbus dum venenum eſt ſummæ actiuitatis, ac agit per minimum gradum ſui inſtrumenti. *Inanis euaſio quorundam.*

Et ſi interdum eſt morbus, vt contingit dum venenum agens a tota ſubſtantia, agit etiam manifeſtis qualitatibus, vt arſenicũ, & alia, quæ calida ſunt in quarto, dico quod tunc adſunt duo morborum genera, tum quod manifeſtis fit qualitatibus, tum quod a tota fit ſubſtantia, quę diſtinguenda ſunt vt natura, & eſſentia diſtincta ſunt, ideo illa alteratio non eſt ille morbus, de quo loquimur, qui a tota ſubſtantia vocatur, quia quod conſtituit morbũ in propria ſpecie, eſt eius eſſentia, at hæc eſſentia non conſiſtit in alteratione penes primas qualitates.

Morbus igitur a tota forma vocandus erit non in complexione, cum qua nullo pacto confundendus eſt.

Præterea quod ſit concedendum quartum genus morborum confirmatur per modum curationis, quia hic morbus nõ curatur, calido, frigido, humido, aut ſicco, ſed per ea, quæ a tota forma aduerſantur, vt experientia docet in curatione venenorum, morbi gallici, elephantiaſis, & ſimilium. *Confirmatio quarti generis morborũ.*

Neque propterea accuſandus eſt Gal. qui tria tantum morborum genera cõſtituerit, quia ipſe, vt primo meth. cap.4. & 3. eiuſdem, cap. primo, & quarto eiuſdem cap. tertio, & alibi, vbi ternarium numerum morborum ſtatuit, ſe declarat, locutus eſt de inuentione remediorum, quæ per indicationem hac methodo explorat, at alibi ſatis manifeſtauit, ſe aliam inuentionem cognouiſſe, quæ ſoli experientiæ innititur, quæque morbis a tota ſubſtantia ſubortis congruit, vt 6. in 6. de morb. vulg. t.5. 3. meth. cap. primo, & 13. meth. cap.6. ac alibi ſatis demonſtrauit. *Defenſio Galeni de quarto genere morborum.*

DE

## *LIPOTHYMIÆ, ET SYNCOPES cauſæ remotæ. Caput Quadrageſimum nonum.*

CAVSAE remotæ lipothymiæ, & ſyncopes ſatis ſuperq; patent, tum ex his, quæ in ſuperiori capite, vbi multa de illis facta mentio eſt, habētur, tum etiam ex his, quæ copioſe ſuperiori libro, vbi de cauſis remotis palpitationis egimus, pertractata fuerunt, eædem enim vtriuſque affectus cauſæ, ſola differentia maioris, vel minoris exceſſus, eſſe poſſunt. Quare ad eiuſdem differentias hinc tranſeamus.

## *DIFFERENTIAE LIPOTHYMIAE, & Syncopes, quæ ſint. Caput Quinquageſimum.*

*Differētia a forma.* DIFFERENTIAE lipothymię, & ſyncopes, ab inuicem deſumuntur à forma, quæ eſt repentinus caſus plurium virtutum, ideo ſi caſus non ſit cum deperditione ſenſus, & motus, ſed tantum cum virium vitaliam languore, & ſenſus, & motus imbecillitate tantum, dicitur lipothymia, & eſt imminutus quidam virtutis vitalis, & animalis caſus.

Si vero maior virium vitalium iactura, & calamitas accedat, ac vnà ſenſus, & motus deperditio, dicitur ſyncope.

*Differētia ab accidēte.* Ab accidente ſumuntur differentiæ ſyncopes, quia alia eſt confirmata, vt ait Auicen. & alia non confirmata, dicitur autem confirmata, dum ita caſus virtutum progreditur, vt amplius non ſit ſpes ſalutis, in quo color faciei ad viriditatem conuertitur.

*Differētiæ cōes lipothymiæ, et ſyncopes.* Præterea communes differentiæ lipothymiæ, & ſyncopes deſumuntur a cauſa efficiente, quia alia artinet ad ſubſtātiam, alia ad accidens, & illius, quæ ad ſubſtantiam attinet, alia eſt poſitiua, & alia priuatiua, ſimiliter vtriuſque deſumuntur differentię à loco, quia alia eſt in corde, alia extra cor, & ſi eſt in corde, alia eſt in ſubſtantia cordis, alia in eius ventriculis, ſi eſt extra cor, alia eſt in venis, alia extra venas, & illius alia eſt in aliqua parte impacta, alia non eſt impacta, & vbicumque fuerit deſumuntur differentię

a ſpe-

à ſpecie materiæ, quia alia eſt humoroſa, alia vaporoſa, & vtriuſque alia eſt integra, alia putrida, ſi integra, alia alimentalis, alia excrementia, & vtraque, vel parum recidit a naturali, vel multū, ſi putrida, alia leuiter putreſcit, alia plurimum, ita vt veneni naturam imitetur.

Si cauſa attinet ad ſubſtantiam priuatiuam, deſumuntur differentiæ ab his, quæ illi accidunt, quia alia non generatur, alia poſtquam genita eſt deperditur; Si non generetur, alia vitio agentis, alia vitio materiæ, alia vitio viarum contingit; Si accidat vitio agentis, aliud agens eſt impeditum, aliud labefactatum; Si accidat vitio materiæ, alia eſt materia propinqua, alia remota, & vtriuſque alia eſt imminuta, alia corrupta. Si accidit vitio viarum, aliæ attinent ad venas, aliæ ad arterias. Si ad venas, aliæ anguſtantur per conſtipationem, aliæ per obſtructionem. Si attinet ad arterias, aliæ anguſtantur, per conſtipationem, aliæ per obſtructionem, aliæ per compreſſionem.

*Cauſæ attinentes ad ſubſtantiā priuatiuā.*
*Vitio agētis.*
*Vitio materiæ.*
*Vitio viarum.*

Si vero ſubſtantia deperdatur, alia ſimiliter eſt materia propinqua, alia remota, & vtraque vel deperditur a cauſa externa, vel ab interna. Si materia propinqua deperdatur, deſumuntur differentiæ a modo deperditionis, quia alius eſt ſenſibiliter, & alius inſenſibiliter factus, ſi ſenſibiliter, cum nihil aliud ſit quam ſanguis, ideo alius deperditur per anaſtomoſim, alius per diapedeſim, alius per diæreſim.

Si differentiæ deſumptæ à cauſa efficiente attineant ad accidens, tunc ſyncope alia pendet ab accidente reali, & alia a ſpirituali, ſi accidens eſt reale, vel eſt qualitas manifeſta, vel occulta, ſi eſt qualitas manifeſta, alia eſt prima, alia ſecunda, primarum, alia ſimplex, alia compoſita, ſi ſecunda, alia attinet ad corpus, alia ad animam.

*Cauſæ attinentes ad accidens.*

Si qualitas attinet ad accidens ſpirituale, aliud producit quid poſitiuum, aliud quid priuatiuum, & ſi priuatiuum, aliud ſimiliter attinet ad animam, aliud ad corpus, & cætera quæ ex ſe nota ſunt.

## *LIPOTHYMIAE, ET SYNCOPES ſigna traduntur. Caput Quinquageſimum primum.*

COGNOSCITVR autem lipothymia, quæ eſt animæ defectio nullo modo ſecundum eſſentiam differens ab eclisi, niſi ſecũdum magis & minus, ideo Aetius lib. 5. vtramque pro eadem aſſumpſit, vt eclisis ſit leuis quædam lipothymia, quemadmodum lipothymia eſt leuis quædam ſyncope, ac vti principiũ eius, quæ incipit cum pallore faciei, cum refrigeratione extremarum partium, cum pulſu remiſſo, non tamen ablato, nec patientes ſenſibus, & locutione penitus priuantur, ſed vident, audiunt, & loquuntur, in quo ſtatu dicuntur eſſe in ſyncope incipiẽte, vt primo ad Glauc. teſtatur Galen. dicens quamlibet lipothymiam eſſe viam ad ſyncopen, ſi igitur lipothymia ob cauſæ perſeuerantiam progrediatur in ſyncopen ipſam migrat: accidit tamen ſæpè vt lipothymia antequam ſyncopẽ attingat, emoriatur, vt etiam interdum contingit, quod non ſolum in ſyncopẽ migrat, ſed quod deterius eſt ſyncope ipſa ſine antecedente lipothymia accedat, quod euenit ob vehementiam cauſæ ſyncopen producentis.

*Eclisis q̃d ſit.*

*Lipothymia quid ſit.*

*Quõ cognoſcatur lipothymia, & ſyncope.*

Diſtinguitur autem ſyncope a lipothymia præcipue in duobus, ad quæ ſi fueris attentus poteris vtramque facillime cognoſcere, primum, quod ſyncope proprie, & perpetuo concomitatur ab his duobus accidentibus, nempe a frigore totius corporis, & a ſudore diaphoretico, quem & ſyncopticum vocant, quod nõ contingit in lipothymia, in qua frigus tantum apparet circa extrema, nec ſudor aduenit.

*Signa futuræ ſyncopes.*

Sed animaduertendum eſt, quod frigus totius corporis, & ſudor prædictus circa faciem, & potiſſimum circa frontem, & tempora, & collum & pectus, nunciat ſyncopen, ſi circa has partes calidus appareat, at ſi frigidus ſit, tunc non futuram, ſed iam præſentem oſtendit, vt Galen. 1. Prognoſt. t. 16. ait, & hi deſtituuntur ſenſibus omnibus, vt nec audiant, nec videant, multo minus loqui poſſint, pulſusque non ſolum apparet paruus, & debilis, quæ duo nunquam a ſyncope ſeparantur, ſed etiam tardus, & rarus, & procedente ſyncope ita deficit vt omnino inſenſibilis euadat,

*Signa præſentis ſyncopes.*

& fa-

& facies mortis imaginem repræſentet, & licet lipothymia,& ſincope conueniant in defectione ſenſus & motus, & pulſationis, non tamen vtrique æqualiter contingit,cũ in lipothymia hic omnia imminuantur ſolum,in ſyncope autem auferantur, quantum ad ſenſum attinet,quia in hac ita vires labuntur, vt calor innatus pene extinguatur, ac corpus veluti eneruatum iaceat, quod in lipothymia non contingit, ideo laborantes munere ſenſuum ex parte ſaltem fruuntur.

Verum tum in apoplexia, quæ eſt cerebri, & totius viuentis ablata operatio animalis,patientes concidant, non videant, non audiant,non loquantur, ſed omni prorſus motu repente priuentur,vt in ſyncope cõtingit, ideo cognoſcenda eſt differentia eius a ſyncope. *Differentia ſyncopes ab apoplexia.*

Differt igitur ſyncope ab apoplexia;quia in ſyncope deperditur color faciei floridus,& pulſus plane ablatus videtur, quod nõ contingit in apoplexia,in qua patientes naturaliter colorati videntur,& pulſus ſimiliter non multum a naturali recedit, ac quaſi dormire videntur,& ſtertunt, & reſpiratio difficilis euadit.

At in ſyncope reſpiratio vix ſenſibilis eſt,& in mulieribus hyſtericis,quæ ſyncopen patiuntur, multa coguntur experiri Medici,vt,an patientes reſpirent,cognoſcere valeant.

Præterea ægrotantes in apoplexia non recordantur corũ, quæ caſui cõtigerunt, quoniam cum ſit ablata animalis operatio vniuerſa,ideo apoplexia incipit cum ablatione ſenſuum, tum externorum, tum internorum, ideo nulla poteſt memoria affectus remanere.

In ſyncope autem recipit affectus, caſus ſcilicet uirium, cum memoria illæſa,& proſequitur, licet memoria,& ſenſus omnes in ipſo affectu tandem aboleantur,conſequitur enim ſyncopen abolitio omnium ſenſuum, vt ſupra dictum eſt: ideo ægrotantes ſaltem recordantur eorum,quæ in lipothymia, ante abſolutam memoriæ,& ſenſuum deperditionem contigerunt.

Præterea in ſyncope ſudor apparet circa caput, collum, & ceruicem frigidus erumpens,vt Gal.ait primo Prognoſt.t.26.& Aetius lib.5.cap.101.& frigidus qui deterior eſt,non futuram, ſed iam præſentem ſyncopen oſtendit.

In lipothymia autem nullus ſudor apparet,ideo lipothymia,& ſynco- *Præſentis ſyncopes ſigna.*

ſyncope differunt ab inuicem, non quidem quod vterque non ſit repentinus caſus, cum ſatis ſupra oſtenſum ſit vtrumque in caſu virium repentino conſiſtere.

Sed differunt, quod animi deliquium ſit veluti inchoata quædam ſyncope, & imminutus quidam virium caſus; præterea differunt, quia ægrotantes in lipothymia non ſudant, in ſyncope autem ſudant ſudore, quem ideo ſyncopticum vocant, quia in ſyncope contingit, & circa caput, collum, & ceruicem effloreſcit.

Ergo optime Aetius, & eius ſectatores diſtinguunt lipothymiã a ſyncope, addendo quod in lipothymia ægrotantes derepente non concidant, cum in animi deliquio, licet ſit repentinus caſus virtutis vitalis, nequaquam ægrotantes repente cadant in terrã, vt accidit in ſyncope.

*Obiectio.* Sed dictum eſt Galeni authoritate in ſyncope ægrotantes omnino ſudare, quod etiam confirmauit Aetius; modo hoc aduerſatur illi, quod idem Galen. ſecundo de præſag. ex pulſ. cap. quarto ſcribit, dicens, quod aliquibus ſimul prorumpit ſudor, aliquibus autem non.

*Solutio.* Tollitur apparens contradictio, quia Galen. ſecundo de præſag. dum negat prorumpere ſudorem, non loquitur de ſyncope, ſed de morte repentina, ſudor igitur in ſyncope, niſi mors ægrum præueniat, ſemper accidit, vt 7. in 6. de morb. vulg. t. 5. ait, nunquam autem in lipothymia.

*Cauſa ſudoris ĩ ſyncope, quæ ſit.* Accidit autem in ſyncope, quia cum ſyncope ſit deterior virium prolapſus, ideo calor circa partes corporis extimas ob defectum eius in ipſo fonte, ita deficit, vt vnà cum euaporatione exhalet, cum enim alicuius corpus per halitum digeri, ac euaporari debeat, tunc natiuus calor, qui ſubmouere euaporationem cupit, ad faciem celeriter currit.

Sed ſi vinci ſe ſinat, eum vapor per ſuperiores partes euacuat, atque ita ſudor circa caput, collum, & ceruicem efficitur.

Quare humiditas illa, quæ ſub ſudoris ſpecie effunditur, modo eſt excrementitia in ipſa primæ carnis generatione collecta, vt Gal. ait 3. meth. cap. 3. modo eſt portio alimentalis, ac ipſa ſpiritus influxi ſubſtantia, vt in 6. de morb. vulg. t. 5. ait, ſæpiſſime eſt vtraque inſimul, vt ibidem ait, permixta.

*Signa ſyncopes imminentis ex pulſu.* Pręterea ſyncope imminens cognoſcitur e pulſu, quia ſi durus

citra

citra vibrationem ſit,vt Gal.ait, 3.de præſag.cap.2.atque ſumme creber imbecillam facultatem coniunctam multo calori nunciabit,omnino vero hic languidus etiam erit, & ſyncopes oſtentabit periculum a cauſa calida.

## SIGNA CAVSARVM LIPOTHYMIÆ, & ſyncopes. Caput Quinquageſimum ſecundum.

CAVSAE autem lipothymiæ & ſyncopes cognoſcuntur ab his,quæ ſupra dicta ſunt, vbi de ſignis cauſarum palpitationis egimus, quia vt inquit Auic.11.3.t.2.cap.7.ſigna cauſarum ſyncopes ex proportione reſpondent ſignis cauſarum palpitationis, quia palpitatio fortis, & perſeuerans tranſit in lipothymiam,& ſyncopen.

Si igitur ſyncope oriatur ob affectũ calidũ cognoſcitur; quia præceſſit fortis excalefactio totius corporis, aut alicuius partis principis,cũ qua cor cõſentire põt,ſimiliter præceſſit magna reſpiratio,pulſus magnus,celer,& frequens,vt teſtatur Gal.1. de cauſ. pulſ.cap.quinto, niſi facultas fuerit imbecilla, aut inſtrumẽtum durum. *Signa affectus calidi.*

Quia ſi forte quiſpiam aut inedia,aut labore, aut longo morbo ſit cõfectus, vel cui corpus arteriæ motioni inobediẽs factũ fuerit, hic vt ibidẽ ait Gal.nec pulſus magnitudinẽ, nec celeritatẽ habebit, ſed tantũ aderit frequentia, vt contingit dum calido affectui iungitur ſqualor,& ariditas totius corporis cum febre hectica.

Diſtinguitur autem num ſola frequentia adſit propter virium imbecillitatem,aut propter arteriæ duritiem,quia ſi pulſus ſit frequens ob viriũ infirmitatem,tunc vna cum frequentia adeſt languor,& tunc vt Gal.ait,3.de præſag.ex pulſ.cap.2.cum pulſus ſit languidus periculum eſt proximæ ſyncopes. *Signa frequẽtiæ pulſus ob virium imbecillitatẽ et ob arteriæ duritiem.*

Si vero ob arteriæ duritiem ſit frequens, ſine magnitudine & celeritate, cum tali remiſſione nullus languor adeſt, ſed altera ex parte manifeſta durities ex parte inſtrumenti apparet, & pulſus vibratio,vt eod. 3.de præſag cap. 2. ait, Gal.

Si igitur ſyncope oriatur ob affectum calidum morboſum tũc magnitudini,celeritati, & crebritati pulſus præcedenti ſuccedit *Signa affectus cal di morboſi.*

paruitas, tarditas, & frequentia, at dũ prope ſyncopen iam deficit calor frequentia repente in tantam raritatem mutatur, vt pulſus paruus, tardus, & rarus omnino deficere videatur, qui vt plurimũ etiam inſenſibilis euadit.

Et ſi morbus pendeat a cauſa externa, vt ab ira, vigilijs, exercitatione, balneo, hypocauſto, aut medicamento aliquo calefaciente, hæc ex aſtantium, aut ægri relatione facillime innoteſcunt.

Et ſi pendeat a cauſa interna, vel externam aliquã corporis partem obſidet, & hæc ſenſibus ipſis ſubijcitur, ſi vero penitiores corporis partes occupauerit, ſigna petenda ſunt a partis actione læſa, a modo læſionis, ab excretis, vel a doloris proprietate cũ ſitu, & a proprijs accidentibus, vt optime docuit Gal. 1. de loc. affec. c. 5. igitur ſi ſyncope pendeat ab intemperie calida cordis, qualia ſigna conſequantur iam dictum eſt.

*Signa præſentiæ materiæ vaporoſæ.* Si vero calidus cordis affectus ſit cum præſentia materię calefacientis, hæc ſi fuerit vaporoſa, tunc cognoſcitur, quia extra paroxyſmũ in corde nulla erit grauitas, & calor erit vaporoſus, qualis eſſe ſolet in corpore vehementer exercitato, & eleuatur a ſanguine, vt cõtingit in febrib. ephemeris, & ſynocho ſine putredine.

Si vero calidus affectus pendeat a putredine, tunc extra paroxyſmũ aderunt ſigna febris putridæ, & pulſus nullã inæqualitatẽ oſtendit, niſi quæ febrium putridarũ ſolet eſſe comes, & eleuatur a minera humoris putridi, qui ſi ſit bilis flaua, æruginoſa, atra, febris erit intenſiua, & ardens cũ ſiti clamoſa, quam præceſſit ratio victus calefaciens, ætas florens, tẽpus anni feruidũ, habitus totius corporis bilioſus, & aduſtus, vel horum aliquẽ, vel omnia ſimul, quod ſi caliditas ſit remiſſior ſigna etiam remiſſiora erunt.

*Signa materiæ humoroſæ.* Si vero materia fuerit humoroſa, tunc cognoſcitur ex maximo cordis, & totius corporis extra paroxyſmũ incẽdio, & grauitate, & pulſus inæqualitate inſigni, quæ ſi fuerit putrida, aderũt ſigna febris peſtilentis, & pro gradu caloris magis, vel minus interiora vruntur, & exteriora frigent, cum pulſu paruo, tardo, ſed creberrimo & formicante, ſiti clamoſa, nigredine linguæ, præterea ob nimiam virtutis aggrauationem aderit inęqualitas mutila, & decurtata.

*In corde.* At ſi materia ſit in corde impacta, & inflammationem excitet, tunc patientes cum frequenti ſyncope breui moriũtur, nec aliud

cau-

cauſæ ſignum ſupereſt ſpectandum.

At ſi in pulmone flammea indiſpoſitione affecto, & ex calefacto cor plurimum calefiat, præter ſigna communia, quæ cũ cæteris partibus vehementer excalefactis adſunt, qualia ſunt pulſus maximi, celerrimi, & creberrimi, aderit extra paroxyſmum calor ingens in toto corpore, qui tamen maior in toto thoracis ſinu percipitur. *In pulmone.*

Ac affectus reſpirationẽ plane calidam, & magnam ob inſpirati aeris multã eſſentiã reddet, cum maiori ſiti, quæ magis etiam reſpiratione, quam potu ſedabitur, præterea cali dioribus erit fau cibus, & lingua, eaq; ſicciore, quod ſi malum ingraueſcat, inficietur lingua atro colore, quam omnino aſperam habebit.

Si vero vitio ventriculi idem contingat, ſitis magis comeſtione, & potu, quam reſpiratione ſedabitur, & ſi ad os eius ſuperius morbus attineat, præcedet ventriculi morſus, qui ſæpe excitato vomitu ſedatur vnà cum morbo. *In ventriculo.*

Si vero attineat ad eius fundum, cõcoctiones vitiantur, ac excrementa corrupta, bi lioſa, fœtida apparebunt.

Si vero ex ſepto tranſuerſo idem contingit, cognoſcitur ex pulſus duritie, & ex eo, quod præcordia plurimum trahuntur ſurſum; verum ſeptum tranſuerſum vehementer contrahi contingit, vt Galen. ait, ſecundo in Hippoc. lib. de rat. vi. in ac. t. 54. duplici de cauſa, vel ob corporis ſiccitatem, vel ob ipſius ſepti phlegmonem. *In ſepto trãſuerſo.*

Si primum contingat, cognoſcitur, quia tenſio maior conſpicitur in ſepto tranſuerſo, atque hypochondrijs, quam ob phlegmonem contingat, quod ſi ob phlegmonem fiat cognoſcitur ex difficultate ſpirandi, quæ illis eſt inæqualis, & varia, & maxime infeſtante delirio, quod perpetuo accidit, nam aliquando paruum, & frequenter ſpirant, aliquando manifeſte ſpiritum tardant, deinde ſubito quemadmodum gementes reſpirant, vel duplicem ſpiritus tum intromiſſionem, tum extramiſſionem faciunt, fitque reliquo thorace toto.

Idem dicendum eſt de cæteris partibus ad portionem, vt ſi cerebri, aut membranarum eius conſenſu cor incaleſcat, tunc aderit delirium perpetuum cum ſpiritu raro, & magno, & æquali, ac cæa phrenitidis per eſſentiam ſigna conſequuntur.

*In vtero.* Si vero ſyncopes vteri inflammationem conſequatur cognoſcitur ex incendio,& dolore circa loca muliebria,nẽpe circa pubẽ, & imum ventrẽ,& lumbos,& ad tactum, ſeu ad digiti immiſſionẽ in vuluam manifeſtatur calor,durities, & clauſio,præſertim ſi circa eius ceruicem morbus conſtiterit.

Si vero idem fiat vitio iecoris inflammatione correpti ; ſyncopen præcedit dolor in dextro præcordio vnà cum grauitate.

*Signa cauſarum frigidarum.* Cæterum ſi affectus ſyncopen pariens attineat ad frigiditatẽ, cuius cauſa fuerit bulimos,cognoſcitur, quia præceſſit ingens fames , poſtea vnà cum illius abolitione patiẽtes animo delinquũt.

At ſi idem accidat ob venenum genitum a ſemine retento , vt mulieribus hyſtericis contingit, facile cognoſcitur , quia (vt Aetius ait ) accedente exacerbatione affectus conſequitur mentis lànguor, pigritia ad agendum,debilitas crurum, pallor faciei,triſtis appetitus.

Inſtante vero ſtrangulatione conſequitur ſopor grauis,ac profundus , mentis , ac ſenſuum apprehenſio , cum interceptione vocis,pulſus autem parui,ac debiles fiunt , & aliquándo penitus intercipiuntur , quibuſdam autem neque reparatio ſenſibilis permanet.

Aliæ vero alijs actionibus integris manẽtibus magnã reſpirationem ex hac affectione habent , ſi a grumo ſanguinis retento, quæ ſigna conſequantur infra patebit.

*A timore.* Similiter ſi ſyncope a timore ortum duxerit, aut ab aere frigidiſſimo alterati in hunc affectum inciderint, facillime patere poteſt ab ipſamet patientis relatione , quod ipſi aliqua occaſione timore inſigni corrupti fuerint , aut per loca frigidiſſima & niuibus,& glacie obducta ambulauerint , ac inde læſionem ſe percepiſſe fateantur.

*A veneno frigido.* Si vero idem contigerit ob venenũ frigidum aſſumptũ, patet è ſignis veneni,vt exempli gratia,ſi fuerit opium, cognoſcitur è graui eius odore , ſomno profundo , & inexpugnabili , ex pallore totius corporis, ſenſuum ſtupiditate , genarum laxitate , labiorum inflammatione , ſingultu , narium torturis, præcordiorum diuulſionibus,anhelitus difficultatibus, idem de reliquis venenis,propria eorum ſigna conſiderando,ſtatuendum eſt.

*Signa defectus ſpirituum.* Si vero ſyncopes oriatur deficientibus ſpiritibus influentibus

vitio

vitio materiæ alimentalis propinquæ ſenſibiliter imminutæ, cognoſcitur, quia præceſſit ſenſibilis fluor ſanguinis, a naribus ab hæmorrhoidibus, ab vtero in mulieribus, a vulneribus inflictis, vel a venis quomodolibet ſanguinem fundentibus, ſiue per anaſtomoſim, ſiue per diapedeſim, ſiue per diæreſim fluat.

Cauſa autem cognoſcitur per modum fluxionis, quia ſi fluat a venis reſectis præceſſit inſtrumentũ reſcindens, & multus, & confertim egreditur, ſi a venis exeſis, cognoſcitur a vitio, & mordacitate humoris, & cacochymia corporis, ſimiliter cognoſcitur a modo fluxus, quia principio fluxus eſt exiguus, poſtea exeſione ampliore effecta in dies magis fluxus augetur.

Si vero ora venarum ſint aperta, cognoſcitur, quia præceſſit cauſa calefaciens, ac ora venarum dilatans, & aperiens.

Si fluat a tunicis vaſorum rarefactis, ſimiliter præceſſit cauſa calefaciens, & vaſorum tunicas rarefaciens, diſtinguitur tamen a præcedenti, quia fluxus ſanguinis a tunicis vaſorum rarefactis nõ poteſt eſſe multus, ſimiliter vt plurimum fluit, propterea quod ſanguis aquoſior, ac tenuior eſt effectus.

Si vero idem contingat ob ſanguinis euacuationem inſenſibiliter factam, vel illud contingit ob cutis raritatem, vel ob humorum tenuitatem, vel ob vtrumque, quæ cognoſcuntur ex præcedenti labore, aut diuturna mora in balneo, vel in hypocauſto, vel ob præſentiam febris ſyncopalis minutæ, quæ aduenit in ætate, complexione, & regione calida, & ſicca, vt ait Galen. 10. meth. cap. tertio. *Signa defectus ob ſanguinis euacuationem.*

Hæc autem facillime cognoſcitur, quoniã, vt idẽ ait 12. meth. cap. 6. mortifera illa ſpecies in facie celeriter apparet, nẽpe naſus acutus, oculi caui, tẽpora adſtricta, aures frigidæ, & contractæ &c. nam ſiue multum excernant, ſiue vigilent, ſiue triſtentur, ſiue non cito nutriantur, protinus eiuſmodi facies apparet.

Si vero oriatur ſyncope quia ſpiritus influentes deficiãt vitio materiæ alimentalis remotæ imminutæ, cognoſcitur, quia patientes vel iamdiu ſponte ieiunauerint, vel non ſponte, ſed inuiti, & coacti, vt contingit in bulimo, vbi ratione appetitus ablati alimenta defecerunt, vel præceſſit ingens, & maxima cruditas vẽtriculi, qui cum alimentum in optimum chylum non mutat, corpus, & natiuus calor proprio deſtituitur alimento, præterea multa *Signa defectus materiæ alimẽtalis imminutæ.*

gignuntur excrementa crudi, quæ aggrauando calorem inſitum ſtrangulant, ſiue incocta tantum maneant, ſiue corrumpantur.

Cruditas autem manifeſtatur è grauitate circa ventrem percepta, è ructibus iniucundis, & ex prægreſſis cauſis, vt ex intemperie ventriculi, quæ virtutis concoctricis labefactatæ eſſentiam ingreditur, vel ab eius inflammatione, ſcirrho, abſceſſu, quæ coctricem impediunt, vel ex immoderata ciborum, & potuum ingeſtione, vel ex vitioſa ipſorum qualitate, vel ex recrementis, quæ circa ventrem conſiſtunt.

Quæ ſi biliofa fuerint, vnà cum fęcibus biliofa excernuntur, & eructationes, corruptioneſque nidoroſæ, & calidiores apparent.

Si vero fuerint pituitoſa, fęces ſimiliter pituitoſam excretionem oſtendunt, & aciditas ructuum idem confirmat, nam aciditas in frigidioribus, & magis pituitoſis, nidor vero in calidioribus, ac magis bilioſis contingit.

Quæ ſi a iecore, & venis prodeant, indicantur a colore vrinarum, ac multa præterea conijcere poſſumus æſtimando, quanam ratione victus vſus fuerit, vel an ſua natura ſuccum prauum congerat, vel an naturalis, vel præternaturalis aliqua euacuatio ſuppreſſa ſit, vitio cuius patientes cacochymiam congregauerint.

Si vero oriatur ſyncope vitio materiæ propinquæ in toto corruptæ a cauſa interna, tunc aderunt ſigna febris malignæ, & peſtilentis.

Si idem accidat a cauſa externa, aderunt ſigna veneni aſſumpti per os, vel communicati per morſum viperæ, ſcorpij, vel alterius animalis venefici.

*Signa defectus materiæ remotæ.*

Si vero idem accidat ob corruptionem materiæ ex qua remotæ, cum hæc ſit duplex, vel aerea, & ſubtilis, vel chyloſa & craſſa, vt attinet ad aeream, eius corruptio cognoſcitur ex aeris craſſitie, turbulentia, immobilitate, ex numeroſis fuliginibus, ex cometis, & quod facile ea, quæ aeri exponuntur, putredinem contrahant, atque corrumpantur, cuius primum aues participes efficiuntur, inde tranſit ad cætera animalia, & tandem cognoſcitur ex ipſamet peſtilentia, regnante per totam illam regionem, aut per aliquam partem tantum.

Simi-

Similiter patet, ſi idem contingat ob corruptos, & lethales halitus a voraginibus, barathris, fodinis ſubterraneis, lacubus, aut cadaueribus inhumatis, aut feris veneficis ſiue viuis, ſiue defunctis elatos.

Vt vero attinet ad ſubſtantiam chyloſam & craſſam, quæ & chylus vocatur, eius corruptio cognoſcitur ex ructibus nidoroſis, & corruptis, quæ a vẽtriculo exhalãt, quẽadmodũ ſupra dictũ eſt.

Si vero nullum adſit vitium ex parte materiæ tam propinquæ, quam remotæ, verum ſpiritus deficiant, quia non generentur ob virtutis alteratricis vitium, tunc cognoſcitur ob contractam intemperiem cordis, ſiue calida ſit, ſiue frigida, ſiue humida, ſiue ſicca, ſiue ex his complexa, ſed præcipue frigida & ſicca, cordis intemperies generationi ſpirituum aduerſatur.

At hæc intemperies facillime ex pulſibus manifeſtatur, vt non ſit opus recenſere quales pulſus vnaquæque ſibi proprios habeat, præterea adſunt ſigna cacochymiæ, cachexiæ, cum pallore faciei, & tabe totius corporis.

Si vero deficiant ſpiritus influentes obſtructis vijs deferẽtibus materias pro eorum generatione, tunc cauſa poteſt eſſe materia reſidens, vel in venis, vel extra venas, ſiue ſit in aliqua parte impacta, ſiue non, vt ſanguis, vel pituita liquida, craſſa, & lenta, quę quomodo cognoſci poſſit, ſupra lib. 2. vbi de ſignis cauſarum palpitationis, ſatis dictum eſt. *Signa viarũ obſtructarum.*

Præterea hæ magis ſyncopẽ producunt per viam ſuffocationis, quam per viam priuationis materierum, ex quibus ſpiritus generantur, quæ ad modum reſolutionis reducitur.

Quia ſi obſtruantur ſemitæ, per quas materiæ pertranſeunt, ad promptuarium ſpirituum, prius calor inſitus cordis læditur pondere, & mole præternaturali, deinde detrimentum patitur ob priuationem refrigerationis, euentationis, & expurgationis, quam patitur ob priuationem materierum, ex quibus ſpiritus cõficiun tur, hinc oritur caloris ſuffocatio, igitur ad cauſas ſuffocantes defectus reducendus eſt.

Si vero ſyncopis oriatur ob defectum ſpirituum deperditorum, tunc facile cognoſcitur ex præcedenti quacũque immodica euacuatione materiæ, ſiue alimentalis, ſiue excrementitiæ, ſiue naturalis, ſiue præter naturam. *Signa deperditionis ſpirituum.*

Ideo cognoſcitur ex fluxu ſanguinis a quacunque parte, & quomodocunque fluxerit, vt ſupra dictum eſt, quam euacuationem ſpiritus iam geniti conſequentes deperduntur.

Idē chognoſcitur ex cholera, diarhea, liēteria, diſſenteria, ex diabetica paſſione, ex ſuperfluo ſudore, ex puris eductione per ſectionem alicuius vomicæ, ſiue internæ, ſiue externæ, ex eductione aquæ hydropicorum ſecto abdomine.

Idem cognoſcitur, ſi contingat ob nimium gaudium, vel ob intenſum dolorem, & præcipue ſtomachi, aut alterius partis valde ſenſibilis, quæ omnia ex ipſa ægroti, aut aſtantium relatione facile patere poſſunt.

*Signa ſuffocationis caloris a materia humoroſa.*

Si vero calor inſitus cordis ſuffocetur à copia materiæ, cognoſcitur, quia extra paroxyſmum pulſus arteriarum inæqualis nunc languidus, nunc vehemens eſt, nunc magnus, nunc paruus, nunc celer, nunc tardus, nunc creber, nunc rarus efficitur, quod pro ratione oppoſitionis numero vincentis, vel magis, vel minus facultas etiam grauatur, vt Gal. ait 4. de præſag. cap. 12.

*Signa a ſāguine ī venis exiſtente.*

Et ſi grauetur a materia in venis exiſtente, tunc cognoſcitur, quia ſi fuerit ſanguis, adſunt ſigna euchymiæ, & boni habitus, præterea ad ſunt ſigna morbi plethorici, vt ait Gal. 4. de præſag. ex pulſ. cap. 2. & color faciei extra paroxyſmum erit rubicundus, vt in Hipp. lib. 4. de rat. vict. in acu. t. 26. ſcribitur.

Similiter præceſſit ratio victus benigni ſanguinis ferax, vt ociū, temulentia, vel aliqua cōſueta ſanguinis euacuatio ſuppreſſa eſt, & pulſus ob copiam ſanguinis erunt pleni, & vt vires aggrauātur, erunt inæquales tum in vnica pulſatione, tum etiam in collectione, vt Gal. ait 2. de cauſ. pulſ. cap. 1. & 4.

*Signa ab humore melancholico.*

Si vero fuerit humor melancholicus aderunt ſigna melancholiæ, quemadmodum ſi fuerit pituitoſus, aderunt ſigna pituitæ.

*Signa a maxima humorum crudorum copia.*

Quod ſi quis contineat maximam crudorum ſuccorum copiā circa primas venas, aut in toto corpore, quam vel ex cruditatibus, vel aliqua alia occaſione congeſſerit, vnaque accedat oris ventriculi imbecillitas, vt Gal. ait 12. meth. cap. 3 tunc hi frequenti ſyncope corripiuntur, ac febri, quam ſyncopalem humoroſam vocant, tenentur.

Cognoſcitur autem quia his præcordia ſunt inflata, & totum corpus ampliore mole, quam pro naturæ modo, cernitur, & color

cutis alijs quidem ad albidius,quam pro naturali habitu, eſt mutatus,ac laborantibus aquæ inter cutem magis eſt ſimilis,nonnullis etiam ad nigrius,aut liuidius, hos autem medici plumbei coloris appellant,vergit, omnibus pulſus minores ſunt quam pro caloris ratione requiratur, præterea obſcuri, omninoque inæquales,ſæpe ea inæqualitate, quam ſyſtematicem Græci vocant;ſemper vero ea,quæ in vno pulſu contingit inæquales ſunt.

Præterea cognoſcitur ſi copia crudorum humorum circa primas venas conſiſtat, quia cum plurimum cum illis conſentiat vẽtriculus, ideo adeſt nauſea, vomitus, eructatio,vellicatio, tormina ventris,& murmur.

Si vero cruditas ſit in toto venarum ambitu,cognoſcitur ex vrinis crudis,aquoſis,vel conturbatis,cum ſedimento diuulſo,craſſo,& aſpero,color faciei pallidus, plumbeus, moles totius corporis maior,& habitus ſubtumidus.

Ab humoribus autem aggrauantibus, & pondere calorem innatum ſuffocantibus excipitur bilis,quoniam ea ſuo pondere,aut multitudine nequaquam vires aggrauare poteſt, quin lõge prius alia ſuperuenient ſymptomata,vt Gal.ait lib. de plenitud.cap. 11.

Si vero materia ſuffocationem caloris innati cordis minans ſit extra venas,tunc poteſt eſſe ſanguis,qui in pulmone, ventriculo, iecore,ſepto tranſuerſo,vtero,meſenterio, liene, aut alia corporis parte,conſiſtat,ac ibi impactus tumorem excitet inflammatoriũ. *Signa a sã guine extra venas exiſtente.*

Si ſit in pulmone, & peripneumoniam concitet, in qua calor, & anguſtia vna conueniunt, tunc cognoſcitur, quia laborans inter ſpirandum totum thoracem mouere maxime videtur, vt in parte quidem anteriore ad iugulum,in vtroque latere ad epomi das in parte vero poſteriore ad ſcapulas vſque motus aſcendat. *Si ſit ĩ pulmone.*

Præterea coguntur ſedere, nam nec maxima, nec frequentiſſima,nec celerrima reſpiratio,vt Gal.ait 4.de loc.aff.cap.7. illis ſufficere poteſt.

Præterea cognoſcitur,quia exufflando ſpiritum reddunt,genę rubent,& cætera peripneumoniæ ſigna adſunt.

Si vero aſperæ arteriæ pulmonis plurima defluxione oppletæ ſint, cognoſcitur, quia licet non diſſimili modo reſpirent, tamen nec exufflant, nec calidum ſpiritum emittunt, niſi febris acceſſerit,ſed ſtertere videntur, & ſi ex proximis locis in aſperas eius arterias

terias aliquid deriuauerit, vt a thorace, præceſſit morbus thoracis,& ſi a faucibus, præceſſit morbus faucium.

Si vero a locis remotis in ipſas aliquid deriuet, vt a capite ſæpe contingere ſolet præceſſit deſtillatio, & morbus capitis.

Si vero tuberculũ concoctu difficile aliquando in pulmone ortum fuerit, tunc vt ibid. ait Gal. thorax ſimiliter maxime quidem dilatabitur, ſed non ita multum aerem reſpirabit, ideoque continenter ſpirare cogitur, non tamen exufflare ſolet, id enim aucti caloris proprium eſt, neque ſtertunt.

Si vero & abſceſſus, & inflammatio, atque humorum plenitudo in thoracis, aut pulmonis cauernis conſtiterit, nulla obſtructione accedente in gutture, neque in aſpera arteria, ſed tactum in illis cauitatibus, quæ inſpiratum aerem ſuſcipiunt, tunc præſente anguſtia ex neceſſitate ſequetur magna thoracis dilatatio, ſed ſimiliter non ita multus trahitur ſpiritus, proinde laborantes & celeriter, & frequenter ſpirare coguntur.

Si vero aliquis humor in partibus non impactus quicunque ſit in cauitate pectoris receptus in pus ſiue legitimum, ſiue nothum conuerſum contineatur, vt contingit his, qui empyemate detinẽtur, tunc manifeſtatur per ſigna empyematis, nempe per ſenſum grauitatis in imò pectore perceptum, per materiæ fluctuationem, per difficilem reſpirationem, per anhelitus graueolentiam, per tuſſim cum eiuſdem materię expuitione, per maciem corporis, cui iuncta eſt febris hectica, & conſummata conſumptio.

Præterea vel pręceſſerunt deſtillationes a capite, vel diſruptio alicuius vomicæ abſque expuitione, quod interdũ anginoſis, pleuriticis dum ad ſuppurationem veniunt, contingit.

Si vero fuerit ſanguis manifeſtatur, quia vna cum tuſſi ſæpe excernitur, & præceſſerunt cauſæ ſanguinem e venis fundentes, vt fractio, eroſio, apertio oſculorum venarum, aut vulnus earũdem, aut alterius propinquę, vel remotæ partis, vnde in pectus infundatur, vt frequenter a capite contingit.

*Signa ſi ſit in ventriculo.* Quod ſi ab eodem in ventriculum feratur, adſunt nauſeæ, vomitus cruenti, & faſtidia, & cognoſcitur a capite deſcendiſſe, quia præceſſerunt ſigna capitis affecti, vt grauitas capitis, & dolor, interdum etiam faucium titillatio, ac eiuſdem ſanguinis expuitio.

Quemadmodum ſi fuerit ob affectum alterius partis, vt lienis, uel

uel iecoris, à quibus ichor, uel ſeroſum excrementum in uentriculum fertur, vt quibuſdam contingit poſt longam inediam, aut ob iram, vel aliam perturbationem, non minus manifeſtum redditur.

Idem contingit in principijs acceſſionum, dum bilioſa ſuperfluitas os ventriculi petit, vbi adſunt ſigna ventriculi affecti, vel lienis, vel iecoris, dum ab illis partibus materia malefica in ventriculum infunditur.

Si vero ſuffocatio caloris innati cordis incidat vitio vaporum in corde collectorum ob reſpirationem interceptam, patet cauſa intercipiens, quæ vel eſt ſpontanea, vt contigit ſeruo barbaro, qui humi proſtratus, ac intercepta ſibijpſi reſpirationc mortem ſibi ſponte conſciuit. *Signa ſuffocationis a materia vaporoſa.*

Similiter cauſa patet, ſi ſit laqueum, vel aliud quid extrinſecus incidens, vel quod in tracheam arteriam inciderit.

Quod ſi ab apoplexia, vel epilepſia maligna, vel ab vteri recurſu ad ſuperiora, vt Gal. ait primo ad Glaucon. cap. 14. reſpiratio intercipiatur, patet per ſigna apoplexiæ, vel epilepſiæ malignæ, & per ſigna vteri male affecti, vt dum menſtruæ earum expurgationes retentæ ſunt.

Quod ſi idem contingat ob malignos, & putres vapores elatos à materia in parte non impacta, ſed quæ in vaſis in toto corpore diſſeminatis contineatur, patet per ſigna febris malignæ & peſtilentis.

Si vero vapores malefici eleuentur a materia exiſtente in aliqua corporis parte, vt in ventriculo, vel inteſtinis, vt contingit in cholera vocato morbo, patet ex ſignis cholericæ paſſionis, idẽ ſi ſit in pulmone, vel ĩ vtero, aut vaſis eius, patet per ſigna peripneumoniæ, aut vteri male affecti, & ſignis præfocationis, quòd præcipue contingit ob ſemen retentum viduis, & his, quæ alias virili concubitu gaudere ſolebant.

Si vero ſit in inteſtinis, vt contingit his qui vermibus conflictãtur, ſiue viui ſint, ſiue mortui, patet per ſigna vermium, vt ſunt dolores inteſtinorum, corrupta alui excrementa, & quandoque vermes ipſi apparent.

Multo ſæuior morbus contingere ſolet ob ſanguinis grumos, vbicunque conſiſtant, nam ſiue in pectore, ſiue in ventriculo, ſiue *Signa ob grumos ſãguinis.*

vtero,

vtero, ſiue veſica, aut inteſtinis conſiſtant, grauis animi defectio, & pallor, pulſus paruus, frequens, & obſcurus apparere ſolet, & laborans ipſe cum anxietate reſoluitur.

Quemadmodum in magnis muſculorum vulneribus ſæpe numero accidit, vt mirari ſubeat Galeno teſte libro de ſuc.bonit. & vit.cap.4.& 6.de loc.affect.cap.4. quænam ſit huius euentus cauſa, quippe cum omnium, quæ in corpore ſunt ſanguis nobis ſit familiariſſimus, quomodo ex vaſis ſuis effuſus tanti mali authorem ſe præſtet, vt & putredo partium, & eorum mortificatio ſequi poſſit, etenim vidimus vbi veſicæ meatum grumus obſtruxerit, hæc eadem ſequi accidentia.

Grumum vero adeſſe conijcitur in veſica, quod plurimum antea cruorem laborantes cum vrina reddidiſſent, ac interdum aliquid ſanguinis cōcreti vel cum ſyringa, vel etiam ſine ea apparet.

Si vero vapores maligni eleuentur à materia in aliqua parte impacta, hæc ſi ſit externa patet e ſignis proprijs morbi maligni, qualis eſſe ſolet cancer, gangręna, carbunculus, aut bubo peſtifer.

Similiter ſi ab ictu vel morſu animalium veneficorum idem cō tingerit, vt a vipera, ſcorpione, aſpide, vel phalangijs, non minus conſpicuum eſt per relationem patientis vel aſtantium.

Si vero vapores maligni eleuētur à materia impacta in aliqua parte interna, adſunt ſigna febris malignæ & peſtilentis, præterea pars affecta innoteſſet ab actione læſa ab excretis, & proprijs eius accidentibus.

*Signa ſi fiat ob venenum.*

Quod ſi idem contingat ob venenum intus per os aſſumptum, vel conſpicuum fiet per relationem patientis, vel aſtantium, vel per propria eius ſigna & venenum, & veneni ſpecies ipſa manifeſtabitur.

Quod ſi venenum communicetur ab aere putrido & peſtilenti patet ob epidemiam peſtilentem, ſiue contingat ob inhumata cadauera, vt in prælijs contingit, ſiue halitus eleuatos a baratris, uoraginibus, fodinis ſubterraneis, aut aliter non per ſpiratis locis, hæc omnia ex ſe ſatis conſpicua ſunt.

## DE INDICATIONIBVS HAVRIENDIS IN *lipothymia, & ſyncope, tam præſente, quam imminente.* *Caput Quinquageſimum tertium.*

IN ſyncope præſente conſideretur repentinus caſus actionis ſenſitiuæ, & motiuæ, quæ ſunt ſymptomata attinentia ad facultatem ſenſitiuam, & motiuã læſam, a quibus uti puris ſymptomatib. nulla deſumitur indicatio, cum ſint operationes lęſæ pendentes a ſuis facultatibus læſis, quibus debetur remedium, ut Gal. aſſerit 12. meth. cap. 1.

Sed quia iſtæ relatæ facultates læſæ, cum ſuis actionibus lædũtur ob caſum actionis uitalis, ideo a caſu actionis uitalis prima indicatio deſumenda eſt, quæ licet ſit ſymptoma attinens ad facultatem uitalem læſam, attamen quia hoc ſymptoma euadit cauſa caſus non ſolum actionis ſenſitiuæ, & motiuæ, ſed etiam facultatum earum, imò omnium, quæ in uiuente animali reperiuntur facultatum, ideo ab ea, ut a cauſa tantæ calamitatis, prima indicatio deſumenda eſt, ut Gal. act. 12. meth. cap. 1. *Prima indicatio deſumatur a caſu actionis vitalis.*

Cum enim uirtus uitalis producat hanc operationem præparandi, nempe omnes uirtutes uiuentis, ex Auicenn. ſententia, igitur ipſa actione cadente fruſtrantur omnes uiuentis uirtutes, & primum ſenſitiua, & motiua, deinde coguntur cadere earum opetiones, ac tandem cæteræ omnes, tum animales, tum naturales, quia deficiente cordis functione ad uitam attinente, totius animalis interitus ſubſequi neceſſe eſt.

Cum igitur actio uirtutis uitalis cadendo deſinat præparare alias uirtutes, igitur prima indicatio deſumitur a caſu actionis uitalis, & quia ſpiritus uitales refrigerantur, igitur ſpiritus uitales calefaciendi ſunt, præterea quia etiam imminuuntur, ideo ijdem reparandi, ac regenerandi ſunt, & ſi eorum imminutio ſit cum ualida aggregatione in cor, quod ut plurimum contingit, ideo ipſi expandendi, ac a centro ad circumferentiam retrahendi ſunt, quemadmodum uice uerſa ſi nimis diſgregẽtur, & diſpergantur, uniendi ſunt, cutiſque denſanda eſt. *Primo oritur indicatio calefaciendi, et reparandi et diſgregandi, vel aggregandi.*

Ad

Ad caſum actionis uitalis reſpiciens Gal.12.meth.cap.6.dicebat. Sic itaque in omnibus huiuſmodi curationibus ſi iam deprehenſus a ſyncope cubans ſit omnis ſollicitudo medentis ad ſymptoma vertitur, vt cogamur primum remouere ſymptoma, quam morbum.

Ad vitalis ſpiritus refrigerationem ibid. ſic ait, vinum tamen quod & calidum natura ſit,& deductionem in corpus promoueat omnibus,quos ſyncope male habet, offerre conuenit,conſtat autem ex vinis ea deligenda eſſe,quæ & flauo colore ſint, & ſubſtātia tenui, & ætate vetera, talia nimirum & boni odoris continue fuerint, quin etiamſi paululum vbi miſta ſunt guſtes, ſenties calorem per totum corpus tranſmitti.

Ad ſpirituum imminutionem, & refrigerationem ſimul reſpiciens paulo poſt dixit. Curandum itaque eſt, vt quæ ſpiritus ſubſtantiæ portio ab eis defluit hanc per appoſitionem ſarciamus, ꝙ in ipſis vero alteraſcit,in debitam temperiem per contrariam alterationem reſtituamus.

Reſpiciens ad aggregationem primo ad Glau.c.14. dixit, qui in principijs acceſſionum refrigerantur, his artus fricare fortiter, ac calefacere,cruraque,& manus alligare oportet.

Similiter ad ſpiritus diſgregationem reſpiciens 12. methodi, cap.6 dicebat, in omnibus perturbationibus anima per ſe ipſam moueri ſciendum eſt,quæ nimirum in alijs actiuis functionibus, mouet corpus, ob idque reſoluitur eius robur vtroque motuū ſuorum genere, ſi modum excedant, ergo neque rarefaciendum eſt immodice ægrotantis corpus, ſi ſpiritum retineri in ipſo ſtudes, ſed nec quæ in eo ſunt per comeſta, & bibita immodice extenuanda.

*Secunda indicatio a cauſa caſus.*

Secunda indicatio deſumitur a cauſa affectionis frigidæ, quæ vel attinet ad ſubſtantiam, & hæc ſi nimis concitato motu ſecum ſpiritus influentes aduocando intro,vel ad extra reuocando feratur reuellenda eſt, ſi ob meatuum laxitatem cutis denſanda & adſtringenda eſt,ſi ob ſubſtantiæ ſpirituum vel humorum tenuitatem, hi incraſſandi ſunt.

Si vero ea circa cor quieſcat, ad latera trahenda, ac deriuanda eſt, foraſque euocanda. Si ſit accidens alterandum eſt per ſingulas contrarietates particulatim diſcurrendo, ſi ſit venenum, euacuan-

cuandum,ac alexiterijs corrigendã eſt,quę omnes ſunt indicationes curatiuæ,& requiſita curatiua.

Sed hic iunior quidã hæſitare poſſet,quomodo remouere morbi cauſam poſſit attinere ad curatorem, cum alias ſtatutum fuerit a Gal.remotionem cauſæ morborum attinere ad partem medicinæ præſeruatoriam,quam prophylacticen vocant. *Quæſtio.*

Ideo huic dubitationi reſpondemus ob duplicem finem cauſam a medico remoueri poſſe,vel.n.finis reſpicit morbum imminentẽ,& hoc attinet ad partem præſeruatoriam, vel reſpicit morbum præſentem, qui cum tolli non poſſit manente eius cauſa, a qua dependet,ideo curator habens pro fine, a quo artes denominãtur,morbi ablationem,dum cogitur remouere cauſam morbi, non propter hoc amittit nomen curantis. *Reſponſio.*

Aliud enim eſt pellere morbum,qui vti effectus a ſua cauſa dependens,tolli nequit ea non ablata,& aliud eſt proſpicere, & præſentem cauſam auferre,ne imminens morbus contingat.

Quia prior operatio,cum pro fine,a quo artes denominantur, morbi ablationem habeat,quam finem conſequi nullus vnquam poteſt ſine cauſæ abſciſſione,igitur vtcunque operator cauſam reſpiciat,operatio tota curatrix eſt.

Poſterior vero,quæ pro fine nullam curationem reſpicit, ſed ſola præſeruatione a morbo imminenti per ablationem cauſæ iure præſeruatrix dicitur,vt opt.quidem 11.meth. cap.2. & 2. aphor.22.adnotauit Gal.

Ceterum quantum attinet ad abſciſſionem cauſarum antecedentium animaduertendum eſt,tantam eſſe neceſſitatem ſubleuãdi patientem a caſu vt hoc habeat rationem vrgentis, niſi enim quam primum ſymptoma arceatur,patiens e vita decedet, igitur præſente ſyncope,cũ ſpiritus & calor inſitus cordis refrigeretur,illico calefaciendum eſſe diximus. *Caſus actionis preparatis urget.*

Attamen ſi cauſa antecedens ſyncopen producens calida fuiſſet,parcius,ac cum moderatione calefaciendum eſt, audentius vero,ſi cauſa antecedens frigida fuiſſet.

Præterea quia ſpiritus imminuũtur,ideo reficiendi,ac regenerandi ſunt,ac a centro ad circunferentiam retrahendi ſunt, præter quam quod ſi ſyncope ſequeretur immodicam lætitiam, ſuperfluum ſudorem,inediam, ſubſtãtiæ ſpirituum tenuitatem, aut

cor-

corporis texturæ raritatem, aut bilioſorum humorum abundantiam, cum oris ventriculi mordicatione.

Tunc enim non ſolum nō licet præſente ſyncope corpus rare facere, ac ad extra trahere, ſed potius totum oppoſitum moliendum eſt cutim denſando, refrigerando, humores incraſſando, ac valenter ad intra repellendo, diſflationemque prohibendo, vt ſupra dictum eſt.

*Releuato ægro quid agendum.*

Releuato ægro à caſu tunc ad cauſæ ablationem curatio conuertenda eſt, non tamen neglecto ſymptomate imminente, quod ſignificauit Gal. eod. 12. meth. cap. 6. ſub his verbis, ergo in omnibus huiuſmodi curationibus ſi iam deprehenſus ſyncope cubans ſit, omnis ſollicitudo medentis ad ſymptoma vertitur, quia ſi uires labantur, non tamen vehementer ſint reſolutæ, ſed adhuc reſiſtant, ad ſymptoma tantum ſumus attenti, atque id quam primũ tollere maturamus.

*Syncope imminente quid agendum.*

At ſi vehementer reſolutæ ſint vires, non modo ſymptoma ſedare, ſed vires etiam firmare debemus. Verum ſi cubans non dũ ſyncope premitur, debemus vtriuſque & ſymptomatis, & cauſæ nempe curam habere, vt ſymptoma nō incidat, & vt morbus paulatim diſcutiatur, curamus autem vt ſymptoma non incidat per cordialia, cauemus autem ſpirituum vitium in ſubſtantia, quantitate, qualitate, & motu, ac cauſas hæc incommoda generantes, ac morbum paulatim diſcutimus.

Idem docuit Auicen. 11. 3. t. 2. cap. 8. dum ait & patiens quidē ſyncopen quandoque eſt in ſyncope, & quandoq; eſt in eo, quod eſt inter ſyncopen, & ſanitatem, & quandoque eſt in leui paroxyſmo ſyncopes, per ſtatum medium innuens lipothymiam.

Cum ergo eſt in diſpoſitione ſyncopes, non eſt ſemper poſſibile nobis, vt laboremus in abſciſſione cauſæ, imò nobis neceſſariũ eſt, vt opponamus accidenti, quod accedit cum eo, quód ipſi pertinet de cura.

Quod ēt repetit 1. 4. t. 2. c. 30. dicens, & ſcias, quod quādoq; aggregatur ſyncope, & febris, tunc ſyncope eſt dignior curatione.

Sed notanda ſunt verba Auicen. dicentis non eſſe ſemper poſſibile abſcindere cauſas omnes ſyncopes, ex quibus elicere licet, illud interdum eſſe poſſibile, quia quod non ſemper eſt poſſibile, aliquando eſt poſsibile.

Di-

Dicamus igitur, quòd quando ſyncope pendet a cauſis pro cá tharticus, vt ab impenſo gaudio, tunc ſedato motu prauo ſpirituũ ad extra, & roborato corde deſinit ſyncope.

*Quando liceat abſcidere cauſas ſyncopes.*

Similiter ſi fiat a minimo timore, tunc reuocatis ſpiritualibus ad circumferentiam, & calefacto corde non minus ſyncope aufer tur, ideo in his caſibus poſſibile eſt abſcindere cauſas.

At ſi ſyncope pendeat ab internis, vel pendet à ſanguine, vel a materia vaporoſa, & tunc ſimiliter licet abſcindere cauſam ſyncopes, ideo in ipſo paroxyſmo licet ſecare venam, vt infra apparebit, licet frictionibus, ligaturis, cucurbitulis euocare vapores, át ſi ſyncope pendeat a copia, ac ſimul craſſitie, & malá qualitate humorum, tunc præſente ſyncope non eſt poſſibile abſcindere cauſam eius.

Tertia indicatio in ſyncope præſente deſumitur a vitali calore cordi inſito, qui cum ſit res naturalis conſeruandus eſt cum ſimilibus, ideo calefaciendum eſt, & eſt indicatio vitalis.

*Tertia indicatio deſumitur a uitali calore.*

In ſyncope vero imminente duæ tantum indicationes oriũtur, prima enim deſumitur a cauſa potente inducere affectionem frigidam, quæ ſi fuerit intemperies calida refrigerandum, ſi frigida calefaciendum, ſi humida exiccándũ, & ſi ſicca humectandũ indicat.

*In ſyncope imminẽte duæ indicationes oriũtur.*

Si fuerit cum materia, hæc euacuanda eſt, atque vt commodius fiat, ſi ſit craſſa attenuanda eſt, ſi viſcida abſtergenda, ſi tenuis incraſſanda, vt ad mediocritatem reducatur.

*Et prim. a cauſa calefaciente.*

At ſi cauſa áffectus ſit bulimus, fouendus eſt os ventriculi, cum calidis, & humidis, quod ſi frigiditas attineat ad vterum, quia ab eo eleuentur vapores frigidi ob ſemen, vel ſanguinem menſtruũ retentum, ac in veneni frigidi naturam conuerſum, tunc vapores reuellendi, & diſcutiendi ſunt, ac obſtructiones ſunt aperiendæ, ac ſanguis, & ſemen vtrunque præter naturam redditum, euacuandum eſt.

*A cauſa frigefaciẽte.*

Si vero frigiditas ortum ducát ab ánimi paſſionibus, vt á timore diuturno, intenſa mæſtitia, Socratem conſulat, diſcatque ab eo, vt ſint moderandi animi affectus.

Quod ſi frigiditas pendeat a longa mora in aere, ác locis frigidis, & niuoſis, ab his tanquam a cauſa externa nulla ſumitur indicatio, alteratur tamen aer ad contrarium, vt euadat materia remedij ſanantis.

*A qualita e occulta.* At ſi occulta qualitate calorem inſitum cordis extinguat, tunc ad bezoartica, ac occulta qualitate venenum debellantia confugiendum eſt, vti ad requiſita pro affectus ablatione.

*A ſanguinis defectu.* Si vero affectus frigidus pendeat a ſanguinis defectu ob aliquam eius immodicam euacuationem, ſiſtendus eſt ſanguis, ac ſpiritus reficiendi ſunt, & ſi fluat per anaſtomoſim, & diapedeſim, vaſa adſtringēda ſunt, ac ſanguis incraſſandus eſt, at ſi fluat, quia venæ ſolutæ, vel fractæ ſint, cum vnientibus occurrendum eſt, at ſi fluat per diæreſim, tunc pars deperdita cum renutrientibus reparanda eſt.

Si vero ſanguis deficiat, quia ob putredinem corrumpatur, vt contingit in febribus malignis, & peſtilentibus, tunc cum exiccātibus, & putredinem inhibentibus occurrendum eſt.

Si vero deficiat ſanguis ob materiæ penuriam, cum alimentis occurrendum eſt, & ſi cauſa penuriæ ſit bulimus, tunc affectio frigida a qua dependet remouenda eſt, & appetitus reuocari debet.

Si vero cauſa penuriæ ſit fluxus ventris, tunc cum ſtipticis, & adſtringentibus & incraſſantibus cibus remorandus eſt, vt coquatur, & alat.

Si vero cauſa penuriæ ſit cruditas, materia cruda, & rebellis euacuanda eſt, quæ vero coctionem recipere poteſt, coquenda eſt ventriculuſque roborandus eſt, vt coctionem perficere poſſit.

Quod ſi alimentum in vētriculo corruptum, vt in cholerica paſſione contingit, ſit cauſa penuriæ alimenti, tunc cauſa corruptionis arcenda eſt, ſi fiat vitio intemperiei ventriculi illa per contrarium corrigenda eſt, calida cum frigidis, frigida cum calidis, & ita de reliquis contrarietatibus, ſi vitio alienæ materiæ illuc confluentis, ea alio trahenda eſt, ac cum ſtipticis repellenda, ne confluat.

*Vitio agētis.* At ſi ſpiritus non generētur vitio virtutis ſpirituum genitricis labefactatæ, quod in quacunque intemperie cordis contingit, & præcipue ob intemperiem frigidam, & ſiccam, tunc intemperies cum contrarijs corrigenda eſt.

Si vero ſpiritus non generentur, quia eorum materia deficiat vitio viarum occluſarum, tunc ſiue ſint arteriæ, ſiue venæ compreſſæ, conſtipatæ, a materia exiſtente in ipſis arterijs, vel in uenis, vel extra, atque ipſa vel impacta, vel non, tunc ſi peccet in quan-

to

to ea imminuenda eſt, ſi in ſubſtantia, ea euacuanda eſt, ſi peccet in quali alteranda eſt, ideo craſſa attenuanda, viſcida abſtergenda, tenuis incraſſanda eſt, & ita de reliquis vitijs, ad contrarium alterando procedendum eſt.

Si vero ſpiritus deficiat, quia deperdantur poſtquam geniti ſunt, & deperditio conſequatur immodicam aliquã euacuationẽ ſanguinis, tunc qũo ſanguis ille ſiſtẽdus ſit ſupra ſatis dictum eſt. *Vitio viæ rum.*

Quod ſi ſpiritus deperditio conſequatur fluxũ aliorũ humorũ, vel alimentaliã, vel excrementitiorum, vt contingit in lienteria, dyſſenteria, diarhęa, cholera, vomitu, abſceſſus ruptura, eductione aquæ hydropicorũ, immodico ſudore, tunc cũ adſtringentibus cõſtipantib. obſiſtendũ eſt, ac eorũ motus ad cõtrariũ reuellẽdus eſt.

Quod ſi ſpiritus fluant ob cutis raritatẽ, tunc cutis denſanda eſt, ſi idem accidat ob ſpirituum tenuitatem, tunc ſpiritus incraſſandi ſunt, & ſi cauſa tenuitatis ſit dolor, ille cum anodynis mitigandus eſt, vel cum ſtupefacientibus ſenſus tollendus eſt, ſi vero ſit calor, refrigerandum eſt.

Si vero fluãt ob nimiũ gaudium, illico affectus cõpeſcẽdus eſt.

Si vero calor inſitus cordis ſuffocetur a materia, ſiue alimẽtali, ſiue excrementitia, ſiue naturali, ſiue præter naturam, quæ aggrauando, & nimis replendo premat, aut ora vaſorum obturet, & calorem inſitum cordis ſuffocet, hæc ſimiliter ſiue moueatur ſiue quieſcat, patet quid ſit agendum ex prædictis. *Si ſpiritu ſuffocẽtu*

Si vero calor inſitus cordis ſuffocatur a copia vaporum in corde genitorum, tunc hi diſcutiendi, atque à corde deriuandi ſunt, ac remouendæ ſunt cauſæ generantes, refrigerando ſi cauſa generationis eorum fuerit caliditas, & ita de reliquis qualitatibus per contrarias alterando.

Si vero expurgatio impediatur, remouendũ eſt impedimentũ ſiue ſit laqueus, vel quid aliud, at ſi idẽ contingat ob apoplexiã, aut epilepſiã maligna non minus curatio ad hæc conuertenda eſt.

Si vero aliunde vapores confluant in cor, vt in febre maligna contingit a toto corpore, vel ab aliqua parte, vt in malignis, & peſtilentibus apoſtematibus, tunc vapores reuellendi ſunt à corde, idem agendum eſt ſi confluant a grumo ſanguinis, a vermibus, deinde cauſæ tollendæ ſunt, ideo grumus diſſoluendus eſt, ac vermes educendi.

*Secũda indicatio in ſyncope imminente.*

Secunda autem indicatio in ſyncope imminente deſumitur à virtute vitali,& dicitur indicatio vitalis, quæ multo magis in ſyncope præſente, deinde imminente indicat ſui conſeruationem, cũ cadere periclitetur, quam indicet in palpitatione.

Hæc autem vitalia indicat, quæ calorem inſitum cordis fouẽt, naturalemque eius proportionem ſeruant, tum per ea, quæ manifeſtis qualitatibus operantur, vt ſunt temperate calida,& quæ naturalem eius calorem non excedunt, tum etiam, quæ occultis viribus iuuant.

Priora indicata rationali methodo inueniuntur, poſteriora vero ſola experientia comperta ſunt, ideo probabilius requiſita vocantur, quoniam morbus ignotus nihil indicare poteſt.

## *LIPOTHYMIAE, ET SYNCOPES SIGNA prognoſtica. Caput Quinquageſimum quartum.*

SYNCOPE eſt virium caſus periculoſiſſimus, ac ſummopere verendus, lipothymia vero eſt caſus mitis, attamen, ſi perſeueret, eſt via ad ſyncopen, vterque tamen intenditur, & remittitur pro ratione cauſæ affectus cordis vtriuſque productricis, non ratione affectus ſyncopen producentis, quia cum ad intemperiem, aut ad alium quemuis morbum (vt ſupra demonſtratum eſt) nullo pacto reduci poſſit, ideo facillimam (quantum in ſe eſt) curationem habet.

*Cauſa caſus facilẽ curationẽ habet.*

Ideo cauſæ affectus in caliditate, & frigiditate conſiſtentes citius vitales actiones interturbant, quam cæteri, ſiccum.n.& humidũ immodice nullũ membrũ in pauco tẽpore fieri poteſt, vt Gal. ait lib.de vtil.reſp.c.5. frigidũ autem extreme, aut calidũ fieri pōt.

At inter hęc longè celerior corruptio incidit ob immoderatam caliditatem, quam ob parem frigiditatem, vt ibid. ait Gal. quod ſi hoc in cæteris partibus fieri poteſt, multo magis in corde futurũ arbitrandum eſt, imò quæ offenſa cæteris partibus parui momẽti eſt, illa cordi, vt parti principi, & quæ ad vitã maximũ momentũ habet, cuius conſtitutionem nihil promptius, vt ibid. ait Gal. immutare valet, quam caliditas immoderata, maximi momẽti erit.

*Quibus ex cauſis vitales actiones facilius lædantur.*

Hæc.n. citiſſime innatũ calorẽ extinguit, ſed vt citiſſime lędi-

tur ob morbos ad qualitates actiuas pertinentes, ita etiam citiſſime corrigitur, quod non accidit in morbis ad alteram oppoſitionem attinentibus, vt Gal. ait 7. meth. cap. 5. & pręcipue ſi in ſicca intemperie conſtiterit morbus.

Si cauſa ſyncopes ſit intẽperies calida totius corporis, & cordis æqualis, vt in hecticis tabidis contingit, curationem nõ admittit, vt Auicen. ait 11. 3. t. 2. cap. 8. *Syncope deplorata.*

Similiter frigida intẽperies eundẽ, imò ſecuriorẽ interitũ polliceтur, vt ibid. habet Gal. & ratio eſt, quia in morbis magis periclitantur ægri, cum naturæ non ſunt conſentanei, ſecurior igitur eſt interitus ſi in ſyncope cor frigida intemperie laboret, licet nõ ita præceps, & repentinus.

Item ſyncope, quæ perducit ad viriditatem faciei, & colli conuerſionẽ deſperanda eſt, & ſi nulla cauſa præcurrente accidat ſudor circa caput, & ceruicẽ in febre acuta, licet calidus ſit, tamen ſyncopẽ minatur, & mortem, ſi vero fuerit frigidus, tũc nõ futurã, ſed iã præſentem ſyncopen demõſtrat, vt Gal. ait 1. progno. t. 26.

Syncope. n. quæ ſequitur cauſas vehementiſſimas, ac cordis vitalem facultatem proſternentes, lethalis eſt. Ideo Hipp. 2. aph. 41. ait, qui frequenter, ac fortiter, & abſque manifeſta cauſa exoluuntur, derepente moriuntur, hoc autem accidit ob virtutis vitalis imbecillitatem, quam maximæ afficiunt intemperantiæ.

Similiter ſi cauſa ſyncopes ſit totius affectus calidus, cui prætetea iungatur minera bilis flauæ, cęruleæ, æruginoſæ, & atræ, quæ ſit in venis, vt accidit in febribus ardentibus, & malignis, periculoſum valde eſt, non tamen penitus lethale, vt 2. de præſag. ex pulſ. cap. 5. ait Gal. *Syncopes periculoſa.*

Si autem in cordis ventriculis minera extiterit, vt in febribus malignis, ac eorum vitio fiat ſyncope, lethale prorſus eſt. *Syncopes lethalis.*

Similiter ſi cauſa ſyncopes fuerint ijdem humores impacti in aliqua principe parte, vel cum principe conſortium habente, vt eſt pulmo, ventriculi ſuperius os, hepar, vterus, lethale eſt, cui ſi ſingultus acceſſerit, iam non longe mortem abeſſe ſciendũ eſt, idem contingit, ſi admoto ſternutamento non ſternutet.

At cordis inflammatio non attingit augmentum citra mortem, velociſſimæ enim fiunt corde patiente mortes, vt Gal. ait in 2. Hipp. de rat vict. in ac. t. 47. nam cum ſyncope pendet a cau-

ſa perſeuerante,ipſa non deſiſtit,donec ægrum interficiat, & ſi in phrenitide pulſus fiat immodice creber, futuram ſyncopen denũ ciat,vt libello de pulſ.ad Thyronem,cap.11.ſcripſit Gal.

At ſi fuerit caliditas externa diſſoluens innatam cordis caliditatem abſumendo ſpiritus influentes,tunc ſiue ſit hypocauſtum, balneum calidum, medicamentum calidum, vt cantharides, euphorbium,arſenicum,& alia huiuſmodi, curationem recipere poſ ſunt,vt ait Auicen.11.3.t.2.cap.8.

Quod ſi cor compatiatur ob intemperiem ſiccam a iecore, affectus breui mortem affert, mox qui à cõpatiente ventriculo ortum ducit,qui vero ab alijs particulis ortum ducit,tanto ſane tardius, quanto,vt Gal.ait 7.met.cap.6. quælibet horum minoris eſt præſtantiæ.

At qui ipſo corde affecto læduntur,omniũ celerrime areſcunt, vocaturque ariditas,ſeu maraſmus,a Philippo ex morbo ſenium.

Si vero leuiter cordis corpus ſiccatum ſit,ſeneſcunt quidem celeriter, cæterum citra mortem plures annos trahunt, qui vehementer ſunt læſi.

Si vero cauſa ſyncopes ſit intemperies frigida,& ſicca cordis, hæc coniunctam habet tabem, ac curationem non admittit,item intermittentes in aceruo pulſus fiunt,dum ingens frigiditas occupat corpus cordis, vel ſpiritum, vel ſanguinem, quem continent eius ſinus, vel partem aliquam vicinam, vt pulmonem, pericardium,ventriculum,ac reliquas a Galeno 3.de præſag.ex pulſ.c.4. enumeratas.

Differenter tamen, quia ſi corpus ipſum cordis ingens frigiditas occupauerit, pulſus fiunt languidiſſimi, tardiſſimi, & minimi.

Si vero frigiditas proficiſcatur ex alia parte cordi vicina, tunc pulſus magis ſunt rariſſimi, quam languidiſſimi, tardiſſimi, & minimi, & ideo quidam pulſum rariſſimum habentes ob frigiditatem ex aliqua parte vicina cor infeſtantem, licet pulſus nõ mul to minor, tardior, & languidior extiterit, tamen ſubito pereunt, vt 2.de præſag.ex pulſ.c.4.ait Gal.

Quod ſi frigiditas corpus cordis inuadat, tunc pulſus cum rarĩ tate languidiſſimi, tardiſsimi, & minimi fiunt, ac mors tunc eſt promptior, & moriuntur potius inter dormiendum.

Quibus

Quibus vero ob vicina cordis frigida, cor frigeſit, quorum pulſus magis eſt rarus, quam languidus, tardus, & paruus, hi moriuntur tum inter dormiendum, tum etiam inter loquendum, vt imperitis commode videantur ſe habere, attamen ſubito cum animo deficiunt, ſimul expirant.

Et horum quibuſdam ſimul prorumpit ſudor, aliquibus autem non, atque hoc ſymptoma arripit quoſdam ægrotantes a febre præter rationem liberatos, ac etiam nonnullos ſanos potiſsimum in ſenectute.

Sic itaq; raritas pulſus tantam habet pernitiem, at intermittentes multo maiorem, ſi quidem intermittentes generantur raritate producta, & cum ſanantur, reuertuntur ad ſanitatem per priſtinã mediocritatem. *Raritas pulſus malitia & intermittentia deterior.*

Si vero ob bulimum accidat ſyncope, periculoſa eſt, quia multipliciter, vt ait Gal. 1. de cauſ. ſympt. c. 7. infeſtat, lædit enim indigentia alimenti, imbecillitate, & frigiditate.

Si vero fuerit vapor frigidus a ſemine, aut ſanguine menſtruo elatus, periculoſus eſt affectus, & præcipue dũ a ſemine corrupto, & frigidi veneni naturam adepto ortũ ducit, vt ait Gal. 6. de loc. aff. c. 5. quod vt plurimum lethale eſt.

Si vero cauſa refrigerans fuerit aer frigidiſsimus, vt eſt niuoſus, curationem admittit, ſimiliter ſi idem cõtingat ob venenum frigidum epotum, vt eſt opium, mandragora, hyoſciamus albus, cicuta, ſuccus lactucæ, curationem recipit per ea, quæ venenum eijciunt, ac eius vim infringunt.

Animi vero affectiones, vt ingens timor, vehemens gaudium, immoderata voluptas ſubito necare non poſſunt, niſi illos qui vitalem facultatem infirmã habent, vt Gal. ait 5. de loc. aff. c. 1. ideo in ſyncope ex timore graui, ac voluptate maxima mulieribus, & indoctis mori contingit, quibus enim vitale robur infirmum eſt, animi vero affectiones ob patientium imperitiam fortes, his animæ eſſentia facile diſſoluitur.

Similiter a forti dolore ventris vt 7. aphor. 26. ait Hipp. ſi partium extremarum frigiditas acciderit malum eſt, ſtomachi autẽ vitio quod ſyncope contingat, nemini dubium videri debet, nam nullum membrum, aut ita exactum ſenſum habet, aut ita vtrũq; principiũ, cor nempe, & cerebrũ vna ſecum afficit ſicut os ventriculi,

*Stomachicæ, & cardiacæ syncope quæ & cuius particulæ.* li, quę nãque ſtomachicæ,& cardiacæ ſyncopæ fiunt, huius particulæ ſymptomata ſunt,vt Gal.ait 1.de ſympt.cauſ.cap.7.

Nec mirandum eſt ſi eius dolores tum animi deliquia, tũ viriũ defectus comitantur, vbi.n.ex digiti offenſione aliqui videntur animo linqui,mirum profecto nõ eſt, ſi ex ſtomacho idẽ patiãtur, cum & propter eximiũ ſenſum, & propter ſitus vicinitatem duo principia in ſocietatẽ doloris aduocare poſſit, ideo quæ cardiacæ vocantur ſyncopæ tunc incidunt, cum quod in corde, & arterijs principiũ habetur cum ſtomacho laborat, ad eundem modum & pulſus priuatio,& paruitas,& prauitas eius accidit.

*Morbi cordis per eſſentiã non ſemper sũt deteriores his qui sũt per conſenſum.* Ex quo cognoſcere licet,morbos cordis per eſſentiãm nõ ſemper eſſe deteriores,quãm ſint morbi per conſenſum,ſi enim cor laboret intemperie calida,qualis in febre ephemera,ac etiam putrida eſſe ſolet,longe facilior curatio ſubſequitur, quam ſi patiatur per conſenſum a ſtomacho valde dolente, vnde ob eximiũ ſensũ oriri poteſt pernitioſa ſyncope.

Si contingat ſyncope ob defectũ ſpirituum vitalium pendentẽ a larga ſanguinis euacuatione, ſiue ſit per nares,ſiue per vterũ in mulieribus, ſiue quomodolibet, vel idẽ pendeat ab euacuatione alterius humoris,ſiue alimentalis,ſiue excrementitij, ſiue naturalis,ſiue præter naturam curationem admittit,dummodo virtus nõ ſit multũ infirma, aliter non reſtituuntur, ideo hydropici ſyncopen patientes ob longam aquæ euacuationẽ per ſectũ abdomen, moriuntur. Similiter ſi aderit febris continua acuta pendens ab humorib. tenuibus, quiq; facile exhalent, & retentrix ſit debilis, & pori lati,tunc ſi ſyncope acceſſerit,lethale eſt.

*Febris ſyncopalis minuta.* Accidit autem hæc febris,quæ ob ſyncopen præſentem,aut imminentem ſyncopalis vocatur, & illa quam minutam vocant, in ætate iuuenili,complexione bilioſa,tempore ęſtiuo,& regione calida,& ſicca,in qua ſi vires ſint imbecilles,febris exitioſa eſt,multo magis ſi phlegmone aliquod viſcus tenetur.

Præterea quod ob phlegmonem nefas eſt aſſidue nutrire, ſed tantum in remiſſionibus, at ſine aſſidua nutritione vires ſeruari non poſſunt ob aſſiduam diſſolutionem. Tũc igitur quam primũ mortifera illa facies apparet,quę ſolet accidere,ſiue ieiunauerint, vel aluus fluida præceſſerit, vel vigilauerint, vel triſtati fuerint, vel non cito nutriti fuerint.

At ſi

At ſi idem horum quorundam, vel omnium occaſione contigerit, minus malum eſſe putandum eſt, quam ſi abſque his ſint emaciati, quia ſi abſque his talis appareat ſpecies, pernitioſum eſt, atque hoc amplius, ſi a principio morbi hoc accidat.

Si vero deficiant ſpiritus ob corruptionẽ ſanguinis, vt cõtingit in febribus peſtiferis, lethale eſt, ſimiliter ſi idem contingat ob morſum viperæ, aut canis rabidi, curatio deſperanda eſt.

Si vero deficiant ſpiritus ob defectum materiæ chyloſæ, vel ob bulimũ, vel ob cruditatẽ, periculosũ valde eſt, ob bulimum, quia oritur cũ uirium imbecillitate ex refrigeratione ventriculi, ob cruditatem aũt quia cruditas nõ cito corrigitur, interim patiẽtes inopia alimentorũ conficiuntur, & copia excrementorũ ſuffocantur.

Si vero idem contingat vitio cholericæ paſsionis, malum eſt. Ob corruptionem autem materiæ acreæ, vt in prauo, & peſtilenti cæli ſtatu contingit, lethale eſt ob præſentiam febris peſtilẽtialis.

Si vero ſpiritus influentes deficiant, quia nõ generentur ob genitricis facultatis imbecillitatem, pernicioſum eſt, quia ad immodicas cordis intemperantias ſyncope ſubſequens lethalis eſt.

Si vero idem contingat, quia materiæ deficiant vitio viarũ obſtructarum, varie tum pro varietate materiæ obſtruentis, tum pro varietate loci obſtructi ſentiendum eſt, ideo ſi fuerit ſanguis in venis, aut arterijs redundans, tunc facile curabitur per venam ſectã, vt 2. de cauſ. pulſ cap. 2. ait Gal.

Licet dũ occupat arterias magis cordi officiat, quã dum venas.

At ſi ſit impactus in aliqua parte, videlicet in pulmone, & ibi inflammationem excitet, cuius vitio ſyncope oriatur, lethale eſt.

Similiter ſi ſpiritus deficiant, quia materiæ intercipiantur ob anginã, lethale eſt. Similiter ſi idem contingat ob aliquẽ tumorem frigidũ in pulmonibus ſubortũ, vel ſi citra tumorẽ humor frigidus in venis, ſed prõptius in arterijs contentus ita obſtruat, vt tranſitus materierum intercipiatur, lethale eſt, licet non ita ſubito illud contingat, vt accidit ob inflammationem, attamen ſuffocantur tãdem, non n. tam cito cauſa remoueri poteſt, quin ſyncope perſeuerans, & intenſior euadens patientẽ non ſuffocet, & eo magis, quia non cõcurrit cauſa priuatiua ſolũ, ſed etiam poſitiua, & ſuffocãs, quæ deterior eſt cauſa reſoluẽte, ideo ob duplicẽ, & geminatã cauſam mortem ſubſequi neceſſe eſt, vt Antipatro medico contigit.

Si

Si vero calor inſitus cordis ſuffocetur a materiā ſãguineā, quæ ſua copia, pondere, & craſſitie, aggrauet, premat, & obſtruit, & obſtruendo calorem innatum ſuffocet, vt contingit in habitu plethorico, hæc ſecta venā, & attenuante ac tenui victus ratione adhibita ſtatim ſoluitur, quemadmodum ſupra dictum eſt, dum ab eodem, intercepto tranſitu materiæ alimentalis, priuatur alimento.

Si vero idem operentur humores pituitoſi, qui ſimul copia, lentore, craſſitie, & frigiditate calorem innatũ cordis ſuffocant, ſyncope periculoſa eſt, at longe periculoſior eſt, ſi in venis putreſcãt febremque accendant, adſitque vnà etiam ſuperioris oris ventriculi imbecillitas, tunc enim conſurgit febris illa, quam ſyncopalem humoroſam vocant], in qua vnà cum multitudine craſſorum, crudorumque humorum ſuperius os ventriculi languet.

*Febris ſyncopalis humoroſa, quæ.*

Ideo multipliciter pernitioſa eſt affectio, & animi deliquium multipliciter inducit, primo quia animal non nutritur, nã alimenti, ſi quid ſit in venis, tranſitus (vt ſupra dictum eſt) intercipitur, crudi autem humores nutrire non poſſunt, antequam coquantur, vt 12. meth. cap. 5. ait Galen.

Secundo pernitioſa eſt, ac animi deliquium inducit, quia calor inſitus cordis ſuffocatur, & ſtrangulatur, & tẽperamenti ſymmetria, vt ibid cap. 3. habet Gal. corrumpitur, ad quod mortem ſubſequi neceſſe eſt, nam dum humores multitudine ſua grauant, & tranſpirationes obturant, calor nõ perſpiratus ſuffocatur, quod ſi non obturent, nec grauent, ſyncopen non inducunt.

Sed tamen quia corpus nutrire non poſſunt, patientes animo exſoluuntur, niſi frequentius alantur, & eius curatio difficillima eſt, quia omnino euacuatione indigent, at vacuari ſenſibiliter nõ poſſunt ob virtutis imbecillitatem, & ob imminentem ſyncopen, & ſi pulſus hic paruus admodum infirmuſque ſit, àut etiam ſupra hæc vehementer inæqualis, ſcire licet extremum vitæ periculum ſubeſſe.

Quod ſi aliquod in viſceribus, vt ventriculo, vel hepate, phlegmon contineatur, aut humores crudi ſint multi, & ſimul putridi, tunc omnino curatio deſperanda eſt, & præſertim ſi virtus languida, & imbecillis fuerit, quod ſi cum maxima inæqualitate pulſus extiterit, tunc mortem prope adeſſe ſciendum eſt.

Si ve-

Si vero calor inſitus cordis prematur a materia cibali, aut humoroſa, ſiue ſit alimentalis, ſiue excrementitia, aut naturalis, aut præter naturam, in ventriculo contenta, ſi vires ſint validæ, ſyncope incidens curationem admittit, vel faciliorem, vel difficiliorem pro ratione copiæ, & malæ qualitatis materiæ, quam patientes in ventriculo condunt, at ſi virtus fuerit infirma, hi ſubito moriuntur.

Si vero calor inſitus cordis ſtranguletur vel ſponte, vel laqueo, vel alia ratione, & ſpuma circa os apparuerit, vt Hipp. ait ſecundo aph. 43. non reficiuntur, vel vt addit Galen. ibidem raro reuocantur.

At ſi idem contingat ob apoplexiam, vel epilepſiam malignam lethale eſt, iuxta illud Hippoc. 2. aph. 42. ſoluere apoplexiam fortem difficile eſt, leuem vero non facile. Vnde Auicen. 11. 3. t. 2. cap. 6. ait, cum in cerebro accidit oppilatio integra, & eſt apoplexia fit ſyncope procul dubio, addo ego ex Hippoc. & lethalis ſyncope eſt.

Si vero ſyncope ſequatur ſtrangulationem vteri, vt plurimum morbus terminatur ad mortem.

Si vero idem accidat in febribus malignis, & peſtilentibus, ob putres, & veneficos vapores ad cor delatos, lethale eſt.

Similiter ſi accidat ſyncope ob aliquam inflammationem, ſiue ſit ventriculi, ſiue pulmonis, ſiue hepatis, vt plurimum lethale eſt.

Cor autem nullum tumorem ſuſtinere ſatis apertũ eſt, vt Gal. ait 5. de loc. aff. cap. 2. periculoſum eſt etiam ſi contingat ſyncope ob externum aliquem malignum tumorem, aut ob vlcus depaſcens, nec minus in cholerica paſſione, propterea quod cor vehementer læditur ob corruptos vapores ad illud elatos. *Cor nullũ tumorẽ ſuſtinet.*

At vero a grumo ſanguinis calor innatus cordis ſtranguletur, ac fere ſemper lethale eſt, ſiue grumus ſit in veſica, ſiue & multo promptius in inteſtinis, ventriculo, atque thorace, nam animi defectio, & pallor ſequi ſolet, pulſus vero paruus, obſcurus, frequens apparet, & laborans ipſe cum anxietate reſoluitur, quemadmodum etiam in magnis muſculorum vulneribus ſæpenumero accidit, vnde & putredo partium, & mortificatio ipſum ſequi ſolet, vt Gal. ait 6. de loc. aff. cap. 4.

Si ſyncope contingat ob malos vapores a vermibus cuius elatos

tos curari poteſt, vt etiam (licet periculoſius ſit) ſi a mortuis idem contingat.

In locis ſubterraneis, & concluſis aer veneficus, ac ſubito enecans continetur, ideo qui in foueis ſubterraneis nuperrime apertis, nondum perflatis repente ſe coniecerunt, illico mortui ſunt, non ſecus ac ſi lethale venenum, quale a feris veneficis eiaculatur, hauſiſſent.

## *DE MATERIA CHYRVRGICA, in lipothymia, & ſyncope, tum præſente, tum imminente adminiſtranda. Caput Quinquageſimum quintum.*

*Extra ſyncopen quid agendum.*

VISIS præſidijs, reliquum eſt modo, vt ad præſidiorum materias accedamus. Igitur ſi in ſyncope immineat ob copiam ſanguinis, ſiue ſit benignus, vt in plethora, ſiue aliquantulum ab hac recedat, illico ſanguis, & magis quo beniguior eſt, detrahendus eſt ſi ætas, & vires ferant.

*Si morbus eſt magnus ſecanda eſt vena.*

Hac tamen adhibita diſtinctione, vt ſi morbus eſt magnus, & ætas, & vires ferant, non debemus vti materia leuis præſidij ſanguinem vacuantis, ideo nõ debemus admouere cucurbitulas nec affigere hirudines.

Multo minus ſunt adhibendæ frictiones, ligaturæ, aut ſola inedia imperanda eſt, & reliqua, quæ materiæ magnorum præſidiorum non ſunt, ſed illico ſecanda eſt vena, vt morbo magno magnum remedium proportionaliter reſpondeat.

Quamuis hoc ſumma cum dexteritate ſit faciendum, quia vt monet Galen. 1. ad Glauc. cap. 14. qui ex euacuationibus diſſoluuntur, confertim refici poſſunt, at qui ex multitudine ſuffocantur, non ita confertim euacuari debent, multo enim tutior, ac ſecurior eſt conferta refectio, quam conferta euacuatio, abſolute tamen plurimum, atq; repente euacuare, vel replere vt ait Hippoc. 2. aph. 51. periculoſum eſt.

Igitur in ſyncope imminente ob peccatum ſanguinis in quanto, qui ſiue ſit ſanguis bilioſus, ſiue pituitoſus, ſiue melancholicus, debet eſſe ſanguis, non alius humor, non enim detrahendus

eſt

eſt ſanguis in legitima cacochymia, & quibus iā ita mutatus eſt, vt amplius ſanguis non dominetur, vt Gal.3.in 6. de morb.vulg. t.43.teſtatus eſt, ſed vbi dominium obtinet, & pro ratione dominij, quod idem eſt, ac ſi pro ratione virium dicas, euacuandus eſt, ideo vbi minus dominij obtinet, parcius etiam euacuādus eſt iuxta ſententiam Galen.4.de tuen.val.cap.4.vt aut partiendus ſit, & interdum guttatim fluere ſinendum, vel euacuetur per cucurbitulas, hirudines, quæ tutius feruntur, & ſi ſanguis æquabiliter per totum corpus diffuſus ſit, ac ibi quieſcat, cum a qualibet vena licet totū corpus inanire, quamuis non ęquè celeriter, neq; ſimile, vt 2. de rat.vic.t.10.ait Gal.ideo licet educere è brachijs, è ſpatulis, vel a poplitibus, vel a ſaphena, in cruribus ab hæmorrhoidibus, & ab vtero. *Sanguine peccāte in quiete, q̄d agendum.*

Similiter licet admouere cucurbitulas, & ſuperioribus, & inferioribus partibus, attamen ſatius eſt conſiderare, num ſanguis ad aliquam corporis partem ſua ſponte inclinare ſoleat, num ſcilicet ad venas hæmorrhoidales, vel ad vterum, vt in mulieribus, ac inde qui euacuandus eſt educere pro virium tolerantia, dummodo aliquis partis affectus euacuationem non prohibeat.

Si vero ſanguis nullam propenſionem habeat, ſecetur vena communis, vel baſilica dextri brachij, aut ſiniſtri ſi ſyncope pendeat a vaporibus.

Si vero ſanguinis peccatum non ſit æquabiliter per totum corpus diſperſum, ſed tantum in aliqua parte ſubſiſtat, vt circa vterum in mulieribus, tunc vires ſunt firmiores, & omnino ſecandæ ſunt venæ inferiores, nam cum mulieribus menſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſunt, vteri vaſa plenitudinem ſanguinis continent, quæ ſectis venis crurum commode tollitur.

Idem afferēdum eſt ſi cuipiam venæ hæmorrhoidales alias ſanguinem fundere ſolitę, occludantur, vel, ſi quid earum aperitionē, vt interdum nimia earum imbecillitas eſſe poteſt, prohibeat, tunc venæ crurū ſunt ſecandæ, nec minus ſi ſanguis, qui a naribus fluere conſueuerat ſupprimatur, & circa ſuperiores partes cōſiſtat, tūc venæ brachiorum ſunt ſecandæ, multo liberalius euacuādus eſt ſi ſola quantitate peccat, quia dum ſanguis ſola copia peccat, vt plurimum virium fortitudo adeſt, vt Galen. ait, libro de placit. cap.ſeptimo.

Cogno-

Cognoſcitur autem ex firmis,& validis actionibus,& pręcipue ex pulſus magnitudine,& vehementia,cum æquabilitate.

Quod ſi vna cum copia etiam iungatur conſtipatio meatuum, tum pro certo habendum eſt, quod niſi his, qui hoc ſunt habitu præternaturali,vena ſecetur,ſanguiſq; educatur, quantũ vires fer re poſſunt,vt Galen.ait 9.meth.cap. 5.fore vt vel ſuffocentur, vel ſyncope apprehendantur.

*Sanguine motu peccante quid agendum.* Si vero ſanguis peccet motu,tunc per ſe nulla ſanguinis miſſio indicatur, ſed tantum eius reuocatio ad contrarium ſui motus, ideo neque venam ſecare,neq; cucurbitulas admouere, neq; hirudines affigere propter euacuationem cogimur,ſed tantũ,vt motum eius compeſcamus,hæc omnia adminiſtramus.

Ideo in hoc caſu ſi fiat euacuatio ſanguinis, illud eſt per accidens; Idem dicendum eſt de peccato in qualitate non omni, ſed penes caliditatem, quæ cum indicet eſſe refrigerandum, & per ſanguinis euacuationem refrigeretur, ideo per accidens ſanguinem euacuamus.

Si vero ſyncope immineat a ſanguine non multum copia peccante,aut vires ſint imbecilles,aut ætas non ferat, aut morbus nõ ſit magnus, tunc vtimur paruo remedio, ideo tunc ſufficit fictio, ligatura,inedia, balneum, & his ſimilia,& hæc de peccato ſanguinis,vt eſt morbi cauſa principalis.

Si vero ſanguis nõ ſit cauſa principalis,ſed ſecundaria,vt contingit dum ſyncope fouetur ab humore bilioſo, pituitoſo, aut melancholico,quorum tamen permixtus eſt ſanguis, tũc ſecanda eſt vena,minus tamen liberalior,quia vires liberalem ſanguinis euacuationem ferre non poſſunt.

Si vero ſanguis non ſit permixtus cum humore peccante, adſit tamen plenitudo eius in venis, debet ſimiliter euacuare, vt cauſa ſine qua non poteſt tuto fieri curatio,imminet enim periculũ, ne propter eius copiam moueatur, & confluat ad partem læſam, & hac ratione colica laborantibus, ac eryſipelate correptis interdum ſecatur vena.

Si vero neque ſanguis peccet, neque cum cauſa ſyncopen producente ſit permixtus, aut nullo modo in corpore redundet, nullamq; cauſæ rationem ſubeat, tunc ab eius euacuatione abſtinendum eſt, & ideo Auicen. de med.cor.t. 2.cap. 2. ait in ſyncope ex

frigiditate

frigiditate cordis phlebotomiam obeſſe, & multo magis oberit, ſi copia frigidorum, crudorum, & craſſorum humorum adſit, vt in febre ſyncopali humoroſa.

At ſi materia peccans ſyncopenq; producens ſit iſtius conditionis, & continuè generetur, & continuè ab aliqua parte cõfluat in cor, vt materia catarrhalis a capite, bilis a iecore, ſeroſa ſuperfluitas à liene, vel ſuperfluitas menſtrualis ab vtero ad cor confluere ſolet, tunc vt continue generatur, ei competit præſidiũ continue educens, cuius materia erit fonticulus, & tunc vel habet rationem præſidij deriuantis, & fieri debet in aliqua parte proxima membro mandanti, vt ſi materia fluit a capite ad cor, fonticulus debet fieri in brachijs.

Si vero habeat rationem pręſidij reuellentis, conuenit in ſutura coronali, & factus in cruribus reuellit materiam a iecore, & ab vtero, dum fluere tentat ad cor.

At ſi materia continue non generetur, ſufficiunt purgationes, frictiones, ligaturæ, pro tempore adminiſtratæ, ſed de medicamẽtis purgantibus fuſius in ſequenti, & hæc ſunt quæ adminiſtrari a rationali medico debent, quantum attinet ad materiam chirurgicam, dum æger eſt extra paroxyſmum.

In paroxyſmo autem, qui eſt repentinus càſus virium, quid agendum? Procul dubio in caſu virium aſſerere, vt quidam aiũt fortitudinem earum adeſſe, extremum deliramentum eſt, quia è diametro caſus fortitudini repugnat, niſi ſe declarẽt, vires ſaltem valere, quo ad partes carnoſas, & ſpermaticas, quia abſolute in ſyncope vires cadunt quomodocũque contingat, cum ſpiritus influentes, vt fundamentum viuentis, vitæ, & quæ in corde radicatur, & quæ a corde cõfluit ad partes carnoſas, & ſpermaticas principaliter, & immediate, licet diuerſimode, inſeruiant. Ideo dicimus, quod licet omnis ſyncope ſit ſumma virium infirmitas, tamẽ difficilius reficietur patiens a ſyncope mala valentibus carnoſis & ſpermaticis, quam ipſis conſtantibus, ac firmis, attamen nos aſſerere non poſſumus, deficientibus ſpiritibus vires firmas eſſe. *In paroxyſmo, quid agẽdũ eſt.*

Cum igitur vitalis virtus cadit, firma eſſe non poteſt, ergo in eo caſu nunquam ſecanda erit vena, ſed ſolis frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, alijsve leuibus materiebus inſiſtendum erit. *Vires deficiente: valida eſſe nõ poſſunt.*

Excipitur tamen quando multitudo, & copia ſanguinis ſyncopen

pen

pen producit, vireſque ſuffocat, quæ nondum tamen vehementer reſolutæ ſunt, ſed vt ait Gal. 12.meth.cap.1.reſoluuntur tantum.

Igitur ſi reſoluantur tantum ob præſentiam ſyncopes, quæ affectio eſt magnum ſymptoma ſemper plurimi faciẽdum, vt ſupra viſum eſt, & reſoluantur, ideſt, ſuffocentur ob nimiam ſanguinis copiam eas prementem, & ſuffocantem, cogimur regulariter confugere ad abſcindendam cauſam, illa enim eſt, quæ maximi indicantis potentiam & vim habet, & ratio eſt, quia calor innatus ab ea copia ſuffocatur, præterea nequaquam fieri poteſt, vt aliquis affectus tollatur vnquam, vt Gal. ait. 7.meth.cap. 12. eius cauſa, aqua producitur, manente. Ideo Hipp. 4. de rat. vict. 28. ait, lumborum tetanum, atque in melancholicis per venas ſpirituũ interceptiones cum fuerint, ſanguinis detractione ſoluũtur, & Gal. ibid. per venas ſpirituum interceptiones interpretatur pulſus & reſpirationis priuationem, quas aſphexiam & apneam græci vocant.

Igitur ſecanda eſt vena in actu ſyncopes ex copia ſanguinis, quia vacuatio eius celerrimam affectui opem fert, ideo nos tunc, quantum vires deiectæ ferre poſſunt, per venæ ſectionem neglecta pro exiguo illo diſpendio, quòd ſequi ob ſectam venam poteſt, & præcipue tolerante virtute cauſæ tollendæ incumbimus, vt a Gal. colligitur 11.meth.cap.2. cum ad ablationem cauſæ citiſſimam, ac ſecuriſſimam ſymptomati opem feramus.

Quod etiam cognouit Auicen. lib. de med. cord. t. 2. cã. 2. dum dixit phlebotomiam prodeſſe debilitati ex copia ſanguinis, vbi per debilitatem intelligit ſyncopen, cui prodeſſe ait venæ ſectionem, idem ait quarto primi capituli de phlebotomias, nam quotieſcunq; indicantia ſunt paria, virtus primum locum obtinet, ideo præferenda eſt omnibus indicantibus.

At ſi ſint imparia, quemadmodum in præſenri caſu contingit, vbi copia ſanguinis calorem innatum ſuffocantis ſyncopẽ producit, & ita producit, & fouet vt nullo modo tolli poſſit præſente cauſa, poſtpoſito virtutis exiguo detrimento, vt minus vrgente, confugimus ad abſcindendam cauſam, quã ablata ſtatim ſyncopes deſinit.

Nec eſt quod quis ſuccenſeatur virtutem deſpici, quia ipſa virtus vitalis pro hoc tantum deſpicienda eſt, quia habetur pro permittente, ideo poſtponitur cauſæ, tanquam magis vrgenti interim

rim

rim virtutem minus vrgentem & reficimus, & roborámus & hoc modo dicimur reſpicere vires.

Reſpiciuntur autem, quia venæ ſectio duo facit in hoc caſu, primo imminuit quidem ſpiritus, qui vna cum ſanguine diffluunt, quod malum eſt, attamen habet rationem permittentis, quòd niſi eſſet, non mitteretur ſanguis, ſecundo prementem ſarcinam, quæ principalis, & ſola morbi cauſa exiſtit, exonerat, quia ablata vita ſtatim reſipiſcit, quòd optimum eſt.

Perpendendum eſt igitur, quid ſit vtilius viuenti, an ſeruáre vna cum exigua illa ſpirituum portione illam prementem, ac ſuffocantem ſarcinam, quæ quam primum hominem enecat, an potius illam vna cum paruo illo ſpirituum diſpendio deponere, ac hominem a ſuffocatione vindicáre?

Procul dubio ita vires reſpiciendæ ſunt, vt vel eas ſemper integras ſeruemus, vel ſi cogamur eas imminuere, vt eas tantum, quãtum permittunt imminuamus, ideo talis iactura ſpirituum, cum talem ſanguinis euacuationem permittat, in tanto quæſtu poſtponenda, atque deſpicienda eſt.

Sic itaque bene ſancitum eſt in actu ſyncopes pendentis a ſanguine primam indicationem, quæ inſurgit eſſe euacuandi ſanguinem, ſecunda vero eſſe ſeruandi, ac roborandi virtutem, eo modo quo dictum eſt.

Vires autem cum ſint plurium generum vt Gal. ait 12. meth, cap. 5. nos in præſenti cæteris poſtpoſitis conſiderámus vitales, & eas, quæ principaliter ſunt vitales in ratione cauſæ efficiẽtis, quæ ſunt in corde, & hæc, vt ibid. ait Gal. vel attenduntur penes eſſentiam ſpirituum, vel penes eſſentiam ſolidorum corporum. *Vires multipliciter eſſe dicuntur.*

Si conſideretur fortitudo virium penes eſſentiam ſpirituum, hi ita cuſtodiendi ſunt, vt conuenienti quantitate, & qualitate naturaliter, & bene ſe habeant, ſunt. n. corpora tenuiſſima ex ſanguine, & inſpirato aere conſtantia, ideo vt tenuiſſima ſunt facillime diſſipantur, & vt ex caducis conflata, alterationi, & corruptioni ſunt obnoxia, & his patientibus calor inſitus cordis corrũpitur.

Hos defectus tangit Gal. ibidem, dum ait nonnullos mori alias ſpiritu ipſo deperdito, vbi eius corruptionem completam, alias alterato, vbi malam eorum qualitatem contractam, aliquãdo ex parte digeſto, vbi eorum imminutionem ſignificat.

Vel virium fortitudo attenditur penes ſubſtantiam ſolidorum corporum, per quæ partes ſpermaticæ intelligendæ ſunt, quæ ſimiliter ita cuſtodiendæ ſunt, vt quantitate, & qualitate optime ſe habeant, quantitate quidem, quia ſi aliqua pars ex præcipuis extenuetur, aut contabeſcat, aut alia ratione mutilata ex parte deficiat, protinus etiam totum viuens collabi neceſſe eſt.

Hanc autem nutrimento reparamus, ne atrophia contabeſcat, atque extenuetur, aut morbi alicuius longitudine, vel acutie liquetur, qualitate autem, quia ſi eorundem ſubſtantia vehemēter alteretur, aut corrumpatur, ſimiliter animal corrumpitur.

Subſtantiæ enim eorum temperie mutata, vt cum immodice fuerit calefacta, vel refrigerata, vel madefacta, vel ſiccata, aut horum aliquibus complicatis affecta, vt ibid. ait Gal. protinus animi defectus, ſyncope, & mortes contingunt.

*Dubitatio* Verum quis dubitare poſſet, quare Gal. 12. meth. cap. 5. enumerans fortitudinis virium ſpecies, neglexit illam, quæ penes carnoſas partes reperitur, nam 11. meth. cap. 3. ſtatuit virium ſubſtantiam, tum ex ſpiritu, tum ex carnoſa ſpecie, tum ſolidis ipſis compleri, ac vnamquamque proprio alimento ſeruandam eſſe, & 10. meth. cap. 11. ait partes corporis diſtingui in carnoſas, & ſolidas, & ait carnoſas proprie vocatas ſolis adnaſci muſculis, quæ vero inteſtinorum, ventriculi, ſtomachi, vterique fibris adnaſcitur, ſine nomine eſſe, at caro luciditatis gratia vocetur, quæq; a malignis febribus liquata reparatur ad differentiam ſolidarum partium, quæ nullo pacto reparantur.

Cum igitur in febribus malignis, & colliquantibus portio carnoſa deperdatur, & per conſequens ſumma imbecillitas conſequi poſſit penes genus carnoſum, ideo videtur male feciſſe Gal. prætermittens hanc imbecillitatis ſpeciem.

*Solutio.* Cui dubitationi reſpondetur facillime, quod Galen. hanc imbecillitatem prætermiſit, quia non propoſuerat agere de omnibus imbecillitatum ſpeciebus, ſed tantum de illis, vitio quarum poteſt contingere ſyncope, at ſyncope accidit propter imbecillitatem penes ſpiritus, & penes partes ſolidas tantum, nequaquam autem penes partes carnoſas, quare illam neceſſario negligere debebat.

Sic itaque concludendum eſt, quod dum multitudo ſanguinis ſynco-

ſyncopen producit, tunc cauſam, à qua validiſſime ſyncope fouetur primo reſpicientes per venæ ſectionem tollimus, quod multo ſecurius adminiſtratur, quia ſanguis peccat in quanto excedente, cum virium fortitudine ſaltem vt attinet ad partes ſpermaticas, licet vt attinet ad ſpirituoſas detrimentum patiantur, atq; hæc indicatio, vt magis potens antecellit illam, quæ a virtute deſumitur, non tamen propter hoc virtus negligitur, cum illa etiam poſt hanc indicet ſui cuſtodiam, vt ſupra dictum eſt.

Præterea quia in quacunque ſyncope ſubſequitur aggregatio ſanguinis, & ſpirituum circa, cor, ideo fricanda ſunt extrema, ac artubus ligaturæ ſunt admouendę, & eo libentius ſi ſyncope fiat ob ventris fluxum, aut ob ingentem timorem.

Secus ſi ſequatur cutis raritatem, aut humorum, & ſpirituum tenuitatem, quia tunc cutis flabellanda eſt, ac cum frigidis, ſtipticis, & adſtringentibus denſanda, ſimiliter derepente caua manu aqua excepta in faciem conijcienda eſt, vt abſque ſpirituum diſſipatione a ſymptomate excitetur.

Præterea in actu ſyncopes vox vnius clamantis, vt monet Aetius prodeſt, quemadmodum multorum obeſt, ſimiliter auellendi ſunt capilli, & barba, contorquendi ſunt digiti, nares apprehēdendæ, artus ligandi, & fricandi, & cum dexteritate os vi aperiendum eſt, atque aliquid intus mittendum eſt, quod vim excitandi habeat, vt ſal, vel theriaca. *In actu ſyncopes vox unius clamantis prodeſt.*

Similiter os ventriculi confricandum eſt, & excitandus vomitus in omni ſyncope, ſed vt monet Gal. & Auicen. excipitur illa, quæ ex humorum tenuitate, & cutis raritate, aut quæ fit ab alia cauſa mouente ad extra, vt contingit in copioſo ſudore, gaudio, voluptate, his enim in caſibus motus, & ſpirituum agitatio ſedanda eſt.

Præterea in ſyncope naribus admouenda ſunt odoramenta ex aqua roſacea, aceto, vino cum aromatibus, niſi febris acuta adſit, ſimiliter aduertendum eſt, ne ſyncope ſit cum vteri præfocatione, vt in mulieribus contingit, quia illæ odoramentis naribus admotis quam maximé læduntur, quemadmodum maxime iuuantur à fętidis eodem modo adhibitis, vt eſt caſtoreum, aſſa fętida, galbanum, pennæ auium, & calceamenta vetera combuſta, e contra vero ſi infra odoramentis ſuffiantur, vt muſcho,

ambra, ſtorace, & reliquis bene olentibus ſummopere leuantur, ſed hæc de chirurgia ſatis.

## *MEDICAMENTA, QVAE LIPOTHYMIAM, & ſyncopen tum imminentem, tum præſentem reſpiciunt. Caput Quinquageſimum ſextum.*

QVAMPLVRIMA, quæ ſupra cap. de cordis palpitatione enarrata ſunt, curationi ſyncopes fauere videntur, ideo multa ſupponentes compendioſius de eis agemus.

Vel igitur curationem ſyncopes aggredimur extra paroxyſmum, & ita intentio tota dirigitur ad abſcindendas cauſas eius, quod ad præſeruationem attinet.

Vel aggredimur eam in paroxyſmo, & ita vniuerſa medentis intentio dirigitur ad releuandum, erigendumque ægrum a caſu, quod fit per ea, quæ vitalem virtutem reficiunt, affectionemque vt ſyncopes cauſam tollunt.

*Curatio in paroxyſmo per medicamẽta.* Ideo in paroxyſmo communis ſanatio omnis ſyncopes eſt, vt odorata naribus admoueantur, hac tamen cautione adhibita, vt non pendeat a præfocatione vteri, vt mulieribus hyſtericis contingit, tunc enim neglecta eo modo virtute, & dimiſſis odoramentis, fętidiſſima naribus offeruntur, vt vterus refugiens deſcendat, ſic enim ablata cauſa ſyncopes, ſtatim ſyncope ipſa tollitur, virtuſque citiſſime reficitur.

Cæteris vero omnibus ſyncopes ſpeciebus tollendis mirum in modum ſuaueolentia conferunt. ſed cum hac diſtinctione obſeruãta, vt in ſyncope a cauſa calida producta odoramentis frigidis, vel ſaltem temperatis vtamur.

*In ſyncope a cauſa calida.* Ideo in ea conueniunt acetum, vel vinum valde dilutum, roſæ, ſantali, violæ, nenupharis, camphora, & his ſimilia.

*A cauſa frigida.* In frigida vero, conuenit merum, quòd ne dum odorandum eſt, ſed etiam vel ſolum, vel vna cum modico panis torrefacti in eo madentis, ac aqua calida diluti ori indendum eſt, ac cogere ad deglutiendum, cum nihil citius reficiat, quàm vinum odoratum.

Simi-

Similiter conuenit odor ambræ, muſchi, caryophyllorum, croci, pulegij, menthæ, nucis muſcatæ, & aliorum huiuſmodi. Similiter cõi ſanatione omnes excitandi ſunt, clamãdi, omnibus nares apprehendendæ ſunt, facies inſpergenda eſt, pili euellendi ſunt.

Verum dicamus particulatim de vnaquaque quid ſit agẽdum, itaque qui ſyncopen patiuntur ob multam caliditatem ſpiritus & calorem innatum diſſoluentẽ, quod in balneo vel hypocauſto diu morati ſint, his antequàm cõcidant, acetum & pulegium odorandum præberi debet, nam eorum odore teſte Gal. 9. de compoſ. medic. ſec. locos, præſeruantur a caſu. *Particularis rõ curandi in qualibet ſyncope. In affectu calido.*

At iam correptos confeſtim, vt Aetius ait lib. 5. cap. 109. roborare oportet frigida aqua inſperſa, illinc aſportandi ſunt, aut aperiendæ ſunt feneſtræ thalami, & ventilatione, ac flabellatione facta, vel ægro ad ventum conuerſo irroretur facies aqua frigida, cui ſi quid muſchi admiſceatur optimum eſt.

Hoc enim ad caloris innati tutelam, illud vero ad ægrum excitandum ſine ſpirituum diſpendio plurimum fauet, fricandũ etiã, ac lancinandum eſt os ventris, poſtea excitato patienti vinum ac cibi dandi ſunt, vt a præterlabente affectione celerius ac firmius reficiatur.

At ſi cor calida intemperie laboret, tunc validius refrigerandum eſt, quam ſupra dictum ſit, ideo roſæ, ſantali, violæ, nymphæa, camphora naribus offerenda ſunt, nam & refrigerant, & grato odore virtutem reficiunt. Præterea conuenit odor lactucæ. laudat Auic. odorem cucumeris ſatiui. *In intẽperie calida ſine materia.*

Circa cordis regionem adminiſtrãda ſunt epithemata ex aqua roſacea, violacea, de nenuphare, de endiuia, de lactuca, additis pulueribus ſandalorum, roſarum cum cãphora & aceto, ac croci modico, præterea conueniunt linimenta ex vnguento roſato, ſandalino additis ſpeciebus cord. temperatis, conuenit multa aeris frigida inſpiratio.

Sed ſi ventriculus, aut iecur cauſam calidã cõtineant per os magis conueniunt refrigerantia, qualia ſunt aqua endiuiæ, lactucæ, nymphęæ, ſolani, aqua lactis, lac acidũ, extrinſecus cõueniũt cataplaſmata refrigerãtia, vt ſunt palmulæ aceto maceratæ addita farina hordei cocta in eodẽ aceto ad mellis cõſiſtẽtiã, deinde cũ ſucco cucurbitæ, lactucę, ſolani, ænãthi, portulacę, sẽperuiui, addito ma-

ſtice, vel mentha fiat emplaſtrum ſtomacho æſtuanti admouendum.

Similiter conueniunt illitiones ex oleo mellino, roſato omphacino, mirtino, & alijs huiuſmodi, per os vero conuenit ſuccus limonum, arantiorum, granatorum, acidum citri conditum, lactuca condita, vel ſyrupus eius, ſimiliter conuenit ſyrupus roſatus, violatus, acetoſus, de ſucco citri, limonum, granatorum, de ribes, de nimphæa, de papauere, trochiſci de camphora.

*In intemperie calida cũ materia.* Quod ſi calor ſit cum præſentia materiæ venenoſæ ac erodentis, qualis eſt arſenicum, argentum viuum ſublimatum, tunc quanto citius fieri poteſt excitetur vomitus, cum oleo, butyro, vel aqua calida ſimplici, vel his permiſta, vel lacte vaccino, vel bubulo, conueniunt clyſteres ex hiſmet parati.

*In intemperie frigida.* Contrariam medicamentorum rationem ſeruare oportet in frigida cordis intemperie, ideo ſi patiens in paroxyſmo ſit conſtitutus, tunc vt ad ſe reuertatur calefaciendus eſt ad ignem, ac fricādus, ac ligaturis circa artus conſtringendus eſt, & manus & pedes calidiori aqua fouendi ſunt, pili auellendi.

Præterea odorata ei obijciantur vt citra, pira, aurantia, pulegium, calamentum, origanum, ſed præcipue vinum generoſum, carnes toſtæ, quales ſunt perdicum, phaſianorũ, caponum, columbarum, porcellorum, ac cogere aliquid ad deglutiendum.

Item regioni cordis calida epithemata admouenda ſunt, vt de meliſſa, de borragine, de ſpica aromatica, de mētha, ac cæteris huiuſmodi ſupra deſcriptis, item conueniunt inunctiones ex oleis calefaciētibus & præcipue de croco, de cinnamomo, de caryophyllis, ex theriaca confectis.

Reſumpto ægro exhibenda ſunt per os theriacā mithridatiũ, diambra, diamoſchus, confectio alchermes, de hyacinto cum gentiana, & alia huiuſmodi, quæ ſupra deſcripta ſunt.

*Si ſyncope fiat ob bulimũ.* Quod ſi ſyncope oriatur ob bulimum, tunc non ſolum calefaciendum eſt, ſed etiam inſtaurandum, quare conuenit vinum aqua calida dilutum, ac cogere, vt ipſum transglutiat, ac ad penetrales corporis partes citius perueniat, adhuc conuenientius eſt ſi deſtillato, aut aquæ carnis miſceatur, cum hoc modo magis nutriat, ac minus tenuem, & flexibilem ſubſtantiam præbeat, ac

ſecurior tunc erit vini exhibitio, quæ ſincera interdum plurimum obeſſe poſſet & præcipue ſtomacho ieiuno, vbi imminet periculum ne patientes a conuulſione & permiſtione rationis corripiantur.

Cum enim ob bulimum ægri longa inedia torqueantur, non ſolum nullam ex meri potu vtilitatem capiunt, ſed plurimum offenduntur, ſi antequam cibum aſſumant merum potauerint, vt Gal. ait 2. aph. 21.

Idem Auicen. teſtatus eſt, Reaſſumpto autem ægro, offerenda ſunt contuſa ad comendendum, ac carnes toſtæ ad odorandum, nam patientes mirifice gratis odoribus reficiuntur, & præſertim eorum, quæ humana corpora plurimum alere apta ſunt, vt ſunt carnes & vinum.

Præterea conueniunt oua ſorbilia, alica cum vino, compendioſiſſimum enim vt Aet. ait lib. 9 cap. 6. auxilium ex cibo ſperare poſſunt, quem etſi oblatum accipere non poſſunt, ori indere oportet violenter, ac cogere vt ipſum tranſglutiant, tunc enim & a fame, & ab imminenti animi deliquio liberantur.

His igitur omnino interdicendum eſt longior ciborum aſſumptio, atque inedia, vt malum valde ſit eis alternis tantum diebus cibum offerre, cum potius ſolerti ratione ſingulis horis ſimpliciſſimum, modicumque cibum dandum eſſe conſtet.

Quod ſi ſyncope pendeat a veneno frigido aſſumpto, tunc, vt de calido dictum eſt, prouocandus eſt vomitus, cum oxymelle ſimplici vel compoſito, quod ſi deſcendiſſe videatur cum clyſterijs additis hyeris educendum eſt, ventriculuſque & cor calefacienda ſunt; tum per ea, quæ intus aſſumuntur, tum etiam per ea, quæ extrinſecus, vt ſupra propoſitum eſt, admouentur. *Si pendeat a veneno frigido.*

At ſi pendeat a ſanguine corrupto, vt mulieribus hyſtericis contingit, tunc frigidi, ac venenoſi halitus vinculis frictionibus fortibus circa crura & coxas adminiſtratis deorſum euocandi ſunt, vel cucurbitulæ ibidem cum ſcarificatione affigendæ ſunt. Reſumpta a ſyncope venæ pedum ſecandę ſunt, habita ratione ætatis, & virium. *A ſanguine corrupto.*

At ſi morbus pendeat a ſemine retento, & corrupto, ac in veneni frigidi naturam conuerſo, quod longe grauiora ſymptoma-

ta inducere ſolet, tunc præter prædictas deriuationes euocetur corruptum ſemen ab obſtetrice immiſſo in vuluam digito ex oleo aliquo odorato illito, quale eſt liliaceum, rutaceum, laurinum, irinum, ſtorax liquida addito muſchi aut ambræ momento.

Similiter ſuffiatur vterus odoratis, vt ambra, muſcho, cinnamomo, caryophyllis, mirrha, ſtorace, gallia muſcata naribus autem graueolentia admoueantur, vt caſtoreum, galbanum, aſſa fętida, auium pennę, ac calceamenta vetera combuſta.

Extra paroxyſmum vtatur victu tenui, nec ſanguinem mittat, verum antequam morbus contingat, valde confert ſectio venę baſilicæ tranſactis tamen abundeq; menſtruis purgationibus, hæc enim minuit & ſanguinem, & ſemen, at ſi nubilis eſt tutius eſt eã iungere viro.

*A grumo ſanguinis.* Quod ſi idem contingat ob venenoſum vaporem a grumo ſanguinis alicubi concluſo allatum, tunc rebus odoratis naribus admotis conſolandus eſt patiens, eius artus fricandi, nec non & ſtomachus præterea calefaciendus eſt, & ſi grumus eſt in ventriculo ori indendum eſt mel, oxymel, ſuccus apij, vt vel grumum euomat, vel vbicunque conſtiterit, diſſoluatur, ad quod confert theriaca, terra ſigillata, & multa alia, quæ proponuntur ab Auicen. 6. 3. t. 3. c. 20.

*Si fiat ob deperditionem ſpirituum.* Si vero ſpiritus deperdantur, vel ob intenſum dolorem, vel ob nimiam animi, vel corporis motionem, vel ob aliquam euacuationem, quomodocunque fiat tunc patientes ſuccurrendi ſunt frigida faciem repente aſpergendo, nares apprehendendo, cum oris ventriculi frictione, vomitus prouocatione, præterea odorata admouenda ſunt, & præcipue vinum nigrum auſterum, & adſtringens, ac cogere aliquid ad deglutiendum.

Et ſi deperdantur ob dolorem, tunc dolor cum anodynis mitigandus, ſi ob motum, tunc motus tum animi, tum corporis compeſcendus.

Si vero ob aliquam fluxionem, tunc ſi fuerit ſanguinis ab aliqua parte manantis, illico præter prædicta ad partis contraria, & quam maxime diſtantis valide reuellendum eſt, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, hirudinibus, venæ ſectione, quo pluries reiterabuntur, ac pluribus vi-

cibus

cibus partientur, tanto validiora erunt.

Et ſi a partibus ſuperioribus ſanguis fluxerit, ſecandæ ſunt venæ inferiores, & èconuerſo ſi ab inferioribus fluxerit ſecandæ ſunt ſuperiores, idem de frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, ac hirundinibus ſeruandum eſt, ſimiliter, ad proxima partias eiſdem ingenijs deriuandum eſt.

Tandem ſi ſanguinem fundentia vaſa diuiſa ſint, tunc agglutinantibus vniantur, vt folijs hederæ recentis, in vino coctæ, millefolio, attractili, centaureo minori.

Si exeſa renurtienda ſunt vt caro deperdita reparetur, cum ſarcoticis, vt manna, thure, aloe, pilis leporum minutim conciſis, ac albo oui exceptis, item ariſtolochia, inde maſtiche, ſarcocolla, vel alijs prout pars requirit.

Idem agendum ſi aperta ſint ora venarum, aut earum tunicę rarefactę, tunc enim adſtringendum & deaſſandum eſt ſtipticis, vt plantagine, ſemperuiuo, malicorio, balauſtijs, hypociſtide, acacia, bolo armena, terra ſigillata.

Similiter ſanguis incraſſandus, vino nigro auſtero, portulaca, pedibus vitulorum, veruecum, farre, alica, addita tragacantha pro cibo oblatis.

Si vero fluxerit aliquis alius humor, vt in cholera morbo vocato, diarrhęa, lienteria, diſſenteria, aut puris euacuatione ab aliqua vomica interna, tunc ſi patientes actu ſyncope detineantur odoramentis fouendi ſunt, aqua frigida repente in faciem conijcienda eſt, nares apprehendendæ ſunt, os ventriculi fricandum, ac vomere tentandum.

Si magis vrgeat fluxio per infernas partes, melius eſt manus & brachia pluribus, ac fortibus nexibus alligare quam crura. Similiter quam maxime cauenda eſt cutis adſtrictio.

Expergefactum ægrum ſorbitionibus concoctu facilibus, ac adſtringentibus, & vino reficere oportet, niſi adſit febris acuta, aut viſceris alicuius inflammatio, aut dolor capitis, aut delirium.

Sed in exhibitione vini perpetuo conſideranda eſt natura ægrotantis, conſuetudo, ætas, anni tempus, & morboſa conſtitutio, nam qui calidi & ſicci temperamenti ſunt, minus vini competit, ſimiliter his, qui aſſueti non ſunt potare vinum,

num,aut manifeſte ab ipſo offenduntur, & in florenti ætate conſtituti ſunt,& in tẽpore æſtiuo,quique a cauſa calida ſyncopen patiſolent,penitus a vino abſtinere debent, è contra vero, ſi patientes ſint natura frigidiores, conſueuerintque potare vinum,a quo bene ſe habent.

Similiter ſi ſint ſenes,tempuſque ſit hybernum,morbuſque frigidus, non ſolum vinum exhibendum eſt, ſed & actu calidum, & quod tribuitur in fluxionibus, quæ ad ventriculum feruntur, ſit calidum, & tenue.

*In febre ſyncopali minuta.* At ſi vna cum ſyncope etiam febris iungatur, cum præſentia humorum bilioſorum,ac tenuium,quique facile exhalent,quæ & febris ſyncopalis minuta vocatur, in actu ſyncopes cauenda eſt omnis euacuatio etiam, quæ fit per frictiones & ligaturas,imò ægrotantes ventilandi adſtringendi,ac dẽſandi ſunt,frigida inſpergendo pauimentum domus, cum folijs plantaginis, lactucæ,cannarum,vitium capreolis,manus & pedes conſtringendi ſunt, vinum limphatum eis odorandum exhibeatur, ac modicum quid, quod ſit album, & tenue calidaque permiſtum ad tranſglutiendum.

Extra ſyncopen requiritur cibus reficiens, ideo conuenit panis in vino actu frigido infuſus, imò omnia omnino actu frigida extra paroxyſmum illis exhibenda ſunt, & ſi virtus ſit debilis ter, quaterque in die cibabimus, dando ſępè ac parum; at ſi virtus non ita languet, tunc maius temporis ſpacium inter vtramque cibi oblationem interponendum eſt, ſint autem ea,quæ offeruntur denſantia, refrigerantia, & ſanguinem incraſſantia, vt alica, item fructus auſteri, vt pira, mala cydonia, ſuccus granatorum.

Præterea ſint multi nutrimenti, vt oua, teſticuli gallorum,ſuillum cerebrum aſſatum, aut albo iure elixum, caro pullorum,conuenit ſomnus,præcipue ſi poſt diem quartam virtus fortior ſit reddita, vbi videndum eſt etiam an aliqua leuis euacuatio ferri poſſit,qualis per mannam,aut ſyrupum roſatum ſolutiuum, aut rheubarbari dilutum fieri ſolet.

*Si ſyncopi adnectatur ſqualor,& ariditas.* Si vero vna etiam adſit ſqualor, & totius corporis ariditas & in aduentu paroxyſmi futura ſyncope timeatur, vt contingit illis,qui propter mordentem acrimoniam excalefacti attenuatique

ex

ex ſole, inedia, & laboribus ſucci ſunt, quorum vitio febris excitatur, maximum, vt Gal. ait 10. meth. cap. 5. & 6. remedium eſt humidum alimentum.

Ideo hi per duas horas ante acceſſionem cibandi ſunt, cibo, qui facile concoqui poſſit & ventriculo ſit idoneus, vt ſorbitione ex alica, mali punici granis in ea iniectis, vel panatella ex iure leui pulli parata.

Similiter his conuenit panis vino tenui limphato madefactus, ſi magna timeatur ſyncope, ſi vero parua tunc vino parcendum eſt, cuius loco præſtat aſſumere vinum granatorum, aut ſuccum arantiorum, ac eis melius ſe habentibus liberalius nutriendũ eſt, vt luteis ouorum, carnibus pullorum, vel porcellorum, vinumq; craſſum exhibendum eſt.

In ipſa vero ſyncope deductis maxillis ori infundenda eſt ptiſſana cum vino albo tenui, calidoque, præterea manus, & pedes cõſtringendi ſunt, vt a ſyncope expergiſcantur, vt 10. meth. cap. 3. & 1. Glauc. cap. 14. ait Gal.

Si vero ſpiritus deficiant ob cruditatem, præcipit Actius libro quarto, cap. 50. vt, ſi ructus accedat, irritet, ac grauitas circa præcordia extiterit, ex quo moleſtia quædam in totum corpus ſe diffundat, tepida aqua plurima hauſta deueniendum ſit ad vomitum, atque cibos penitus excernendos eſſe, quia ſi permanſerint poſſunt inducere tormina, dolores, grauitates capitis, deſtillationes, atque aliquando etiam febres, ſed & ſyncopas & mortes. *Si fiat ob cruditatẽ.*

Quod ſi patiens difficulter euomat, vel nullo modo euomere poſſit, elaborandum eſt vt cibus ſubducatur, & e præcordijs ſecedat, huic autem confert decubitus erectior, qui anaclinterijs & ceruicalibus ſuppoſitis commode paratur, & ſi quis propter nimiam repletionem ſomnum capere non poſſit, ac ideo vigilare cogatur, hic immotus permaneat, quia aſſidua agitatio, atque conuerſio flatus parit, qui materiam ſurſum vergere faciunt.

Similiter adiuuet coctionem fricatione pedum calidiori contubernio, ac præcordiorum calefactione, manuque expanſa os ventris apprehendendum eſt, aut puerulus carnoſus eidem admouendus.

At bilioſis, & qui intemperie calida laborant, conuenit ſuc-

cus

cus malorum cotoneorum, cum aceto & mele ſolo decoctus, pituitoſis autem magis prodeſt zinziber, ac piperum genera, mediæ vero temperaturæ miſtum quoddam ex vtriſque apparere oportet.

At ſi ſyncope actu corrupti ſint, tunc vino ac rebus odoratis, & præterea quæ nutrire poſſunt reficiantur, eſt enim ſyncope ex inanitione, præterea artus modice fricandi ſunt, capilli euellendi, ac clamandi.

*In febre ſyncopali humoroſa.*

Si vero ex magna crudorum humorum copia collecta tum in ſtomacho, tum etiam circa primas venas, & iecur febricitare incipiant, ob eiuſdem humoris frigidi, & craſſi, & multi collectionem, vnaque etiam accedat oris ventriculi imbecillitas, ac ſimul actu frequentibus ſyncope corripiatur, ac tandem febri, quam ſyncopalem humoroſam vocant, laborent.

Hi paulatim cibandi ſunt, & cibis qui calefaciant & attenuēt, ideo eis conuenit vinum aquoſum tenue, & album, niſi illud intenſa febris prohibeat, quæ vt plurimum non adeſt, cum peccent frigidi, & craſſi humores, ſed multo magis condonandum eſt vinum, ſi patiens fuerit ſenex, & vino aſſuetus, iuuenibus autem debet in principio morbi interdici, niſi vires ſint valde imbecilles.

Sanguis autem taliter affectis nullo pacto mittendus eſt, non enim ſanguis peccat in quanto, ideo nec vires eius miſsionem perferre poſſent, neque medicamenta purgantia adminiſtrari poſſunt, quia cum os ventriculi valde langueat, protinus exhibito medicamento purgante inciderent in ſyncopen, & mortem ob vim eius ori ventriculi aduerſam.

Quare etſi morbus euacuationem quam maxime indicet, nullam tamen validam ob virium infirmitatem, ac humorum reluctātiam fieri poteſt.

Igitur primum à cruribus ſuperne deorſum cum linteis moderate aſperis patientes fricandi ſunt deinde ad brachia aſcendendum eſt, eaque eodem modo ſuperne deorſum fricāda ſunt, poſtquam autem artus ſatis calidi apparent, atque timor laſsitudinis impendet ob multam frictionem, tunc oleo laxante, quale eſt dulciſsimum, tum crura, tum brachia inungendum eſt.

Et ſi tempus hyemale fuerit poterimus etiam vti oleo diſcu-

tiente,

tiente, quale eſt ſicyonium, aut chamæmelinum, aut anethinum, poſt hæc oleum detergeatur, deinde fricetur dorſum & tota ſpina linteo prædicto, quæ deinde vt artus oleo inungendæ ſunt, ac detergenda, his ſemel atque iterum fricando, vngendo, detergendo primum crura, deinde brachia, vltimo dorſum & ſpinam, per totam diem incumbendum eſt.

Hac enim ſola euacuationis materia leui ob infirmas vires, nō ob morbi leuitatem vtendum eſt, quę fieri debet, in domo lucida, ac minime humante, & ſit moderate calida.

Pro cibo conuenit mulſa cum ptiſana, & ſit mulſa modo magis modo minus cocta, prout vel magis vel minus venter reddit, nam mulſa minus cocta magis aluum ſubducit, vt è cōtra minus, ſi magis cocta ſit, poſſumus ēt dare alicæ cremore, ſi patiens videatur abhorrere a ptiſana, ac aluus fluat, & tūc dabitur cū oxymelle.

At ſi vires imbecilliores fiant panem in vino diluto dare expedit, dummodo nullum adſit inflammationis periculum, quod ſi forte contigerit, lethale eſt omnibus modis.

At ſi craſſiores videantur humores, loco mulſę oxymel dādum eſt, æſtate quidem frigidum, hyeme autem calidum, balnea his aduerſiſſima ſunt, & aer ambiens multum calidus ob virtutis imbecillitatem, aut frigidus ob internam cauſam morbificam, nam in balneis, & in aere calidiori crudi humores funduntur, ac fuſi per totum corpus minus celeriter feruntur, ita vt immineat periculum ne ad aliquam principem partem præcipites ruant, vt ad pulmonem, vel ad cor, & quandoque etiam ad cerebrum ac deteriorem morbum efficiant, vel etiam repentinam mortem inducant.

Melius eſt igitur eos circa hepar, & primas venas, donec coquantur permanere, temperandus eſt autem ambiens, quia in domibus frigidis, & præcipue tempore hyemis non temperato ambiente humores crudi multum tempus requirunt, antequam coctionem aſſumant, interim obſtructiones hepatis augent, caloremque innatum ſuffocant.

Abſtinendū præterea eſt a perfuſionibus, & cataplaſmatis, donec imminuti, aut ex parte cōcocti fuerint, ſecus his fuſis, ac circa præcordia impactis inflammationes ſubſequuntur, & hæc agenda ſunt dum ſyncope actu non adeſt.

Si

Si vero ſyncope aderit tunc patienti offeres panem vino madefactum, & ſi æſtas fuerit, & regio, & natura, patientis calida, tunc frigida temperabis, ſin autem fuerit hyems & patiens ſenex, calida vinum miſcebis, & ſedato accidente ſyncoptico potius calida, quam frigida ad potandum dabis, nam frigidus morbus calidis præſidijs vincitur, mox ad frictiones te præcinges eo prorſus modo quo dictum eſt.

Ex prædictis patet quid ſit agendum ſi ſyncope immineat ob præſentiam humorum, qui ſua multitudine, craſſitie, & copia vires premant, obſtruantque, cum minori virium iactantia, nam hi præparandi ac è corpore educendi ſunt, quemadmodum ſupra dictum eſt.

Memores tamen ſententiæ Gal. primo ad Glauc. cap. 14. quod euacuationes in ſyncope non ita audacter vt refectiones ſunt moliendæ, idem confirmat Auicen. de virib. cord. tract. ſecundo, cap. ſecundo dicens, quod in ſyncope curanda etſi patiens ſit extra paroxyſmum, nullam tamen moliri validam euacuationem licet per medicamenta, quia imminens ſyncope irritatur.

Quod ſi actu ſyncope adſit tunc his artus fricare fortiter oportet, & præcipue ſi ob aliquam magnam alicuius viſceris inflammationem illud contingat, agendum eſt igitur non ſecus ac ſi in principijs acceſſionum refrigerarentur, ſimiliter calefacere, cruraque, ac manus alligare, ac vigilias, vbique & potus omnimodam abſtinentiam præſcribere oportet, optimum vero eſt in his, quid ſit futurum præcognoſcere atque hoc ante acceſſionem anticipare.

*Si ob humorũ malignitatẽ.*

At ſi immineat ſyncopes ob humorum malignitatem, ſi ſit ob putredinem ea corrigenda eſt cum frigidis, & ſiccis, ideo conueniunt margaritæ, ſpodium, cornu cerui vſtum, terra ſigillata, bolus armena, & eius cõfectio, item qui de hyacintho paratur, & reliqua, quæ multum putredini reſiſtere poſſunt.

Præterea quod iam computruit, nec amplius ad benignum reuocari poteſt, euacuandum eſt, ſi ſit bilis cum rheubarbaro, ſi pituita, cum agarico, & ita de reliquis, quod ſi in naturam veneni conuerſi ſint humores cum alexiterijs agendum, ſi ſit quod morſum viperæ, conuenit theriaca, & ita de reliquis veneni ſpeciebus ſigillatim agendum eſt.

In

In actu vero ſyncopes odorata naribus admoueantur,quę non multum ſint calida, vt vinum dilutum, acetum, roſæ, ſantali in veneno autem viperino theriaca tum aſſumatur, tum admoueatur.

Verum illud ſummo ſtudio obſeruandum eſt, vt dum in defectu ſpirituum tentamus quam celerrime reficere,& odorata naribus admouemus, excipiamus præfocatas, vt ſupra dictum eſt.

In ſyncope vero ob bulimum, ſummopere inſtaurandum eſt, ideo poſt odorata humidum alimentum præbendum eſt, & inter humida vinum principatum obtinet, deinde aqua carnis, ſi ſit in promptu, expreſſa, contuſa, ſtillatitia, oua ſorbilia, celerrime nutriunt, celerrime enim nutrit humidum alimentum, celerius adhuc reficit odor, vt Galen.ait ſecundo in ſecundum epid.t.13. idem teſtatur Auicen.libro de virib.cord.cætera tardius nutriunt licet ſolidius alimentum præſtent, vt panis, caro, piſces, legumina, & reliqua.

In confortando vero cor, licet multa ſint, quæ ei opem ferunt, non tamen ex eodem modo conferunt, quia alia manifeſtis qualitatibus iuuant, alia occultis. *Cor cōfortantia differunt inter ſe.*

Quæ manifeſtis qualitatibus iuuant, alia calefaciunt, vt muſcus, ambra, agaricus, baſilicon, ben album, & magis rubeum, cortex citri, folia, & ſemen eiuſdem,cinnamomum,crocus,mentha, calamenthum, caſſia lignea, ciperus, lilium, lignum aloes, meliſſa, macis, mumia,clibanum, ſericum,ſtęchas,vſnea, ſiſymbrium, zedoaria.

Alia refrigerant, ſeu cordis caliditatem ſuperfluam minuunt, vt aurum, argentum,acetoſa, endiuia, ſuccus citri, ſpodium, tamarindi, malum cotoneum, margarita, corallus, roſa, coriander, malum granatum,nenuphar, pyrrhum, ſantali omnes, terra ſigillata,acetum,multum refrigerant pſyllium,opium,mandragora,hyoſciamus,cicuta, nix, glacies.

Alia cordis ſubſtantiam,& ſpiritus humectant,vt borrago,bugloſſum, nenuphar, caro animalium adoleſcentium, eorum iuſcula ſtillatitia, aqua carnis expreſſa, contuſa oua, vinum dulce.

Alia exiccant, vt muſchus, ambra, corallus, ſpodium, crocus, endiuia,citrum,cinnamomum,camphora,ben album,& rubeum,

acetoſa

acetoſa, acetum, caſſia lignea, calamenthum, ciperus, mirobalani, lapis lazuli, lapis armenus, lilium, myrthus, meliſſa, macis, mumia, ſtœchas, ſpodium, ſantali, terra ſigillata, & multa alia.

Alia ſubſtantiam ſpirituũ opacam, obſcuram, & tenebroſam illuminant, & illuſtrant, vt margarita, corallus, crocus, camphora, carabe, terra ſigillata, ſpodium, ſericum crudum, & combuſtum, confectio alchermes, ſemina citri, hyacinthus, & eius confectio.

Alia ſubſtantiam ſpirituũ nimia raritate, ac laxitate diſgregatam vniunt, firmant, ac ne digerantur prohibent, vt emblicus, carabe, ambra, mumia, pyrrhum, malum cotoneum.

Alia ipſam cordis ſubſtantiam vniunt & firmant, vt ſericum combuſtum, & crudum, confectio alchermes.

Alia ſubſtantiam ſpirituum dilatant, & a centro ad circũferentiam trahunt, & reuocant, vt crocus, qui in nimia doſi ita diſſipat, vt necet, moderatius dilatat ben album, & rubeum, lilium, agaricus.

Alia leui calore, & frigore cor contemperant, vt borrago, bugloſſum, terra ſigillata, aurum, argentum, hyacinthus, pæonia.

Alia naturam delectant, vt ſunt aromata omnia, vt ambra, muſchus, baſilicon, cortex citri, mentha, meliſſa, crocus, cinnamomum, caryophyllus, coriander, phyſtici, ſantalus, nenuphar, & multa alia propemodum innumera.

Alia atrum, & nebuloſum, & tenebricoſum fumum a corde, & ſpiritibus expurgant, vt bugloſſa, borrago, lapis lazuli, lapis armenus, thymus, epithymus, ſena, polypodium, ſtœchas, mirobalani, agaricus, meliſſa, pæonia.

Quæ vero occultis qualitatibus iuuant, & a proprietate liberant a venenis, ac ferarum morſibus medentur, quæ theriacalia vocantur, vt ſexto in ſextum, de morb. vulg. t. 5. retulit Gal. ſunt hyacinthus, ſapphirus, ſmaragdus, rubinus, agaricus, citrum, & ſemẽ eius, cinnamomum, phyſtici, muſchus, olibanum, ſtœchas, terra ſigillata, lapis bezoar, ſcorzonera, theriaca, mithridatium, confectio de hyacintho, de bolo armena, de gemmis.

Quæ partes occultas proprietates habent etiam euidentes, & manifeſtas, vt muſchus, a proprietate lætificat, & qualitate manifeſta calefacit, & aromaticitate delectat, & lapis bezoar, a proprietate extinguit venenum, præterea exiccat, ſudorem prouocat,

cat, calefacit moderate, eſtque tenuium partium, & ita de reliquis, vt ſupra dictum eſt.

Cum igitur cordialia multipliciter iuuare poſſint, luce clarius apparet quantum vulgares Medici decipiantur, qui in medicinis cordialibus conficiendis quamcumque materiam indifferenter, atque ſine vllo defectu in omnibus paſſionibus accipiunt, cũ potius vt cuilibet affectui particulare remedium debetur, ita particularis eius materia deligenda eſt. *Error vulgarium exemplorũ*

Ideo admonet Auicen.de med.cord. tract. 2. cap. 2. medicinas prouocantes vrinam, & ſudorem eſſe vtiles in debilitate cordis, quæ cauſatur ex ſubtilitate, & aquoſitate ſanguinis, nociuas autem valde in triſtitia, quæ cauſatur ex turbido, & melancholico ſanguine, quoniam illæ hauriendo aquoſitatem ſanguinis, augent ſiccitatem, groſſitiem, & turbulentiam eius, niſi forte natura per vrinam tentaret humoris melancholici excretionem.

Similiter euacuatio ſanguinis nocet debilitati cordis, quæ cauſatur ex frigiditate, & paucitate ſanguinis, quod eſt autem debilitati, quæ cauſatur ex ſuffocatione caloris innati ob ſanguinis multitudinem.

Similiter inflatiuã medicina, vt acinum, ciceres, fabæ, ſeminã erucæ, vrticæ, rapi, paſtinacæ, gingiber, cerebrum paſſeris, mentha, radix enulæ, baccæ hederæ, aſarum, carthamus, ſchinchus, ſemen lini valde nociua ſunt triſtibus, & debilibus corde, quoniam replent ſubſtantiam ſpiritus inſiti cordis flatibus, & vaporibus non proportionatis, ac eos obtenebrant, ac ad ſuas operationes debiles reddunt.

Similiter in timore, quæ ſpirituum luciditatem augent, ac eorum ſubſtantiam mundificant, ac moderate dilatant, valde iuuant, quemadmodum vice verſa, quæ conſtringunt, & conſolidant, vt mumia, & reliquiæ iſtius generis valde nocent, adhuc magis nocent medicinæ repercuſſiuæ, quæ tetros, ac turbulentos vapores in intimas, ac penetrales cordis ſedes magis impingunt, atque inculcant.

## RATIO VICTVS IN LIPOTHYMIA, & ſyncope tum præſente, tum imminente. Caput Quinquageſimum ſeptimum.

*Victus ratio in cauſa calida.* IN ſyncope præſente quæcumque ſit offerendum erit vinum odorandum, at ſi pendeat a cauſa calida, vel comitem febrem habeat, addatur acetum & aqua roſata. Similiter offeratur citrum, malum cotoneum, malum appium, ſantali, & cætera odoramenta, quæ non multum calefaciant, at grata, delectabiliaque cuique eſſe ſolent, ſimiliter ſuffiatur thalamus cum prædictis.

*In cauſa frigida.* At ſi ſyncope pendeat a cauſa frigida ſuffiatur ambra, thure, ſtorace, muſcho, caryophyllis, cinnamomo, cortice citri, modo nihil ſit quod prohibeat, vt febris, vel dolor capitis, in quo caſu odoramentis validis parcendum eſt, nam ſuffitus aromatum grauat caput.

Similiter ſi patiens ſit mulier præfocata, vel præfocationi ſubiecta, gratis odoribus parcendum eſt, ideo tunc fętida naribus admoueantur, vt pennæ perdicum combuſtæ, calceamenta vetera item combuſta, aſa fœtida, galbanum, caſtoreum.

Cęterum quia quęlibet caloris inſiti refrigeratio reducitur, vel ad cauſam reſoluentem, vel ad cauſam ſuffocantem. *Victus ratio in ſyncope a cauſa reſoluente.* Si cauſa ſit reſoluens, vt contingit in nimio ſudore, cutis raritate, humorum tenuitate, & æger ſit actu ſyncope deprehenſus, eligatur aer frigidus, & adſtringens, ideo conuertatur æger ad ventum, & flabello, & ventilatione refrigeretur, inſpergatur aqua roſacea, in facieḿque repente frigida conijciatur.

Similiter pauimentum thalami, in quo decumbit æger, reſpergatur folijs myrti roſarum, capreolorum vitis, plantagine, rubo, fol. malorum cotoneorum, ſalicum, cannarum, pyrrhorum, quæ cutim denſando difflationem inhibeant, vt enim calidum laxat, & dilatat, & fundit, ita frigidum denſat, cogit, & craſſefacit.

At ſi vires reſoluerentur ob ventris fluxum immodicum, tunc potius oppoſitum faciendum eſt, trahēdo ad cutim, frictionibus, ligaturis circa partes extremas adminiſtratis, ſic enim humores

ad

ad contrárium reuellendo, ſiſtitur fluxus, ſimiliter panis, aut alica cum vino actu frigido permixta exhibenda eſt, ac patiens in quiete detinendus eſt.

At in ſyncope ex nimio ſudore, cutis raritate, & humorum tenuitate cibi dentur craſſi, & natura frigidi, & adſtringentes, & ſi virtus ſit debilis dentur parum, & ſæpe, ideo conueniunt ſorbitiones ex alica, panatella actu frigida cum mali punici granis, aut cum cydonijs, aut pyris, ſimiliter conueniunt oua, teſticuli gallorum, ſuillum cerebrum aſſum, aut albo iure elixum, caro pullorũ gallinaceorum.

Similiter cõuenit vinum nigrum auſterum, modice limphatũ, quod etiam ſummopere conuenit in fluxu ſanguinis immodico, ſimiliter conuenit ſomnus, & quies totius corporis, horum autem oppoſitũ, vt vigiliæ, iactationes, & inquietudines vires diſſoluit.

Quod ſi vna adſit febris quam ſyncopalem minutam vocant, cum prædictis patiens reficiatur, at a paroxyſmo refectus, cibetur pane vino madente, vel alica ſimiliter vino permixta & actu frigida, & ſi virtus ſit debilis, cibetur (vt dictum eſt) parum, & ſæpe, ita vt ter, quaterque in die cibus ſit offerendus, & totidem in nocte.

At ſi virτs conſtent rárius cibandus eſt, ſintque cibi adſtringẽtes, & incraſſantes, vt difflatus intercipiatur.

Quod ſi defectus animi accidat ob alimenti penuria, tunc in actu ſyncopes non gratis tantum odoribus, quales ſunt, qui ex ambra, muſcho, vel zibeto ſpirant, fidendum eſt, verum præcipue hi conueniunt, qui ex his, quæ valenter nutrire poſſunt eleuantur, qualis eſt odor vini, carnium toſtarum, & maxime porcellorum, aliorumque eſculentorum, quibus præcipue patientes tunc oblectari ſolebant.

Poſtea reſurgentibus ipſis offerenda ſunt deſtillatá, contuſa, expreſſa, aqua carnis, & præcipue cum vino permixta, ſimiliter conueniunt oua.

Idem agendum eſt ſi affectus pendeat a bulimo, præterquam quod cibis non modo facultate reficientibus, ſed & actu calidis, reficiendi ſunt, ideo exhibeatur vinum odoratum aqua calida lymphatum.

Si vero ſyncope accidat ob nimium ſqualorem, aut corporis a-

ſiditate, tunc in actu ſyncopes alica cum vino calido exhibendá eſt, & extra paroxyſmum cibis & potibus actu frigidis & qua maxime, & celeriter reficientibus, quales ſupra enarrauimus occurrendum eſt.

At ſi patiens in acceſſione febris ſyncopen vereatur, tunc per duas horas ante paroxyſmum nutriendus eſt alica in aqua cocta cum mali punici granis, vt docuit Gal. 10. meth. cap. 3.

*Victus ratio in ſyncope a cauſa ſuffocãte.*

Si vero caloris natiui refrigeratio pendeat a cauſa ſuffocante ob copiam craſſitiem, & lentorem humorum, tunc ratio victus ad contrarium conuertenda eſt, ideo patiẽs in actu ſyncopes detineatur in aere calido, & ſicco, qui niſi ſua natura talis fuerit, paretur odoramẽtis, & ſuffitibus, ex pulegio calamintha, cinnamomo, caryophyllis, ſantalis, aceto feruefactis, vinum odorãdum, & cori indendum eſt vna cum panis offa eo madente, ſit autem vinum ſubſtantia tenue, colore fuluum, ætate vetus, & boni odoris, vt cito calefaciat, nutriat, ac per corpus temporis momento feratur, ac craſſitudinem, & lentorem humorum extenuet, lymphetur cum aqua calida quidem in tempore, regione, & cęli ſtatu frigidis, e contra vero frigida lymphetur, præterea mouendus, clamandus, & excitandus eſt æger à ſyncope, cum frictionibus, ligaturis.

Extra vero paroxyſmum patiens continue maneat in aere calido, & ſicco, vtatur cibis attenuantibus, incidentibus, & abſtergentibus, & præcipue ſi æger ſit plurimo, & craſſo, & frigido phlegmate refertus, ideo conueniũt aues in mõtanis, ac in dumetis volitantes, conueniunt turdi, merulæ, pernices, columbi in turribus nidificantes, præterea pulli gallinacei, & eorum viſcula alterentur petroſelino, fęniculo, dauco, cinnamomo, caryophylis, croco, nuce muſcata, mace, pipere, hyſopo, ac alijs huiuſmodi.

Similiter conueniunt vigiliæ, conuenit motus, equitationes, geſtationes, vehicula, deambulationes, frictiones.

At ſi adſit febris cum multitudine humorum crudorum in ſtomacho, & circa primas venas, ac ſyncope, quam humoralem vocant, accedat ideo illis per primos tres dies mulſa cum hyſopo exhibenda eſt, ſit autem pro ratione alui deijcientis, vel magis vel minus cocta, nam minus cocta magis ſubducit, e contra autẽ magis cocta, minus aluum mouere apta eſt.

Quod ſi mulſam faſtidierit, ſuccum ptiſanæ, aut oxymel hyeme

me quidem calidum, æſtate autem frigidum dandum eſt; interdũ alternatim modo oxymel, modo ptiſanam dabimus, quod ſi aluus non deficiat clyſterijs vtendum erit, & ſic perſeuerabimus vſque ad ſeptimam cum hac victus ratione, niſi virtus cadat; quod ſi acciderit, tunc plenior victus ratio inſtituenda erit, dabimuſque panatella, vel ferculum ex alica, & farre, vna cum hyſopo, aneto, vel petroſelino.

Interim excitandus eſt aeris exceſſus, & præſertim in frigiditate, & humiditate, præterea cũ frictionibus, & in unctionibus incedemus eo prorſus modo, quo ſupra enarratũ eſt. Et hæc de cordis affectionibus, tam naturalibus, quam præternaturalibus, & eorum curatione.

Ad laudem & gloriam ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, & ſacræ Virginis Mariæ Deiparæ, dicta ſint.

F I N I S.

---

*Correctore Ioanne Thuilio Mariæmontano Tirolenſi.*



VENETIIS, MDCXVIII.

Apud Ioannem Guerilium.